


MAGIN. GEOGR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GEOGRAPHIAE

CL. PTOLEMAEI

Pars Secunda,


CONTINENS PRAETER ANTIQVAS IPSIVS
Ptol. recentiores etiam Tabulas, quæ Vniuerſæ terræ
faciem noſtro æuo cognitam exhibent.

A HIERONYMO PORRO PAT. INCISAS.

Vnà cum ipſarum Tabularum vberrimis expoſitionibus, quibus ſingulæ Orbis Prouinciæ, Regiones, Imperia, Regna, Ducatus, & alia Dominia deſcribuntur.


Auctore
IO. ANTONIO MAGINO PATAVINO
Almi Bonon. Gymnaſij Publico Mathematico.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Hæredes Simonis Galignani de Karera.
CIↃ. IↃ. XC VI.

Universidad de Deusto
Biblioteca



VNIVERSALIS DESCRIPTIONIS ORBIS
Tabula iuxta Ptolemæum.

IN HAC Vniuerſali Tabula tres continentur Orbis principales partes, Europa ſcilicet, Africa, & Aſia, quæ tantum Ptolemæi tempore innotuerant. Terminatur autem hæc Tabula ab Ortu Solis terra incognita, quæ populis Oriẽtalibus Aſiæ magnę adiacet, Sinisq;, ac Sericæ; & Meridianus extremus qui ducitur per Sinarum Metropolim, diſtat à Meridiano Alexandrino uerſus Ortum ſuper Aequatorẽ gr. 119. & ſemis. Ab Occaſu uerò terminatur terra incognita, quę ſinũ excipit Aethiopicũ Libyæ, & deinde Oceano Occidẽtali, quĩ Occidẽtaliſſimis Libyę, & Europę adiacet partibus; & vltimus Meridianus hãc Occidentalem partem determinans, qui ducitur per Fortunatas inſulas, diſtat à Meridiano Alexandriæ par. 60. & ſemis. A quo quidem Meridiano ſumitur initium computationis longitudinis terræ. Totius itaque terræ habitabilis longitudo ab Ortu ad Occaſum complectitur ſemicirculum, hoc eſt grad. 180. Sed à meridie terminatur hæc Tabula terra ſimiliter incognita, quę pelagus cingit Indicum, quęue Agiſymbam Aethiopum regionem cõplectitur. A Septentrionali parte coniuncto ſibi Oceano inſulas Britannicas continente, nec non Deucalidonio, & Sarmatico Europæ partes maximè Septentrionales claudente, ac etiam terra incognita, quæ Borealiſſimis magnæ Aſiæ adiacet Regionibus Sarmatiæ, Scythiæ, & Sericæ. Eſt autẽ totius terræ habitabilis latitudo à Septẽtrione ad Meridiem 80. ferè gradus: Nam Septentrionalẽ terrę cognitæ finẽ terminat parallelus diſtãs ab æquatore uerſus Boreã gr. 63. Meridionalem uerò claudit parallelus ab æquatore partibus 16. min. 25. uerſus Auſtrũ recedens. Tribuit uerò Ptolemæus uni gradui ſecũdum latitudinem ſtadia quingenta, penes quã computationẽ dimenſio terræ in longũ, in latum, & in girũ ſicut infra ſe habet.

Totius Terræ cognitæ latitudo 40000. ſtadiorum, hoc eſt milliarium 5000.

Longitudo Orbis cogniti ſuper arcu Aequinoctialis circuli ſtadiorum 90000. ſeu milliarium noſtratium 11250.

Longitudo Orbis cogniti ſuper parallelo maximè Auſtrali ſtadiorum 86333. ideſt milliarium 10791. ferè.

Longitudo Orbis cogniti in parallelo maximè Septentrionali ſtadiorum 40854. nempe milliarium 5107.


Longitudo Terræ in parallelo Rhodienſi diſtante ab Aequinoctiali gr. 36. eſt ſtadiorum 72812. hoc eſt milliarium 9101.

Longitudo Terræ in parallelo per Syenem diſtante ab Aequinoctiali gr. 23. 50. eſt ſtadiorum 82336. ſeu milliarium 10292.

Ambitus totius Terræ cognitę eſt ſtadiorum 180000. hoc eſt milliarium 22500. Sunt tamen qui ambitum paulò minorem ponunt, hoc eſt milliarium Germanicorum 5400. ſiue Italicorum 21600.

Hæ uerò tres Orbis partes particulariter à Ptolemæo deſcribuntur in XXVI. ſequentibus Tabulis, quarum Decem primæ ſunt Europæ; ſequentes Quatuor Africæ; reliquæ Duodecim ad Aſiam ſpectant.

Universidad de Deusto
Biblioteca




HIBERNIÆ, ET ALBIONIS
PRIMA EVROPAE TABVLA.

COmplectitur Prima hæc Europę Tabula duas Britannicas Insulas, quas Dionysius Bretanides uocat, HIBERNIAM nempe, & ALBIONEM cum minoribus aliquot adiacentibus Insulis, ut sunt Thyle, Orcades, Ebudę, Mona, & reliquę suis nominibus expressæ. Medius Meridianus huius Tabulæ est gr. 20. & parallelus medius, qui transit per gr. 57. min. 15. habet proportionem ad Meridianum subsupernonupartientem undecimas, ideſt sicut 11. ad 20. Terminatur uerò hæc Tabula undiq; uastissimo, & apertissimo Oceano, scilicet ab Oriente Oceano Germanico: ab Occidente Vergiuio, & Occidentali: ab Austro Oceano Britannico: & à Borea Oceano Hyperboreo, & Deucaledonio.

Insignes Ciuitates, sub quibus factæ sunt cœlestes obseruationes, sunt hæ.

	Maximus Dies. Hor.	min.	Distan. horaria à mer. Alex. Hor.	min.	
Thyle Insula	20	0	2	0	
HIBERNIAE					
Iuernis	18	0	3	15	Versus Occasum
Rheba	18	30	3	12	
ALBIONIS					
Londinium	17	0	2	40	
Eboracum	17	50	2	40	
Caturactonium	18	0	2	40	
Alata castra	18	30	2	10	
Dumna Insula	19	10	2	0	
Vectis Insula	16	40	2	40	

Universidad de Deusto
Biblioteca



HISPANIÆ, SECVNDA EVROPÆ TABVLA.


COntinet hæc Tabula HISPANIAM unà cum Insulis sibi adiacentibus; quam quidem Græci Iberiam: Strabo, Plinius, & alij Hesperiam uocarunt: atque hæc in duas prouincias Plinio teste prius diuisa fuit, in Citeriorem nempe, & Vlteriorem: postea in tres, vt habetur apud Ptol. hoc est in Bœticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Citerior autem Tarraconensis nuncupata fuit. Vlterior verò Beticam, & Lusitaniam amplectitur. Medius huius Tabulæ meridianus est gr. 11. & parallelus per eius medium ductus, nempe per gr. 41. habet ad meridianum rationem subsesquitertiam, hoc est sicut tria ad quattuor. Circunscribitur Tabula ipsa ab Oriente Pyrenęis montibus: à Meridie Balearico, & Iberico mari, fretoque Heracleo: ab Occasu Oceano Occidentali: & ab Ortu Oceano Cantabrico.

Ciuitates insignes, in quibus factæ sunt obseruationes cœlestes.

	Max. dies Hor. min.		Dist. à mer. Alex. Hor. min.	
LVSITANIAE				
Norba Cæsarea	14	55 ferè	3	30 ferè
Augusta Emerita	14	50	3	30 ferè
BAETICAE				
Ispalis	14	40	3	30
Corduba	14	50 ferè	3	20
TARRACONENSIS				
Asturica Augusta	15	25	3	20
Noua Carthago	14	40	3	10
Tarracon	15	0	2	55
Clunia Colonia	15	8	3	15
Cæsarea Augusta	15	5	3	0
Gadira Insula	14	30	2	40

In Occasum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



GALLIÆ, TERTIA EVROPÆ TABVLA.


TAbula Europæ tertia complectitur GALLIAM, quam Ptolemæus, & Græci Celtogalatiam dicunt, & Comatam Plinius cum Mela cognominat, uulgò uerò *Regnum Francicum* uocatur. Hæc autem quattuor prouincias continet. AQVITANIAM, quæ aliquando Aremoria dicta fuit, ut asserit Plinius. LVGDVNENSEM, quæ eadem est cum Celtica Cæsari & Plinio, Lugdonesia Ptolemæo. BELGICAM, quam etiam sic Cæsar, Plinius, & Strabo uocant. NARBONENSEM, quæ Braccata antè dicta fuit Plinio teste, à Cæsare uero Prouincia Romana. Medius huius tabulæ Meridianus est gr. 23. & eius medius parallelus est gr. 48. qui ad meridianum proportionem habet, quam duo ad tria, nempe subsesquialteram. Circunscribitur tabula ipsa ab Ortu Italia, & Rhetia, ac Germania: A meridie mari Gallico: ab Occasu montibus Pyrenæis, & Oceano Aquitanico: à Septentrione Oceano Britannico.

Celebres Ciuitates, in quibus factæ sunt cœlestes obseruationes, sunt hæ.

	Max. Dies. Hor. min.		Dist. à mer. Alex. Hor. min.		
AQVITANIAE					
Mediolanum	15	40	2	50	
Burdigala	15	30	2	50	ferè
LVGDVNENSIS					
Augustodunum	15	50	2	25	
Lugdunum	15	30	2	30	ferè
BELGICAE					
Rigiacum	16	30	2	30	ferè
Durocottorum	16	8	2	25	
NARBONENSIS					
Massilia	15	15	2	40	
Narbon	15	15	2	36	
Vienna	15	30	2	30	
Nemausus	15	25	2	30	

In Occasum.

Universidad de Deusto
Biblioteca




GERMANIÆ MAGNÆ, QVARTA EVROPAE TABVLA.

GERMANIAM à Ptol. Magnam cognominat continetã hæc Tabula cum Insulis sibi adiacentibus, quam veteres in Superiorem, & Inferiorem diuiserunt. Medius huius Tabulæ Meridianus est gr. 36. & parallelus ipsius medius per gr. 53. ductus proportionẽ habet ad Meridianum, quam tria ad quinque, nẽpe subsuperbipartientem tertias. Terminatur Tabula ipsa ab Oriente Iazigibus Metanastis, & Sarmatia Europæ: a Meridie Rhetia & Norico, & duabus Pannonijs: ab Occasu Gallia Belgica: a Septentrione Oceano Germanico.

Insigniores Ciuitates, in quibus factæ sunt obseruationes cœlestes, sunt hæ.

	Dies max. Hor. min.		Dist. à mer. Alex. Hor. min.		
Amasia	16	30			
Luppia	16	45	2	0 ferè	In Occasum.
Rhobodunum	15	50	1	40	
Scandia Insula	18	0	1	20	
			1	0	

Universidad de Deusto
Biblioteca



EVROPÆ TABVLA V.


CONtinet hæc Tabula Europæ Quinta RHAETIAM, VINDELICIAM, NORICVM, PANNONIAM utramque, Superiorem ſ. ac Inferiorem, & ILLYRICVM cum Inſulis adiacentibus. Medius meridianus eſt gr. 38. & parallelus ipſius medius proportionem habet ad Meridianum, quam 43. ad 60. Circunſcribitur autem Tabula ipſa ab Oriente Iazigibus Metanaſtis, & Miſia ſuperiori: à Meridie parte Macedonię, & ſinu Adriatico, & parte Italiæ: ab Occaſu parte Gallię: a Septentrionibus Germania per fluuium Danubium.

Ciuitates inſignes, in quibus factæ ſunt cœleſtes obſeruationes.

	Max. Dies. Hor. min.	Diſt à mer. Alex. Hor. min.	
RHAETIAE			
Brigantium	15 40	2 0	
VINDELICIAE			
Auguſta Vindelicorum	15 45	1 50	
NORICI			
Aredate	15 50	1 40	
Iulium Carnicum	15 32	1 40	
PANNONIAE SVPERIORIS			
Petouium	15 30	1 30	
Sacarbantia	15 50	1 20	
Emona	15 32	1 30	
PANNONIAE INFERIORIS			
Serbinum	15 36	1 12	
Sirmium	15 30	1 0	
ILLYRIDIS			
Iadera	15 20	1 20	
Sidrona	15 26	1 10	
Salone	15 15	1 10	
Narbona	15 15	1 0	
Scardona Inſula	15 29	1 20	

Verſus Occaſum

Universidad de Deusto
Biblioteca




EVROPÆ TABVLA VI.

COntinet Tabula hæc ITALIAM, & CYRNVM, siue Corsicam Insulam, quæ Therapne ab Ouidio nuncupata fuit; cum Insulis Italiæ adiacentibus. Medius huius Tabulæ meridianus est gr. 35. & parallelus eius medius est gr. 41. 45. qui habet ad meridianum proportionem subsesquitertiam, hoc est sicut tria ad quattuor. Circunscribitur Tabula ipsa ab Ortu sinu Adriatico, & Mari Ionio: à Meridie Mari Thyrreno, atque Ligustico: ab Occasu Alpium montibus, atque Gallia: à Septentrione Alpibus, quæ sub Rhætia, & Vindelicia sunt, atque Alpino monte, qui sub Norico est, uocaturque Caruanga, & parte sinus Adriatici.

Insigniorum Ciuitatum in ea contentarum cęlestis supputatio.

	Dies Maximus. Hor.	min.	Distan. à mer. Alex. Hor.	min.	
ITALIAE					
Roma Regia	15	5	1	30	
Nicea Massilienſium	15	15	2	10	
Tarracinæ	15	0	1	30	
Neapolis	15	ferè	1	20	
Brunduſium	14	50	1	12	
Ancona	15	20	1	35	
Rauenna	15	20	1	40	Verſus Occaſum
Aquileia	15	30	1	45	
Beneuentum	15	0	1	15	
Capua	14	0	1	20	
CORSICAE					
Valeria	14	55	2	ferè	
Mariana	15	0	2	ferè	

Universidad de Deusto
Biblioteca




EVROPÆ TABVLA VII. 9

COmplectitur Tabula hæc duas Insulas, nempe SARDINIAM, quę Sandaliotis a Timæo, & Ichnusa à Myrsilio dicitur, referente Plinio: & SICILIAM, quæ Sicania, & Trinacria, aut Triquetra Plinio etiam teste uocatur, & Trinacris apud Ouidium libro 4. Fastorum. Medius huius Tabulę Meridianus est gr. 35. & parallelus medius est gr. 37. & semis, qui habet ad Meridianum proportionem subsesquiquartam, hoc est sicut quattuor ad quinque. Circunscribitur Tabula ipsa ab omni parte Pelago: ab Ortu Adriatico: à Meridie Africano: ab Occasu Sardoo: & à Septentrione Ligustico.

Ciuitates insigniores, in quibus cœlestes obseruationes factæ fuerunt, sunt hæ.

	Dies Max. Hor.	min.	Dist. à mer. Alex. Hor.	min.	
SARDINIAE					
Susaleos	14	30	1	55	Versus Occasum
Carallis	14	30	1	50	
Turris Byssonis	14	45	2	ferè	
Gurulis noua	14	35	2	0	
SICILIAE					
Lilybæum	14	30	1	30	
Syracusæ	14	35	1	20	
Messena	14	45	1	20	
Centuripæ	14	40	1	20	
Segesta	14	32	1	30	
Catana	14	30	1	20	

Universidad de Deusto
Biblioteca




EVROPÆ TABVLA VIII.

OCtaua hæc Europæ Tabula habet SARMATIAM, ideſt Poloniam, & Ruſſiam, & TAVRICAM CHERSONNESVM, quæ Scythica Straboni dicitur, hoc eſt Scytharum Regio. hanc uero Taurorum Pæninſulam Plinius nominat, & ea in Septentrionalem & Meridionalem à nonnullis diſcriminatur. Septentrionalem *Gazariam*, Meridionalem *Gothiam* nominant. Medius huius Tabulæ Meridianus eſt gr. 57. & parallelus ipſius medius per tranſiens per gr. 54. cum ſemiſſe habet ad Meridianum proportionem ſubſeſquipartientem nouem undecimas, hoc eſt quam habet 11. ad 20. Terminatur uero Tabula ipſa ab Oriente Boſphoro Cimmerico, & Męotide Palude, ac Tanai fluuio iuxta Sarmatiam Aſianam: a Meridie Pontico Mari, & parte Myſiæ inferioris, & Dacia, ac Iazygibus Metanaſtis: ab Occaſu montibus Sarmatiæ, ac Germania, & Viſtula fluuio: a Septentrione Venedico ſinu, & Sarmatico Oceano, ac Terra incognita.

Ciuitates inſigniores ob obſeruationes cœleſtes in eas factas.

	Max. Dies Hor.	min.	Diſt. à mer. Alex. Hor.	min.	
SARMATIÆ					
Tamyraca	16	0	0	4	
Naubarum	16	15	0	8	
Olbia, quæ & Boryſthenes	16	0	0	12	Verſus Occaſum
TAVRICÆ					
Theodoſia	15	50	0	12	
Panticapæa	15	50	0	15	

Universidad de Deusto
Biblioteca



EVROPÆ TABVLA IX.


COntinet Nona hæc Europæ Tabula IAZYGES METANASTAS, quorum regio nunc *Cumanorum campus* dicitur, DACIAM, cuius populos Dacos, Dauos antiqui appellarunt: MYSIAM SVPERIOREM, MYSIAM INFERIOREM, & THRACIAM, quæ Aria, & Perca etiam dicitur Stephano, Odryse Suidæ, & Creſtona alijs. Huius Tabulæ medius Meridianus eſt gr. 51. & parallelus medius gr. 44. & ſemis, qui habet ad Meridianum proportionem ſicut 43. ad 60. Terminatur autem Tabula ipſa ab Oriente Pontico mari, & Thracio Boſphoro, atque Propontide, & Helleſponto. A meridie Aegeo pelago, & Macedonia. Ab Occaſu Pannonia inferiori, atq; Dalmatia. A Septentrione Sarmatia Europea.

Ciuitates inſignes, in quibus factæ ſunt cœleſtes obſeruationes.

	Max. Dies. Hor.	min.	Diſt. à mer. Alex. Hor.	min.	
IAZYGVM					
Gormanum Iazygum —	16	0	1	5	
DACIAE					
Salinæ ———	15	50	0	40	
Zarmiſegethuſa Regia —	15	30	1	ferè	
MYSIAE SVPERIORIS					
Retiaria ———	15	15	0	45	
Scupi ———	15	10	0	50	
MYSIAE INFERIORIS					
Odeſſus ———	15	30	0	20	
Oeſcus ———	15	20	0	40	
THRACIAE					
Aenus ———	15	0	0	30	
Apollonia ———	15	20	0	20	
Byzantium ———	15	15	0	20	
Perinthus ———	15	10	0	20	
Nicopolis ———	15	15	0	35	
Lyſimachia ———	15	0	0	25	
Præconeſus ———	15	8	0	20	ferè
CHERSONESI					
Elæus ———	15	26	0	25	
Seſtos ———	15	0	0	20	

} Verſus Occaſum

Universidad de Deusto
Biblioteca




EVROPÆ TABVLA X. & VLTIMA.

VLtima Europę Tabula complectitur MACEDONIAM, Ematiam antea dictam Plinio teſte, & Pęoniam Liuio: EPYRVM Chaoniam olim dictã: ACHAIAM, quæ Olenus, Ionia, & Ias apud Diodorum uocatur, & Aegialos apud Plinium: PELOPONNESVM, olim Apia, & Pelaſgia Plinio teſte vocata, & hodie *Morea:* INSVLASQ. CRETAM hodie *Candia* vocatam, & EVBOEAM hodie *Negroponte* dictam, cum reliquis adiacentibus Inſulis. Medius huius Tabulę Meridianus eſt gr. 50. & parallelus ipſius medius gr. 38. 15. habet ad Meridianũ proportionẽ ſubſuperpartientẽ duas ſeptimas, hoc eſt ſicut ſeptẽ ad nouẽ. Terminatur Tabula ipſa ab Oriente Aegeo pelago, Myrthooq́; & Carpathio: à Meridie Adriatico pelago, & Libyco: ab Occaſu Ionio pelago, & Adriatico: à Septẽtrione Dalmatia, Thracia, & Myſia ſuperiori.

Ciuitatum aliquot celebrium cęleſtes obſeruationes.

	Dies max. Hor.	min.		Diſt. à mer. Alex. Hor.	min.	
MACEDONIAE						
Dyrrachium	15	0		1	0	
Theſſalonica	14	56		0	40	
Amphipolis	15	0		0	40	
Heraclea	15	0		0	50	
Aedeſſa	14	55		0	45	
Pella	14	55		0	40	
Lariſſa Pelaſgien.	14	50		0	40	
Caſandria	14	55		0	40	ferè
Lemnos Inſula	15	0		0	32	
EPYRI						
Nicopolis	14	30	ferè	0	50	
Ambracia	14	40		0	50	
Corcyra	14	38		1	0	ferè
Cephalenia Inſula	14	35		0	50	
ACHAIAE						Verſus Occaſum
Thebe	14	40		0	30	
Megara	14	38		0	34	
Athenæ	14	35		0	30	
PELOPONNESI						
Meſſena	14	25		0	40	
Corynthus	14	35		0	38	
Tegea	14	30		0	40	
Argos	14	30		0	38	
Lacedęmon	14	25		0	40	
Chalcis in Euboea	14	40		0	25	
Caryſtus	14	40		0	24	
CRETAE						
Gortyna	14	30		0	25	
Gnoſſus	14	25		0	25	

Universidad de Deusto
Biblioteca



AFRICÆ PRIMA TABVLA.


AMbas MAVRITANIAS complectitur Prima Africæ Tabula, TINGITANAM scilicet,& CAESARIENSEM. TINGITANAM Bogudianam aliquando fuisse cognominatam asserit Plinius, Sitiphensis, & Hispania transfretana Sexto Rufo dicitur, & à Solino Inferior Mauritania. CAESARIENSIS uerò à Pomponio Numidia vocatur. Medius eius Meridianus est gr. 16. & parallelus medius gr. 31. 20. habet ad Meridianum proportionem subsuperbipartientem duas tertiasdecimas. hoc est sicut 13. ad 15. Terminatur autem Tabula ipsa ab Oriente Africa: à Meridie interiori Lybia iuxta Getuliam: ab Occasu Occidentali Oceano: à Septentrione freto Herculeo, & Iberico pelago, atque Sardoo.

Insignes Ciuitates, in quibus factæ fuerunt cœlestes obseruationes.

	Dies Max. Hor. min.		Dist. à Mer. Alex. Hor. min.		
MAVRITANIAE TINGITANAE					
Tingis	14	30 ferè	3	35	
Lixa	14	20	3	35	
Volubilis	14	15	3	30	ferè
Zilia	14	25	3	35	
MAVRITANIAE CAESARIENSIS					
Cartena	14	20	3	0	
Iulia Cæsarea	14	15	2	55	
Salde	14	10	2	30	
Oppidum nouum	14	15 ferè	3	ferè	
Zuchabari	14	15	2	50	
Tubusuptus	14	5	2	30	

In Occasum.

Universidad de Deusto
Biblioteca




AFRICÆ SECVNDA TABVLA.

HAbet Secunda hæc Africæ Tabula AFRICAM MINOREM, cum Insulis, quę circa ipsam sunt. Cuius medius Meridianus est gr. 37. & parallelus medius gr. 31. & semis habet ad Meridianum rationem subsuperbipartientem duas decimastertias, nempè ueluti 13. ad 15. Terminatur uerò Tabula ipsa ab Oriente Cyrenaica: à Meridie interiori Libya iuxta Getuliã, & Eremum: ab Occasu Mauritania Cæsariensi: à Septentrione pelago Afro.

Ciuitates insignes, quarum cęlestis habita est ratio.

	Max. Dies Hor.	min.	Dist. à mer. Alex. Hor.	min.	
Thabraca	14	12	2	ferè	Versus Occasum.
Vtica	14	15	1	50	
Carthago	14	15	1	40	
Adrumentum	14	15	1	30	
Leptis magna	14	8	1	5	
Cirta Iulia	14	5	2	15	
Sicca Veneria	14	2	2	0	
Bullaria	14	5	2	fere	
Vthina	14	5	1	40	
Thysdrus	14	10	1	30	
Mininx Insula, & Ciuitas	14	5	1	20	
Cossyra Insula	14	20	1	30	
Melite Insula	14	20	1	20	

Universidad de Deusto
Biblioteca



AFRICÆ TABVLA III.


COmplectitur hæc Tabula AEGYPTVM, MARMARICAM, & CYRENAICAM cum Inſulis adiacentibus. AEGYPTVS etiam Aeria, Aetia, Potamia, Ogygia, Melambolos, Hephæſtia, atque Aethiopia Hiſtoricis uocata eſt. MARMARICA uerò Plinio Mareotis Libya dicitur. Barca Virgilio, & hodie *Barcha*. CYRENAICA. etiam Cyrene dicitur, & Plinio Pentapolis. Medius huius Tabulæ Meridianus eſt gr. 56. & parallelus medius gr. 26. 15. habet ad Meridianum proportionem, quam habet 53. ad 60. Terminatur Tabula ipſa ab Ortu Iudæa, Arabia Petrea, ſinu Arabico: a Meridie Interioris Libyæ deſerto, & Aethiopia, quæ ſub Aegypto eſt: ab Occaſu Africa, & magna Sirte, & parte interioris Libyæ: à Septentrione Lybico pelago, & Aegyptio.

Ciuitatum aliquot inſigniorum cœleſtes obſeruationes.

	Max. Dies Hor.	min.	Diſt. à Mer. Alex. Hor.	min.	
CYRENAICAE					
Berenice	14	5	0	50	Verſus Occaſum.
Arſinoe	14	5	0	45	
Ptolemais	14	5	0	40	
Apollonia	14	5	0	40	
Cyrene	14	5	0	40	
AEGYPTI MARMARICAE					
Cherſonneſus magna	14	5	0	30	
LIBYAE					
Parentonium	14	5	0	15	
Alexandria	14	30	0	0	
Peluſium	14	5	0	12	Verſus Ortum.
Memphis	13	57	0	8	
THEBAIDIS					
Ptolemai Heruij	13	45	0	8	
Dioſpolis magna	13	40	0	8	
Syene	13	30	0	8	In Ortum.
Ammon	13	50	0	20	
Oaſſis magna	13	45	0	2	In Occaſum.
Myſormus	13	45	0	15	
Berenice	13	30	0	15	In Ortum.

Alexandria diſtat à Meridiano Fortunatarum Inſularum horis quattuor uerſus Solis Ortum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



AFRICÆ TABVLA IIII.

COmplectitur quarta Africæ Tabula LIBYAM INTERIOREM, ab incolis appellatam *Beled la Abid*, uel *Beled Geneua*: ÆTHIOPIAM, QVÆ SVB ÆGYPTO est, habitaturq; ab Abyssinis, & ÆTHIOPIAM INTERIOREM cum Insulis sibi adiacentibus. Medius Tabulæ huius Meridianus est gr. 42. & parallelus eius medius est gr. 9. habens ad Meridianum eandem ferè rationem. Terminatur autem Tabula ipsa ab Ortu Arabico sinu, & Mari Rubro, ac sinu Barbarico, & parte Indici Pelagi: a Meridie Terra incognita: ab Occasu Oceano Occidentali: a Septentrione Mauritanijs duabus, & Africa, ac Cyrenaica, Aegyptoque.

Ciuitates, in quibus factæ sunt cœlestes obseruationes, sunt hæ.

	Max. Dies Hor. min.		Dist. ab Alex. Mer. Hor. min.		
LIBYÆ INTERIORIS					
Antolalæ	13	30	3	20	
Iarzitha	12	45	3	ferè	
Thamondocana	13	5	2	30	Versus Occasum.
Gira	13	8	1	38	
Garama	13	20	1	9	
AETHIOPIAE SVB ÆGYPTO					
Napata	13	15	0	10	
Meroe	13	0	0	4	
Ptolemais ferarum	13	0	0	24	
Adulis	12	40	0	30 ferè	Versus Ortum.
Dire	12	40	1	0	
Mosylum	12	30	1	15	
Aromata	12	20	1	30	

Universidad de Deusto
Biblioteca

ASIÆ TABVLA PRIMA.

PRima Asiæ Tabula, quæ nunc *Natolia* est, continet PONTVM, quam Helenopontum nuncupari uoluit Iustinianus Imperator; BITHYNIAM, quæ olim Mygdonia, & Bebrycia dicta fuit, ASIAM propriè dictam, seu minorem, quę Straboni Asia intra Taurum dicitur: LYCIAM, quæ olim Mylias, & Ogygia dicebatur: GALATIAM, Straboni Gallogræciã dictam: PAMPHILIAM, quæ etiã Mopsopia dicitur, nunc *Setilia*, & est Caramaniæ pars: CAPPADOCIAM quæ & Leucosyria uocatur, & hodie *Almasia:* ARMENIAM minorẽ, quæ prima nuncupatur, & CILICIAM, quæ est altera Caramaniæ pars à Iosepho, & Stephano Tarsus dicta, hodie uero *Turcomania, & Finichia*. Huius uerò Tabulæ medius Merid. est gr. 64. & parallelus p eius mediũ gr. 39. 45. qui rationẽ habet ad Merid. subsesquitertiã, hoc est sicut tria ad quattuor. Terminatur aũt Tabula ipsa ab Ortu Armenia maiori, & parte Syrię: ab Austro mari Carpatio, & Lyciaco, Pãphilioq;, & angustijs Cilicię, & Sinu Issico: ab Occasu mari Thracio, Bosphoro, & Ægeo pelago, ac Icario, & Myrtoo: ab Arctico põtico mari

Insigniorum in ea Ciuitatum cœlestes obseruatiõnes.


	Max. Dies.	Dist. ab Ale. mer.	
BITHYNIÆ.	Hor. min.	Hor. min.	
Calcedon	15. 15	0. 15	
Nicomedia	15. 15	ferè 0. 10	
Apamia	15. 5	0. 12	
Heraclea Ponti.	15. 15	0. 4	
Nicea	15. 8	0. 10	
ASIÆ PROPRIÆ			
Cyzicus	15. 0	0. 15	versus Occasũ
Alexãdri Troas.	15.	ferè 0. 20	ferè Occasũ
Pergamus	14. 55	0. 12	
Smyrna	14. 45	0. 8	
Ephesus	14. 40	0. 12	
Myletus	14. 38	0. 8	
Cnidus	14. 30	0. 15	
Sardis	14. 45	ferè 0. 8	
Magnesia	14. 40	0. 8	
Apamia Phryigiæ	14. 45	0. 0	sub Alex.
Cibyra	14. 53	0. 0	Merid.
Mitylene	14. 58	0. 15	Versus
Chios	14. 45	0. 15	Occasum.
Rhodos	14. 30	0. 8	
LYCIÆ			
Patara	14. 30	sub Alex. Merid.	
Andriaca	14. 30	0. ferè	Versus
Myra	14. 35	parum	Ortum

	Max. di.	Dist. ab Ale. mer.	
GALATIÆ.	H. m.	H. m.	
Sinope	15. 20	0. 15	
Amisus	15. 15	0. 20	
Ancyra	15. 8	0. 10	ferè
Germa	15. 8	parũ qd	
Pessenus	15. 0	parum	
PAMPHILIÆ			
Sida	14. 30	0. 12	
Perga	14. 35	0. 8	
Aspendus	14. 35	0. 8	
Termessus	14. 38	0. 8	
CAPPADOCIÆ			
Trapezus	15. 15	0. 40	
Comana Pontica	15. 5	0. 30	ferè
Maza	14. 50	0. 24	
ARMENIÆ MINORIS			
Comana Cappadociæ	14. 45	0. 30	
Melitena	14. 50	0. 20	
Nicopolis	15. 0	0. 20	
Satala	15. 8	0. 40	
CILICIÆ			
Celenus	14. 30	0. 15	
Põpeiopolis	14. 35	0. 30	ferè
Mallos	14. 30	0. 34	
Tarsus	14. 35	0. 30	
Adana	14. 35	0. 32	

Versus Ortum.

C

Universidad de Deusto
Biblio




SARMATIÆ ASIATICÆ, TABVLA ASIAE SECVNDA.

SEcunda hæc Asiæ Tabula complectitur SARMATIAM ASIATICAM nunc *Moscouiæ* partem. Cuius medius Meridianus est 75. & parallelus eius medius est gr. 54. habens ad Meridianum proportionẽ subsuperpartientem quinque septimas, hoc est sicut 7. ad 12. Terminatur autem ipsa Tabula ab Ortu Scythia, & parte Caspij maris: ab Austro Albania, & Iberia, & Colchide, & parte Euxini Ponti: ab Occasu Palude Mœotide, atque Sarmatia Europea: ab Aquilone Terra incognita.

Insigniores ciuitates, in quibus habita est cœlestis ratio, sunt hæ.

	Max. Dies Hor. min.	Dist. à Mer. Alex. Hor. min.	
Hermonassa	15 50	0 30	
Oenanthia	15 45	0 40 ferè	Ad Ortum.
Tanais	17 10	0 30 ferè	Ad Ortum.
Tyrambe	16 5	0 40 ferè	Ad Ortum.
Nauaris	17 15	0 40	

Universidad de Deusto
Biblioteca



ASIÆ TABVLA III.


CONtinet Tertia Asiæ Tabula COLCHIDEM, cuius incolas Lazos nonnulli uocant: IBERIAM, seu Caucasum: ALBANIAM hodie Zuiram, & ARMENIAM maiorem, seu secundam, nunc Turcomaniam dictam. Huius Tabulæ medius Meridianus est gr. 77. & parallelus medius gr. 42. 40. habens ad Meridianum proportionem subsuperpartientem quattuor undecimas, hoc est sicut 11. ad 15. Terminatur autem Tabula ipsa ab Ortu parte Caspij Maris, & parte Mediæ: ab Occasu Cappadocia, & parte Euxini ponti: à Meridie Assiria, & Mesopotamia: ab Arctis Sarmatia Asiatica.

Ciuitates insigniores, in quibus habitæ sunt cœlestes obseruationes, sunt hæ.

	Max. Dies Hor. min.			Dist. à mer. Alex. Hor. min.		
COLCHIDIS						
Dioscuria	15	45		0	44	
Phasis	15	30	ferè	0	50	
IBERIÆ						
Artanissa	15	40		1	0	
Armactica	15	30	ferè	1	0	
ALBANIÆ						
Gatara	15	30		1	20	ferè
Albana	15	30		1	26	
ARMENIÆ MAIORIS						
Artaxata	15	10		1	12	
Armauria	15	15		1	6	
Thospia	14	52		1	ferè	
Artemita	14	55		1	15	ferè
Arsamosata	14	0		0	50	

} Versus Orietem.

Universidad de Deusto
Biblioteca




ASIÆ TABVLA IIII.

HAbet hæc Quarta Asię Tabula CYPRVM, SYRIAM, quę Hebręis Arã, uel Charã dicitur, cuius pars est Palęstina, q̃ & Iudęa: ARABIAM PETRÆAM, quæ Straboni, & Plinio est Nabatæa: MESOPOTAMIAM: ARABIAM DESERTAM, quã alij inferiorẽ, & asperã Arabiã dicũt; BABYLONIAM, q̃ Sinear à Moise uocatur. Medius huius Tabulę Meridianus est gr. 72. & parallelus medius est gr. 33. & semis, habẽs ad Meridianũ proportionẽ subsesquiquintã. Terminatur autẽ Tabula ipsa ab Ortu Assyria, & Susiana, & parte Sinus Persici: ab Austro parte eiusdẽ Persici sinus, fęlici Arabia, & interiori parte Sinus Arabici: ab Occasu parte Ægypti, & mari Ægyptio, Syriaco, atq; Pãphilio, ac Issico Sinu, & Cilicia: ab Arctis angustijs Cilicię, & parte Cappadocię, & maioris Armenię.

Celebrium in ea Ciuitatum obseruationes cęlestes, sunt hæ.

	Max. Dies Hor.	min.		Dist. à Mer. Alex. Hor.	min.		
CYPRI							
Paphus	14	25		0	15		
Amathus	14	25		0	24		
Salamis	14	30	ferè	0	28		
SYRIÆ							
Laodicia	14	25		0	34		
Hierapolis	14	32		0	44		
Apamia	14	25		0	40		
Palmyra	14	15		0	50		
Heliopolis	14	15		0	34		
Panias Cæsarea	14	15		0	30	ferè	
Damascus	14	15		0	34		
IVDÆÆ							
Cæsarea Stratonis	14	4		0	25		
Ascalon	14	8	ferè	0	20		
Neapolis	14	8		0	28		Versus Ortũ.
Ælia Capitolia. Hierosolyma.	14	8		0	24		
ARABIÆ PETRÆÆ							
Petra	14	0		0	26		
Medaba	14	2		0	34		
Bostra	14	8		0	40	ferè	
MESOPOTAMIÆ							
Edessa	14	40		0	50		
Nisibis	14	40		1	0		
Nicephorium	14	25		0	54		
Lambana	14	30		1	10		
Seleucia	14	30	ferè	1	15		
BABYLONIÆ							
Babylon	14	25		1	15		
Barsita	14	20		1	15	ferè	
Vrchoa	14	15	ferè	1	15	ferè	
Teredon	14	5		1	20		

Universidad de Deusto
Biblioteca




ASIÆ TABVLA X.

COmplectitur hæc Tabula ASSYRIAM, quæ postea Adiabene Plinio teste dicta fuit: MEDIAM, olim Ariam uocatam: SVSIANAM, quæ Susay, Cus, Cusistam, & Arphassad dicitur: PERSIDEM: PARTHIAM, quæ Arach, Chorasan, & Iex alijs dicitur: CARMANIAM DESERTAM, quæ Dulcinde, Narsinga, & Cherman ab aliquibus nuncupatur. Medius Meridianus est gr. 88. & medius parallelus est gr. 36. 50. qui habet ad Meridianũ rationem subsesquiquartam, hoc est, sicut quattuor ad quinque. Terminatur autem Tabula ipsa ab Ortu Aria: ab Austro Carmania, & Sinu Persico: ab Occasu Babylonia, & Mesopotamia, & parte maioris Armeniæ: à Septentrionibus Hyrcani maris parte, & regione Hyrcaniæ.

Ciuitates celebres quarum situs ex cœlestibus obseruationibns habetur, sunt hæ.

	Max. Dies Hor.	min.		Dist. à Mer. Alex. Hor.	min.		
ASSYRIÆ							
Ninus, quæ & Niniue	14	35		1	12		
Arbela	14	38		1	20		
Ctesiphon	14	25		1	20		
SVSIANÆ							
Susa	14	20		1	35		
Tariana	14	12		1	30	ferè	
MEDIÆ							
Cyropolis	15	0		1	40		
Ecbatana	14	40		1	50		ad Ortum.
Arsatia	14	30		1	54		
Europus	14	35		2	15	ferè	
PERSIDIS							
Axima	14	20	ferè	1	50		
Persopolis	14	15		2	4		
Marassium	14	20		2	10		
Taoca	14	0		2		ferè	
PARTHIÆ							
Hecatompylus	14	40		2	20		
Ambrodax	14	45	ferè	2	20	ferè	
Artacana	14	40		2	24		

Universidad de Deusto
Biblioteca



ASIÆ TABVLA VI.


TAbula hæc complectitur ARABIAM FOELICEM, quæ Solino Beata dicitur, & Virgilio Panchaia, hodie Aiman, & CARMANIAM, quæ Maior à quibusdam cognominatur, nunc verò *Turquestan, & Heracaian.* Medius huius Tabulæ Meridianus est gr. 84. & parallelus medius gr. 19. habet ad Meridianum rationem subsesquiquintam, hoc est sicut quinque ad sex. Terminatur autem Tabula ipsa ab Ortu Gedrosia, & Indico Pelago: ab Austro Pelago Indico, & mari Rubro: ab Occasu Sinu Arabico: à Septentrionibus utraque Arabia Petrea, & Deserta, ac Sinu Persico, & Caramania deserta.

Ciuitates insigniores, in quibus factæ sunt cœlestes obseruationes, sunt hæ.


	Dies Max. Hor.	min.		Dist. à mer. Alex. Hor.	min.	
ARABIÆ FOELICIS						
Badeo	13	15		0	40	
Pudni	13	0		0	50	
Muza Emporium	12	30		1		ferè
Ocelis	12	45		1	0	
Arabia Emporium	12	45	ferè	1	20	
Cane	12	45		1	40	
Gerra	13	30		1	20	
Mara	13	8		1	4	
Omanum	13	15		1	10	
Menambis	13	0		1	0	
Sabbatha	13	0		1	8	
Sabe	12	45		1	4	
Sapphar	12	45		1	50	
Insularum, quæ circa Arabiam sunt.						
Dioscoridis Insula	12	36		1	46	
Sarapidis Insula	13	5		2	15	
Apphana Insula	13	50		1	24	
CARMANIÆ						
Armuza	13	30		2	15	
Samydace	13	28		2	40	
Carmana regia	13	55		2	40	
Carmina Insula	13	8	ferè	2	45	

Versus Ortum.


Universidad de Deusto
Biblioteca


TABVLA ASIAE VII.
Maximus Hor. XIX.
Maximus Hor. XVIII. min. 30.
Maximus Hor. XVII.
Maximus Hor. XVII. min. 30.
Maximus Hor. XVI. min. 30.
Maximus Hor. XVI.
Maximus Hor. XV. min. 30.
Maximus Hor. XV.
Max. Hor. XIV. min. 30.
Max. Hor. XIV.
Max. Hor. XIII. min. 30.
Max. Hor. XIII.
Max. Hor. XII. min. 30.
Max. Hor. XII.
Max. Hor. XI. min. 30.
Max. Hor. XI.
Max. Hor. X. min. 30.
Max. Hor. X.
Max. Hor. IX. min. 30.
Max. Hor. IX.
Max. Hor. VIII. min. 30.
Max. Hor. VIII.
Parallelus XXI Dier.
Parallelus XX Dier.
Parallelus XIX Dier.
Parallelus XVIII Dier.
Parallelus XVII Dier.
Parallelus XVI Dier.
Parallelus XV Dier.
Parallelus XIV. Dier.
Parallelus XIII Dier.
Par. XII Dier.
Par. XI Dier.
Par. X Dier.
Par. IX Dier.
Par. VIII Dier.
Par. VII Dier.
Par. VI Dier.
Par. V Dier.
Par. IV Dier.
Par. III Dier.
Par. II Dier.
Par. I Dier.
Scythi.
Sarthiani.
Alani Scythæ.
Hyperborei montes.
SCYTHIA
Rhobon
Mologeni.
Asmani.
Paniardi.
Rhymnici montes.
Rha fl.
Rha fl.
Oaxis fl.
Dasi fl.
Hyrcanus mons.
Suphani montes.
Suphani.
Sirbi.
Alani montes.
Zarabe.
IMAVM.
Galacto
Aspachagi.
Arpi Thagi.
Tybiace montes.
Norosi montes.
Namastre.
Sarmatiæ Asiaticæ Corax Pars.
Sauari montes.
Tapyri montes.
Tapyri.
Tapyri mist.
Asiatica mons.
Saca.
Turris Lapidea
Imaus mons.
Imaus montes.
Caratt.
Comedorum regio.
Comedi montes.
Caucasij montes.
Imaus mons.
Iaxartes
Iaxartes fl.
Demus fl.
Bactrianus fl.
Oxus fl.
Dargidus.
Sogdi montes
SOGDIANA
Alexandria
Iaxartes fl.
Sogdi.
Dargomanis fl.
BACTRIANA
Zariaspis
Bactra
Orthus fl.
MARGIANA
Margus fl.
Asphabota
Mare Hyrcaneum
sive
Caspium.
Hyrcaniæ Pars.
Armeniæ Pars.
Media Pars.
Assyriæ Pars.
Carmaniæ Deserta Pars.
Carmaniæ pars.
Persiæ Pars.
Susianæ Pars.
Sinus Persicus.
Indiæ Pars.
Indiæ intra Gangem Pars.
Indus fl.
Paropanisi Pars.
Achosiæ Pars.
Arachosiæ Pars.
Drangianæ Pars.
Cedrosiæ Pars.
Indus fl.
Ganges fl.
Indiæ intra Gangem Pars.
Indus fl.
Indiæ Pars

Universidad de Deusto
Biblioteca


TABVLA ASIAE VIII.
Parallelus. 21. Per Thylem
Parallelus. 20.
Parallelus. 19.
Parallelus. 18.
Parallelus. 17.
Parallelus. 16. Diarhodos.
Parallelus. 15. Diarhodos. Par. 9.
Parallelus. 14. Par. 8. Dialexadr.
Par. 7.
Par. 6.
Par. 10. Diarhodos.
Par. 11. Diarones.
Par. 12. P. Byzantium.
Par. 13.
Par. 14.
Par. 15.
Par. 16.
Par. 17.
Par. 18.
Par. 19.
Par. 20.
Par. 21.
Sera.
SINA REGIO.
Ottorocora.
Thogani.
Issedones
Asmirea.
Asmirei mons
Serica
Occhardes fl.
Damnæ
Pialæ
Damna
Piala
Garingi.
Amibæ mons.
Annibi.
Sisygef. montes
Auxacisf. montes
Auxacia
Isedon. Regio.
Cassia Regio.
Chatæ Scythæ.
SCYTHIA EXTRA IMAVM.
Achassa Regio.
Chauranæi Scythæ.
Seta.
Gangef. fl.
INDIA INTRA GANGEM.
INDIA EXTRA GANGEM.
Emodi montes.
Thaurus mons
Baktr.
Oxus fl.
Iaxartes fl.
Imaus mons
SCYTHIA INTRA IMAVM.
Asij Scythæ
Hippophagi.
SACAE
Per Thylem
Diarhodos.
Diarhodos.
Dialexadr.
Diarones.
P. Byzantium.
Diarhodos.
Diarhodos.
Diarhodos

Universidad de Deusto
Biblioteca



ASIÆ TABVLA IX.


HÆc Nona Asiæ Tabula complectitur ARIAM, quæ Castaldo *Hetia* dicitur, & *Turqueſtan* Pineto; PAROPANISVM, quæ hodie *Sableſtan* Castaldo uocatur: DRANGIANAM, quæ hodie dicitur Mercatori *Segiſtan*, uel *Segeſtan*, ut alii habent: ARACHOSIAM, quæ Mercatori *Cheſimur*, & Castaldo *Cabul* uocatur: GEDROSIAM, quæ Mercatori *Geſt*, Castaldo *Circan*, & *Guſarate* Girauæ, & aliis dicitur. Medius huius Tabulæ Meridianus est gr. 111. & parallelus eius medius est gr. 28. qui habet ad Meridianum rationẽ subsuperbipartientem decimas tertias, hoc est sicut 13. ad 15. Circunscribitur autem Tabula ipsa: ab Ortu India: à Meridie Indico pelago: ab Occasu utraque Carmania, & Parthia: ab Arctis Margiana, & Bactriana.

Ciuitates, quarum cœlestis obseruata est ratio, sunt sequentes.

	Max. Dies. Hor.	min.	Dist. à Mer. Alex. Hor.	min.		
ARIÆ						
Aria	14	25	3	0		
Bitaxa	14	45	2	55		
Alexandria Ariæ	14	30	3	20		
PAROPANISI						
Naulibis	14	28	3	45	ferè	
Carura	14	25	3	50		
DRANGIANÆ						
Prophthasia	14	12	3	20		In Ortum.
Ariaspa	13	50	3	15	ferè	In Ortum.
ARACHOSIÆ						
Alexandria	14	5	3	36		
Arachotus	14	0	3	52		
GEDROSIÆ						
Cuni	13	45	3	20		
Musarna	13	45	3	40		
Arbis	13	30	3	0		

In Arbi autem Ciuitate Sol semel in anno fit supra uerticem in ipso æstiuo Tropico: Et hoc dicimus, quia Sol propè ipsum est Tropicum. Sciendum autem, quòd cum distat tertia parte unius magni gradus, qui in Zodiaco tres efficit, tum non semel in anno, sed bis necesse est, Solem fieri supra uerticem, quando scilicet distat à Tropico æstiuo ab utraque parte gradibus tribus, sicut in alijs Ciuitatibus præscriptum est, quæ in eadem parte latitudinis sitæ sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca




ASIÆ TABVLA X.

DEcima Asiæ Tabula continet INDIAM INTRA GANGEM fluuium, quæ *Indostan* ab incolis dicitur, cum adiacentibus insulis. Medius huius Tabulæ Meridianus est gr. 128. & parallelus eius medius est gr. 24. & semis, qui rationem habet ad Meridianum subsesquiundecimam, hoc est sicut undecim ad duodecim. Terminatur autem Tabula ab Ortu India extra Gangem: ab Austro parte Gangetici Sinus, & Indici Pelagi: ab Occasu Gedrosia, & Arachosia, & Paropanisadis: ab Arctis parte Imai montis, quæ sub Sogdianis, & Saccis est.

Insignes in ea Ciuitates, quarum cœlestes obseruationes factæ sunt.

	Max. Dies Hor.	min.		Dist. à Mer. Alex. Hor.	min.		
Symilla	12	50		3	20		Ad Ortum.
Muziris, uel Muceris emp.	12	45		3	50		
Chaberis	12	58		4	34	ferè	
Palura	12	40		5	8		
Caspira	14	5	ferè	4	30	ferè	
Bucephala	14	0		4	22		
Palibothra	13	45		5	32		
Patala	13	20	ferè	3	50		
Barbari	13	27		3	32		
Barigaza	13	5		3	32		
Ocena	13	15		3	50	ferè	
Bœthana	13	8		3	50	ferè	
Hippocura	13	12		4	ferè		
Carura	13	0		4	ferè		
Modura Pandionis	13	0		4	20		
Orthura	13	0		4	40		
Pithynda	12	45		5	0		

Universidad de Deusto
Biblioteca




ASIÆ TABVLA XI.

VNdecima Asię Tabula complectitur INDIAM EXTRA GANGEM, quæ *Heuila*, uel *Euilath*, & *Macyn*, uel *Magyn* incolis dicitur, & SINAS, quæ *China* hodie Ortelio est, cum tamen alij *Chinam* sub India extra Gangem ponant. Medius huius Tabulæ Meridianus est gr. 160. & parallelus medius gr. 14. qui habet rationem ferè eandem, quam Meridianus. Circunscribitur autem Tabula ipsa ab Ortu Terra incognita: ab Austro Sinu magno, & Gangetico, qui in Pelago sunt Indico: ab Occasu India intra Gangem: à Septentrionibus parte Saccarum, & Scythia extra Imaum montem, atque Serica.

Insigniorum Ciuitatum cœlestes obseruationes.

	Dies Max. Hor.	min.	Dist. à mer. Alex. Hor.	min.	
INDIÆ EXTRA GANGEM					
Tacola	12	15	6	40	
Zabe	12	16	7	20	
Tosala	13	30	6	0	
Tugma	13	25	6	10	
Triglyphon, uel Trilingum	13	8	6	15	
Marcura	12	45	6	30	
Rhandamarcotta	13	45	7	30 ferè	} Ad Ortum.
Argentea Metrop.	12	30	7	8	
SINARVM					
Aspithra	13	0	7	42	
Sinæ Metropolis	12	48	8	ferè	
Cattigara Statio	12	30	7	45	

Universidad de Deusto
Biblioteca



ASIÆ TABVLA XII.

ASiæ XII. Tabula continet TAPROBANAM Inſulam cum cęteris Inſulis circa ipſam. Quæ quidem Taprobana olim Simundi,& poſtea Salica dicta fuit. Hodie *Zeilan* nonnullis dicitur,& Mercatori *Sumatra*. Medius Merid. eſt gr. 125. & medius parallelus eſt gr. 4. qui eandem habet rationem ad Meridianum. Circundatur autem Tabula ab utraque parte Indico mari.

Inſignes in ea Ciuitates, quæ rationem cœleſtem habent, ſunt hæ.

	Max. Dies Hor. min.		Diſt. à Mer. Alex. Hor. min.		
Talacori Emporium	12	40	4	24	} Sus Ortum.
Agadiba	12	30	4	36	
Maagrammum Metrop.	12	30 ferè	4	30 ferè	

Hiſtorica hæc Ptolemæus in huius Inſulæ deſcriptione annotauit.

Qui Taprobanam habitant, omnes ferè mulierum crinibus tecti ſunt. Naſcitur in hac Oriza, mel, gingiber, berillus, hyacinthus, aurum, argentum, cæterorumq; metallorum ſpecies. Gignit Elephantes, & Tigres. Phaſis, & Ganges fluunt ex montibus Galibis. Soana, Azanus, & Baracus fluunt ex Malea monte.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOVAE GEOGRAPHICAE TABVLAE,

HOC EST, QVAE SECVNDVM RECENTIOREM huius sæculi formam tum vniuersi Orbis faciem, tum singulas eius Partes, Prouincias, Regiones, Imperia, ac alia Dominia exhibent.

Vnà cum ampliſſimis earum expoſitionibus

A IO. ANTONIO MAGINO PATAVINO

in Bonon. Gymnaſio publico Mathematicarum Profeſſore æditis.

Universidad de Deusto
Biblioteca


VNIVERSI ORBIS DESCRIPTIO.
Terra incognita.
Terra incognita.
Terra incognita

ſtadia ut ſupra ex Eratoſthene notauimus,& hunc quidem auctor Sphęrę ſequi tur.Diameter iuxta hanc Plinij rationē eſt ſtad.80182.ferè ſeu mill.10023.ferè.

Hipparci opinio.

HIPPARCVS ambitum tradit ſtad. 277000. ideſt mill. 34625. ſecundū quamrationem uni gradui competunt 774.ſtadia,& mill.96. cum 3.quartis,& Diameter eſt 88132. ferè, hoc eſt mill.11016.cum dimidio.

Dionyſodori computus.

Ex DIONYSODORI (vt in Plin.habetur) cognita Semidiametro colligitur ambitus terreſtris globi ſtad. 264000.i. mill. 33000.& uni gradui debētur ſtad. 733.cū tertia par.i.mil.92.cū duab.tertijs.Diameter ēſtad.84000.ſeu mil.10500

Ptolemæi ratio.

PTOLEMÆVS tandem deprehendit unum maximi terreſtris circuli gradū 500.tantum complecti ſtadia,quę faciunt milliaria 62.cum dimidio communia, ſeu 15.cum 5.octauis Germanica,ac propterea totū ambitū 180000. ſtadiorum definit,quæ faciunt mill.Germanica 5625.& cōmunia 22500. Diameter eſt ſtadiorū 57273. ferè,quæ redunt mill. Germanica 1790. ferè & communia 7159.

Sunt tamen,qui uni gradui terreſtris circuli 15. Germanica milliaria præcisè tribuant,ac 62.Italia: Vnde iuxta horum rationem erit ambitus terreſtris globi mill.5400.Germanicorum,& Italicorum 22320. ac Diameter ſeu craſſitudo globi terreni mill.Germanicorum 1718. Italicorum uerò 7556.cum 4. vndeci,

Mūdus poteſt ab homine circumambiri.

Ex hac autem terræ dimenſione ſatis clarè conſtat, mundi terreſtris ſuperficiem non eſſe immenſam,ſed poſſe totam ab hominibus perluſtrari,vnde ſi terra ipſa eſſet undique continuata, & ab aquis libera, poſſet ab homine pedeſtri uel equeſtri itinere circumambiri in 900. diebus, hoc eſt in duobus annis cum dimidio ferè, conficiendo quotidie 25.milliaria communia.Quinimo & ſi terræ facies non fuerit undique ab aquis diſcooperta, nihilominus orbem ipſum totum circumnauigatū fuiſſe conſtat,idque non ſemel. Ferdinandus enim Magellanus Anno Domini 1519.die 20.Septembris ſoluens ex Hiſpania ſequenti Anno 21.Octob.ad Fretum Magellanicum à ſe ipſo primo inuentore uocatū peruenit,quo penetrato MOLVCCAS petijt Inſulas:ſed cum ipſe in BARVSSIS Inſulis interemptus fuiſſet,reliqua claſſis ipſius lacera & mutila orbe deinceps circumnauigato poſt triennium prope exactum in Hiſpaniam reuerſa eſt.

Mundi circumnauigatio.

Terræ longitudo.

Cæterum Geographi terram,ſicut Aſtronomi cœlum,duplici metiuntur uia,ſecundum longitudinem, & ſecundum latitudinem. Longitudinem terræ fecerunt priſci iuxta dimentionem ab Occaſu in Ortum, eumq; uocarunt ſpatium à Canarijs,ſeu Fortunatis Inſulis ad extremam uſque Indiam Orientalem protenſum,& in Æquatore aut alio ipſi parallelo circulo collectum, quod quidem

Initium lōgitudinis terræ.

180.gradus complectitur. Statuerunt autem initium longitudinis terræ in Meridiano dictarum Fortunatarum Inſularum, quæ ſitæ ſunt in ultimis Hiſpaniæ & Mauritaniæ finibus, quòd ultra has nec alias Inſulas, nec habitatam terram reperiri amplius,ſed uaſtum potius fuiſſe mare arbitrarentur. Hoc tamen non eſt ignorandum, Hiſpanos pleroſque in deſcriptione nouarum Indiarum non ſumere longitudinem Ptolemaica ratione ab Inſulis Canarijs verſus Orientem numerando; ſed à Toletano Hiſpaniæ Meridiano Occidentem verſus computando. Sunt tamen,qui Meridianos ad mentem Ptolemæi deſignant, vt uidere licet in Americæ deſcriptione infra poſita. Latitudinem autem per tranſuerſum computarunt,nimium ab æquatore circulo ad vtrumque Polum,hoc eſt totam

Terræ latitudo.

tam terræ portionem cognitam acceperunt vltra,citraque Æquatorem verſus vtrumque mundi Polum exporrectam,quam quidem Ptol. verſus Septentrionem ad 63. gradum uſque extendit, termino in Inſula Thyle conſtituto, quæ fuit vltima cognitarum veteribus ad Boream terrarū, ac ſita eſt ſupra Scotiam & Inſulas Hebrides, atque Orcades in Septentrionem & Orientem, nunc que SCHETLANDIA,& nautis *Thylinſel* vocatur. At vero Meridiem verſus Ptolemæus ipſam terram vltra Æquatorem 17. gradu latitudinis Auſtrinæ finit,prefixo termino in Praſſo promontorio Agyſimbæ Æthiopum regionis, quod hodie *Mozambique* dicitur. Hos autem fines centum ab hinc annis prorogatos ac dilatatos quoquo verſus nouis (ſolertia principum & nautarum induſtria) adinuentis tot terris, ac Inſulis propemodum innumeris. Vnde collatis his terrarum acceſſionibus cum veteri terræ portione, longitudinem Terreſtris huius Orbis integro circulo complectemur; ſi quidem totus Orbis penes longitudinem luſtratus eſt, etſi non vndique terris continuetur. Latitudinem verò ad vtrumque Polum,finiemus,quanquàm verſus Polos parum admodum de terræ habitatione hactenus innotuerit. Vt autem vniuerſi Orbis plenaria deſcriptio rectius percipi queat, ipſius ſuperficiem in Terrenam primum diuidemus & in Aquatilem. AQVATILIS portio ex mare,fluminibus, & lacubus conſtat. Et mare quidem in Mediterraneum & Oceanum partitur. Oceanus dicitur, qui totam vniuerſam terram ambit, diuiditurque in patentem ſeu vaſtum, ſinuoſum, & fretum. Oceani Sinus ſunt Arabicus, qui etiam mare Rubrum uocatur, Perſicus, Gangeticus, Magnus, Sarmaticus, Mexicanus ſeu Hiſpanus, & Vermilius. Oceani freta duo numerantur Gaditanum ſeu Herculeum,& Magellanicum. Oceanus autem apertus abluit undique tam Orbem ueterem,quàm nouum,qui tot nominibus uocatur, quot à uicinis terris,ſeu plagis ſortitur,nam ab Oriente dicitur Oceanus Indicus: ab Occaſu dicitur Atlanticus, & Magellanicus: ad Septentrionem Hyperboreus, & Mare Glaciale uocatur: ad Meridiem uerò Meridionalis. Mediterraneum mare appellatur, quod per mediam Terram ad Orientem uſque extenditur, quod pariter etiam ſecatur in apertum,ſinus permultos,paludes multas,ac freta duo,Siculum ſcilicet & Gallipolitanum. TERRÆ autem facies uaria admodum eſt, ac principaliter in Continentes,& in Inſulas diuiditur. Continentes ſunt tres,Orbis ueteris,qui Aſiam, Africam, & Europam continet: Noui Orbis,quem Sanutus Atlanticum uocat,qui Indias Occidentales complectitur: & Auſtralis,qui nondum totus cognitus eſt. Inſulæ uerò dicuntur, quæ omni ex parte mari circundantur, quæ innumeræ propemodum in Orbe ſunt, inter quas præcipuæ,& magnæ ſunt S. Laurentii, Sumatra, Iaua maior, Iaua minor, Anglia, Islandia, Iapan, Bornei, Hiſpaniola, Cuba, Irlandia, & aliæ. Diuiditur porrò,& ipſa terrenis Orbis ſuperficies in quinque Zonas,nempe in Torridam,duas temperatas,& duas frigidas,quæ ſanè ſunt ſpatia terræ inter duos circulos Sphęræ minores comprehenſa. Sunt autem circuli diuidentes Zonas quatuor: duo quidem Tropici, alter quidem Cancri, alter Capricorni: & duo Polares,Arcticus ſcilicet,& Antarcticus. Ex his quinque Zonis credidit antiquitas,ut quæ intra Tropicos continetur,quæque Torrida uocatur propter ue

Terræ menſura recentioris æui.

Superficiei Orbis diuiſio.

Oceanus.

Sinus Oceani.

Oceani freta.

Mare Mediterraneum.

Inſulæ quæ dicatur.

Quinque Zonæ.

Zona torrida.

hementem æstum habitari commodè non posse,& hæc quidem ultra citraque Æquatorem gr.23.cum dimidio expanditur,totaq; gr.47.complectitur,quanta nimirum est distantia inter Tropicos. Duæ uerò,quæ extra hanc utrinque panduntur ad grad. 43. ferè (nempè à grad. 23. cũ dimidio usq; ad grad. 66. cũ dimidio latitudinis ab utraque Æquatoris plagâ) clementis, & temperati Cœli, & frequentis habitationis esse traduntomnes, quarum una nostra est, altera nostrorum Antipodum; at quæ ultra has trans Arcticum circulum in Boream, & trans Anctarcticum in Austrum porriguntur, ob immane frigus damnatas esse & à rerum natura in nubem æternæ calignis mersas esse ab antiquis creditum est,& hæ quidem gr. 23. cum dimidio circum utrumque Polum complectuntur. Verumtamen superioris,& nostri sæculi nauigationes clarius docuerunt nouo Terrarum adinuento Orbe cum plerisque nouis Insulis, Æquinoctialis,& Zonę torridę tractum non solum habitabilem,sed etiam commodè habitabilem esse, cum ibi caloris diurni cum nocturno frigore summa sit moderatio,& temperatio, quinimò sub Æquinoctiali ipso aeris temperies, & habitatio satis commoda percipitur. nam ibi magna est agrorum fertilitas, & incolæ maximo sunt ingenio præditi album habentes ferè colorem, & capillos satis prolixos. Loca Zonarum etiam frigidarum non sunt inhabitabilia vt prisci voluerunt, sed sunt aspera,& minus culta, quòd sint procul remota à Sole,& molliorum syderum aspectibus,etenim Sol propter nimiam distãtiam ab istis locis Zonæ frigidæ ea ualdè ex obliquo aspicit. Quocirca Solis quidem situs potissima est causa commoditatis,& incommoditatis regionum omnium, sed plurimum quoque facit qualitas,& forma telluris subiectæ,an sit plana,uel montuosa: an arida, uel fluminibus irrigata: an habeat pingue, uel arenosum solum: item unde ferantur venti. Vt Ægyptus est fertilissima,quia rigatur Nilo: loca proxima sunt sterilia,quia destituuntur aquis.Sic etiam propinqua loca sub eadem Cœli plaga sita plurimum differunt,unde in Lybia sunt Æthyopes,quia sunt loca plana,& perusta à Sole. In Asia non sunt propter montes, valles,& flumina,quibus æstus retunditur,& mitigatur. Cęterum habitatores Zonarum iuxta situm eorum,cum inter sese comparantur,alij sunt Antipodes, alij Antæci,alij Periæci. ANTIPODES dicuntur, qui secundum diametrum Sphęræ inhabitant partes Terræ oppositas, & hi quidem pedes obuersos adinuicem habẽt,hoc est,qui eundem Meridianum,& Horizontem,sed diuersos parallelos æqualiter tamen ab Æquatore remotos obtinẽt,ac distant inter se medietate circuli maximi,nempe gr.180. ANTÆCI dicuntur,qui in diuersis,& è regione positis Zonis sub eodem Meridiano,sed diuersis parallelis æqualiter tamen ab Æquatore remotis habitant. PERIÆCI autem sunt, qui in eadem Zona sub eodem parallelo,& Meridiano habitant,sed de his plura alibi dicemus. Superest tantum nunc,ut vniuersi Orbis diuisionem in precipuas eius partes afferamus.Olim prædecessores nostri vniuersi Orbis habitabilis portionem in tres distinctas,præcipuasque partes diuiserunt, in EVROPAM scilicet, AFRICAM, & ASIAM, quibus posteri quartam adiunxerunt partem, quæ nunc AMERICA dicitur intra centum annos adinuenta, ipsisq; antiquis prorsus ignota, quæ tamen si magnitudinem

Zonæ temperatæ.

Zonæ frigidæ.

Sub æquatore cõmoda habitatio.

Zonæ frigidę sunt asperæ,& minus cultæ.

Habitationis terræ causæ.

Antipodes.

Antæci.

Perieci.

Orbis diuisio.

spectes duabus aliarum portionibus æquari potest.Ex recentioribus quidam vniuersum Orbem in partes duas secant,in VETEREM seu ANTIQVVM ORBEM, quem Terram Ptolemaicam vocant, & in NOVVM ORBEM, quem Terram Atlanticam dicunt. Antiquus Orbis est, qui Ptolemæo, Straboni, Plinio, Melæ, ac alijs priscis fuit cognitus. Nouus uero, qui recentioribus temporibus à Naucleris Regum Portugalliæ, Hispaniæ,& Galliæ detectus est. Nos uerò congruentiore forma uniuersum ipsum tam cognitum, quàm incognitum in septem principales partes distribuimus,quarũ primæ tres sunt EVROPA, AFRICA, ASIA, antiquæ scilicet Orbis partes. Quarta est AMERICA SEPTENTRIONALIS, & Sanuto Atlantica Septentrionalis, quæ potius continens est, in qua sunt prouinciæ *Estotilant,Terra Laboratoris,Terra de Baccalaos,Noua Francia,Norumbega,Florida,Noua Hispania,* & aliæ. Quinta est AMERICA MERIDIONALIS, & Sanuto Atlantica Meridionalis, quæ Peninsula est, ac à superiore Isthmo quodam discreta, regiones *Bresiliam,Tisnadam,Caribanam,Paguanam,Peruuiam,* ac alias continens. Sexta pars est TERRA AVSTRALIS, seu continens Australis recenter detecta, sed non dum cognita, in qua est *Psitacorum* Regio, *Terra del Fuego* è regione freti Magellanici, *Beac* prouincia aurifera cum *Lucach*, & *Maletur* regnis inter maiorem & minorem *Iauam* posita, & aliæ incognitæ regiones. Vltima uero pars est CIRCA POLVM BOREVM, & est omnium minima,ac penè incognita, & in quatuor Insulas distributa,quæ dispositæ sunt circa Polum ipsum Arcticum: Nam sub ipso tradunt scriptores esse rupem nigram & altissimã 33. circiter Leucarum ambitu,& circum hanc illas esse Insulas, inter quas Oceanus.19.ostijs erumpens quatuor Euripos facit, quibus indesinenter sub Septentrionem fertur, atque ibi in viscera terræ absorbetur. Ex his Euripis vnus, quem facit Oceanus Scythicus, quinque habet ostia, nec unquàm propter celerem fluxum, suique angustiam congelatur: alter vero est Euripus è regione Insulæ Groelandiæ, qui tribus ingreditur ostijs, & quotannis ad tres circiter menses congelatus manet, latitudo eius est 37. Leucarum. Inter hos autem duos Euripos iacet Insula sapra Lappiam & Biarmiam, quam Pygmei inhabitant, quatuor ad summum pedes longi. Refert vero quidam Anglus Oxoniensis, hos quatuor Euripos tanto impetu ad interiorem voraginem rapi, vt naues eos semel ingressæ nullo vento retroagi possint,neque ibi vnquam tantum esse ventum, vt molam frumentariam circumuoluere sufficiat, quæ etiam Giraldus Cambrensis in suo de mirabilibus Hiberniæ libello affirmat. Hæc autẽ de vniuerso in genere dicta sufficiant, nam de singulis eius partibus, Regionibus, Prouincijs, ac Regnis infra in 35.particularibus Tabulis abundè pertractabimus,è quibus quidem quatuor sunt generales Tabulæ,quæ quinque præcipuas Orbis partes complectuntur,nempe Europam,Africam,Asiam,& vtrãque Americam (ijs scilicet relictis, quæ versus alterutrum Polum accedunt) ad quas cæteræ particulariũ prouinciarum Tabulæ referuntur; in his tamen disponendis ordinem Ptolemaicum quo ad fieri potuit sequuti fuimus, atque vnamquanque earum ad Ptolemaicas Tabulas retulimus, vt hic apparet.

Alia Orbis diuisio.

Nostra diuisio.

Terra Australis non dum cognita.

Borealis Orbis pars incognita

Pygmei.


SERIES TABVLARVM PARTICVLARIVM HVIVS OPERIS.

1 EVROPA, cuius hæ sunt Particulares Tabulæ.
2 Britannia, *quæ ad primam Europæ Ptol. spectat.*
3 Hispaniæ Regnum.
4 Portugalliæ Regnum. } *Ad secundam Europæ Ptol.*
5 Galliæ Regnum.
6 Belgium, seu Germania inferior. } *Ad tertiam Europæ Ptol.*
7 Germania Magna.
8 Heluetia.
9 Scandia, siue regiones Septentrionales. } *Ad quartam Europæ Ptol.*
10 Italia Generalis.
11 Pedemontium, Monsferratus, & Liguria.
12 Tuscia.
13 Latium, seu Territorium Romæ.
14 Regnum Neapolitanum.
15 Marca Anconæ, olim Picenum.
16 Lombardia, & Marca Taruisina.
17 Forum Iulij, & Istria. } *Ad sextam Europæ Ptol.*
18 Sardinia & Sicilia. *Ad septimam Europæ Ptol.*
19 Poloniæ Regnum. *Ad octauam Europæ Ptol.*
20 Hungaria & Transyluania. *Ad nonam partim & partim ad quintam Ptol.*
21 Græcia. } *Ad decimam Europæ Ptol.*
22 Candia.

23 AFRICA, cuius hæc est particularis Tabula.
24 Ægyptus. *Ad tertiam Africæ Ptol.*

25 ASIA, cuius hæ sunt particulares Tabulæ.
26 Natolia, siue Asia minor. *Ad primam Asiæ Ptol.*
27 Moscouiæ Imperium. *Ad secundam Asiæ Ptol.*
28 Tartariæ Imperium. *Ad secundam, septimam, & octauam Asiæ Ptol.*
29 Cyprus Insula. } *Ad quartam Asiæ Ptol.*
30 Palestina, vel Terra Sancta.
31 Persiæ Regnum, siue Sophorum Imperium. *Ad quintam, septimam, & nonam Asiæ Ptol.*
32 India Orientalis. *Ad decimam Asiæ Ptol.*
33 Turcicum Imperium. *Partim ad Europam, Africam, & Asiam spectat.*

34 AMERICA, seu India Occidentalis.
35 Vniuersi Orbis descriptio secundum nauigantium usum.



Universidad de Deusto
Biblioteca

I
EVROPAE DESCRIPTIO.

Europa vnde dicatur.

EVROPAE etymon ignoratur vel Herodoti testimonio libro 4. Sunt, qui existimarint ab Europa Agenoris Regis Phœnicum filia à Ioue rapta nomen desumpsisse: legitur fabula id generis apud uarios scriptores, lepidissimè autem illam descripsit Ouidius. Ad huc est aliorum opinio iuxta metalepsim TIRIAM dici, Tiria puellæ matre hoc nomine appellata, cuius rei fides Theocritum spectat. A quibusdam scriptoribus sacris IMPETIA etiam uocatur. Cęterum cum & ad nomen totius populorum eandem inhabitantium nomen quoque spectare uideatur, non subticebimus, id generis populos in uniuersum *Francos* ab Asiaticis nuncupatos, Veruntamen Turcis Religionis tantum Romanæ cultores *Franchi* intelliguntur. Habet Europa ab oriente mare AEgeum seu Hellespontum Græciæ, nunc *Archipelago*; Pontum Euxinum, nunc *Mare maggiore*; palludem mœotidem, quam scythę Temeridam, quasi maris matrem dicunt nunc *Mar delle Zabache:* & Tanaim fluuium, quem scythę Silim uocant, & nunc *Don:* diducta insuper ab eius fontibus linea vsq; ad *Granduicum* Oceani Septentrionalis sinum. A meridie mare Mediteraneum, quod etiam nostrũ dicitur, ac fretũ Herculeum. Ab occidente uastissimo, & apertissimo pulsatur oceano, quem Atlanticum & Occidentalem uocant. A Septentrione Hyperboreo Oceano, ac mare Septentrionali, quod etiam glaciale uocatur, clauditur. Est itaque ab Africa Herculeo freto disiuncta; ab Asia per dorsum supra Mœotidem, & per Tanaim fluuium: Ab America autem magno tractu discreta est. Forma eius multiplex est, ut ait Strabo, quæ tamen Draconis ferè effigiem emulatur, cuius caput Occidentem spectat, & utrinque alas expandit, quas referunt ad Austrum Italia, & ad Septentrionem Cimbrica Chersonnesus. Incidit autem Europa inter quartum, & nonum climata, hoc est, sita est inter decimum & vigesimum primum parallelos iuxta Ptolemęi traditionem, & habet in longitudine ab amne scilicet Tanai ad Gaditanum fretum, qua longissimè se expandit, 750. circiter Germanica milliaria, seu Italica 3000. Alij longitudinem faciunt milliariorũ Germanicorum circiter 600. & Italicorum 2400. ab Vlissipona scilicet ad Constantinopolim. Alij Italicorum milliarium longitudinẽ ponunt 3800. secundum uero latitudinem nullibi 225. Germanica milliaria, seu Italica 900. excedit, nisi ubi circa mediã sui partem duabus alis, quibus Draconis speciem redit, maximè extenta est: nisi latitudinem ab insula Sicilia in *Schricfiniam* usque ad extrema regionum Septentrionalium, ubi latissima est, computare uolumus,

Tiria.

Impetia.

Franci qui dicantur.

Europæ fines.

Europæ forma.

Europæ situs cœlestis.

Longitudo.

Latitudo.

mus, quo in loco 600. penè Germanica milliaria habet & 2400. Italica. Complectitur autem Europa prętęr summi Pont. sedem, & Romanorũ Imperium toto terrarum orbe celebratissimum 42. Regna Christianæ religioni obedientia, nostro enim æuo Christianum complectitur Imperium: & bona pars Turcici Dominij. Regiones uero habet has, Hispaniam, Galliam, Belgium, Germaniam, Italiam, Hungariam, Transiluaniam, Dalmatiam, Græciam, Poloniam, Lituaniam, Moscouiam, Roxolaniam, Daniam, Sueuiam, Noruegiam, & reliquas uersus Polum Arcticum. Habet prętęrea has insulas Angliam, Scotiam, Hiberniam, Islandiam, Hetlandiam, Frislandiam, Engrouelandiam, & alias In Occeano Boreali: deinde Maioricam, Minoricam, Corsicam, Sardiniam, Siciliam, Melitam, Corcyram, Cephaleniam, Zacinthum, Cretam, Mitelenem in mari Mediteraneo: atq, etiam Eubœam, Lesbum, Chium, Cycladęs, aliasq; innumeras in mari Ægeo. Quæ quidem Europę Regiones omnes ac insulæ in 21. sequentibus complectũtur Tabulis, Dalmatia tamen excepta, de qua, cum particularis hic non sit assignata Tabula, agere decreuimus post Græciæ descriptionem: namque in Græciæ tabula bona conspicitur ipsius Dalmatiæ pars. Est autem hæc pars terræ multiformis, & ad habitationem hominũ mirificè apta, tota enim habitabilis est dempta exigua eius parte, ex priscorum opinione, quæ contermina est Tanaidis, & Mœotidis incolis, Borystenensibusque in curribus degentibus, quæ ob immensum frigus incoli commodè nequit, quæ tamen nunc à Tartaris ac gentibus magno Moscorum Duci subiectis satis colitur. Regio insuper hæc amœnitate, fertilitate, clementia cęli, naturali temperie, copia, qualitate & pulchritudine urbium, hominum, animantium, plantarum, frugum, & aquarum cęteras orbis partes longè præcellit: Nam & si Africa sit lõgior & latior quàm Europa; non tamen hæc tam uastas solitudines, ac deserta, locaque arenosa, sterilia, & immenso calori cuncta exurenti subiecta habet, ut Africa. Europa igitur amęnissimis urbibus, castris, oppidis, arcibus, fluminibus, stagnis, & lacubus maximè exornatur. Abundat prætęrea tritico, & frugibus omnibus, uino, arborum fructibus: producit animalia, quæ pulchritudine ac proceritate, cętera excellunt: plãtę quoq;; quæ in hac orbis parte aluntur, celsitudine, proceritate, & fęcunditate externas omnes superant. Ex hac etiam multæ aquæ tùm calidæ, tùm recentes, ac sinceræ, tùm aliæ, quæ uarios expellunt morbos magna affluentia scaturiunt. Caret autem hæc terræ pars bestiarum syluestrium, siue ferarum multitudine; indiget quoq; speciebus aromaticis, gemmis, & rebus odoriferis, quæ omnia ex Asia huc trãsportantur, ac ad breuitatem uitæ potius faciunt, ac bonorũ morum corruptionem: auro tamen, cęreriśque metalis, ac subterraneis omnibus abundat. Cęterum Europa orbis domitorum genitrix Plinio uocatur, nec sine ratione. Siquidem in Græcorum monarchia Alexander Magnus, in latinorum Imperio Romani uniuersum orbem ipsis cognitum domarunt, atq; sub iugo potuerunt. Nostro quoque æuo Europæ principes Americam, & Asiæ, ac Africæ magnam partem suo subiecerunt dominio. Hæc itaque est Europæ in uniuersum natura, particulariter autem una quæque pars in propria describetur tabula, quæ quidem prolixiore sermone à nobis exponentur.

Europę regna.

Europæ regiones.

Insulæ Europæ.

Europę bonitas ac qualitas.

Aromata hic non nascuntur.

BRI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



II

BRITANNICARVM INSVLARVM

Noua Descriptio.

BRITANNICÆ Insulæ, quæ in præsenti Tabula descriptæ sunt, uocantur ab omnibus duæ præcipuæ & magnæ Insulæ, HIBERNIA nempe & ALBION, quæ Angliæ & Scotiæ Regna continet, cum nonnullis alijs circumiacentibus Insulis; vt sunt Orchades, Mona, Vectis, & reliquæ. Has Dionysius Alexandrinus Bretannides appellat.

Britannicæ insulę quæ dicantur.

HIBERNIA.

HIBERNIA iuxta nonnullos nomen sortitur ab Hibero Hispano militum duce, qui congregata magna hominũ multitudine eò commigrauit. Alij autem sentiunt, sic dictam esse ab Hibero Hispaniæ fluuio celeberrimo, quòd illius incolę primi dictam Insulam habitassent. Non desunt etiam, qui uelint, hanc Insulam nuncupari ab hyberno tempore propter hyemis magnitudinem. Verisimile tamen censent multi uel à Duce Hispano, vel à dicto fluuio Hibero nomẽ sortiri, præsertim quia Hiberni tum vestitu tum viuẽdi ritu & moribus ab Hispanis vi cinioribus parum discrepant. Iuuenalis, Pomponius, & Solinus Insulam hanc IVVERNAM vocant: Ptolemęus IVERNIAM: Orpheus, Aristoteles, Strabo, Stephanus, & Claudianus IERNAM: Eustatius VERNIAM: Diodorus Siculus IRIM: Plutarchus eam Ogygiam. i. perantiquam appellat, à profundissima. n. antiquitatis memoria historias suas auspicantur; vnde constat Insulam ipsam antiquitus habitatam fuisse, & ex Britannia coniectandum est incolas illuc commigrasse. *Irlanda*, seu *Ireland* ab Anglis, Hispanis, Gallis, & Italis dicitur, à Britannis *Yuerdhon*: sed incolæ eam *Eryn* vocant. Sita est autem hæc Insula respectu cęli inter circulum Arcticum, & Tropicum Cancri, magis tamen ad circulum Arcticum accedens, complectiturque in latitudine quatuor gradus & semis cęlestis circuli, atque inter vigesimum & 25. parallelos iuxta Neotericorum computationem includitur, cuius Meridionalis ora diem habet maximum horarum 16. cum tribus circiter quartis, Borealis verò terminus maximum obtinet diem horarum 18. propemodum. Ponitur

Hiberniavn de dicitur.

Hiberniæ nomina.

Situs cęlestis Hiberniæ.

Hibernæ fines.

nitur autem respectu Terrestris globi inter Britanniam maiorem, quæ dicitur Albion, & Hispaniam, habetque ab Oriente ipsam Britanniam turbido mari, quod Hibernicum vocant, vnius diei nauigatione disiunctam: ab Occidente Oceanum immensum: ab Aquilonari parte, ubi Oceanus Deucaledonius irrumpit, habet Islandiam Insulam maximam unius diei uelifico cursu seiunctam: Ab austro uerò respicit Hispaniam similiter trium dierum nauali cursu distantem, Verginioque Oceano simul aluitur. Protenditur hæc Insula sub forma ouali, seu lenticulari à meridie in Septentrionem, & dimidio minor est quàm Albion. Eius longitudinem ab Austro in Boream faciunt quidam Leucarum Germanicarum 70. & latitudinem ab Occasu in Ortum Leucarum Germanicarum 23. Alij scribunt, ipsam obtinere in longitudine milliaria Italica 260. uel 300. in latitudine uero 90. uel 100. Camdenus, cui magis fidendum est, tradit eius longitudinem 400. mill. passuum, latitudinem uerò 200. Fruitur hæc Insula aere saluberrimo, mitissimo cęlo, miraque cęli temperie, licet ad semina maturanda iniqua: nam neque æstiuus calor exęstuans compellit ad vmbras, neque ad ignem hyemis rigor inuitat, sed aeris amœnitate, temperieque singulæ anni partes tepescunt: nihil uenenatum gignit, nec aliunde importatum nutrit: cęli tamen & soli humor nimius est, quo fit ut incolæ & aduenę magis uentris profluuio & catarrhis molestętur, quibus sanè morbis aqua uitę resistunt. Terra autem inęqualis est & montosa, mollis & aquosa, immanibus syluis umbrosa, ac alicubi paludosa, uentis expositа, & multis ac immensis stagnis interfusa: nam in uertice etiam altissimorum montium, licet ibi non dentur montes excelsi, habet stagna & paludes: maris & portuum opportunitate gaudet, & planitiebus quoq; quibusdā pulcherrimis ornatur: sed respectu syluarum modicis, quæ uiriditate sua ad aspectum delectabiles & iucundæ sunt. Est tamen in uniuersum fęcunda (præterquā Vltonia, quæ alicubi ferax, alicubi macra existit: & Connacia, quæ cęteris incultior est, & crebris montibus, & palludibus plena, totaque siluestris) montes enim pecoribus infinitis, & ouium gregibus refertissimi sunt, & proinde butiro, caseo, atq; lacte abundantissimè fruuntur. Triticum tamen gignit contractum & minutum, atque uineis caret fertilibus, sunt enim ibi vites umbræ magis, quàm fructus gratia. Sole enim Virginis signum intrante frigidiusculæ auræ in illo cęli tractu spirant, atq; promeridianus calor autumno exilior & breuior est, quàm ut perfectè uuas maturare possit. Equos habet hæc Insula optimos oneribus ferendis quàm aptissimos: hi enim non eundem, quem cęteri in cursu gradum seruant, sed mollem alterno crurum explicatu glomerationem; maleficum producit lupum & uulpem, reliqua omnia animalia mansueta corpore minora sūt quàm alibi, præter uenaticos canes. Nemora autem omnia ferè animalia ferina continent, ut ceruos, qui pro nimia pinguedine parū ad cursum apti sunt; deinde apros in magna copia & lepores: caret tamen capris, damis, & ericijs: talpes etiam nullæ uel rarissimæ, sed mures infinitissimi. Abundat præterea falconibus, accipitribus, nisis, aquilis, & gruibus, & in Boreali parte cygnis; ciconiæ uerò per totam Insulam rarissime sunt, & illæ nigræ: desunt perdices, phasiani, picæ, & philomelæ. Habet quoque magnam piscium quantitatem

Insulæ fortunatæ.

Mensura.

Qualitas.

tem tum marinorum, qui per omnia latera maritima satis abundant, tum dulcium, qui ex fluminibus egregijs, quibus irrigatur, & ex lacubus copiosissimè emanant, & pisces peculiares sunt in hac Insula, quæ nullibi reperiuntur: nam præter reliquos est in Vltonię parte fluuius Banna eximiæ pulchritudinis, ac limpiditatis, qui se ex Lacu *Eaugh* in Oceanum duplici ostio transfundit Salmonibus piscibus totius Europæ fœcundissimus, cuiusmodi aquis Salmones unicè delectantur: deinde Sineus etiam, qui non tam magnitudine sua, ac longis Terrarum excursibus, quàm fœcundissima piscositate principatum inter Hiberniæ flumina obtinet. Est etiam ibidem *Erno* Lacus, (scribit Camdenus) qui 30. mill. passuum in longitudine, & 15. mill. in latitudine diffunditur syluis opacis coronatus, & adeò piscosus, ut piscatores nimiam frequentius piscium copiam, retiumq; rupturas potiusq; defectus conqueruntur. Fama est inter Accolas hunc olim agrum fuisse cultissimum, & incolis frequentissimum, sed subito propter eorum infandam cum bestiis uenerem superfusis aquis in lacū redactum, atque in huius historiæ confirmationem hodie sereno tempore turres, & altorū ædificiorum summitates sub undis conspiciuntur. Apes fert etiam hæc Insula, quod quidam falsò negarunt, ac in tanta multitudine, ut non solum in aluearijs, sed etiam arborum truncis, & terræ cauernis reperiantur. Gignitur hic massa terræ nigra sulphure permixta, qua incolæ ad incendendos ignes maximè utuntur, cum paucas cęduas arbores ager producat, sed fruteta duntaxat, quibus totus ferè consitus est. Fert quoque Hibernicum Mare Margaritas subfuscas, & lucentes, ac paruas, quæ quidem rotunda specie gregatim natant ducem more apum sectantes. Antiquitus cultores huius Insulę inconditi, & omnium bonarum artium expertes erant, inhospitales, inhumani, & impii, atque sese alienis uxoribus, matribus etiam, & sororibus immiscere solebant, antropophagi insuper erant, idest hominum carnibus uescentes, quod etiam testatur Diuus Hieronymus inquies, se cum esset adolescentulus uidisse has gentes pastorum nates, & fęminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari. Nunc verò bellicosissimi sunt, ingenioſi, corporum lineamētis conspicui; mirifica carnis mollicie: atque propter musculorum teneritudinem agilitate incredibili, & omnium corporis partium flexibilitate pollent: sunt reliquis gentibus calidioris, & humidioris naturæ, uti ex mirifica illorum carnis mollicie colligitur. Diuiduntur verò in SYLVESTRES HIBERNICOS, qui *Iris-brie* & vulgò *Vuild Irish*, & in ANGLO-HIBERNICOS, & hi sunt, qui legum potestatē sanctam habent, & iudicijs sese sistūt, suntq; mites, & vrbani, ac ad eos vt magis tractabiles ac diuites Angli in primis commeant negociandi vt plurimum causa, quorum mores illi facilè imbibunt, linguamq; ex assiduo cōmertio maiore ex parte intelligunt: sed syluestres Hiberni qui vt plurimum Connaciam inhabitant hos habent mores: sunt quidem feri, asperi, & quorum ingenia sine humaniori cultura maximè efferantur, alicubi sunt incultiores, qui mira naturæ diuersitate, & inertiam amant, & quietem oderunt: otio quidem adeò sunt dediti, ut summas reputent diuitias labore carere, & summas ducant delicias libertate gaudere, & innatæ desidiæ dulcedo ita eos detinet, ut ostiatim malint uictum quærere, quàm honestis laboribus

Fluuii Hiberniæ.

Erno lacus.

Antiquorū Hibernorū mores.

Recentes Hibernorū mores.

Hibernorū diuisio.

Syluestres Hibernici.

Hiberni superstitiosi.

boribus paupertatem repellere. Superstitiosæ in primis gentes, inter quas multæ magæ & fatidicæ mulieres reperiuntur, quæ ad omnia mala incantationes efficaces habent, ad quas quisque pro mali ratione accedit; sunt incontinentissimi & in præpoperam Venerem effusiores, virgines decem uel duodecim tantũ annorum viris quasi maturæ traduntur, sed extra oppida rarò matrimonia contrahunt, non de præsenti sed de futuro promittunt, vel sine deliberatione assentiunt, inde enata leuissima lite diuertunt, vir ad aliam fœminam, illa ad alterum maritum: omnes enim mirum in modum in incestum sunt propẽsi, & conscientiæ prætextu diuortia creberrima committunt: latrocinia apud eos nullam habent infamiam, sed ea summa cum immanitate exercent, neque enim uim, neque rapinã, neque homicidium Deo displicere persuadentur, quin potius prædam à Deo pro munere à Deo oblatam arbitrantur, nec templis, sacrisque locis parcunt, quin inde etiam deprehedantur. Musica tamen delectantur, cytharaq; maximè chordis æneis, quas aduncis unguibus numerosè pulsant. Cæterum in

Hiberni religiosi.

hac feritate Christianã religionẽ castè colunt & cũ quis religioni se consecrat, religiosa quadam austeritate ad miraculum usque se continet uigilando, orando, & ieiunijs se macerando: mulieres uerò ut in melius mutent coniugium, & puellæ ut benè nubere possint per totum annum die Mercurii, & Sabbati ieiunare solitæ sunt. Induunt nigros pannos, quia oues istius terræ sunt nigræ, & eorum militia constat ex equitibus, triariis, qui securibus utuntur acutissimis, & leuioris armaturæ peditibus, qui iaculis amentatis, & macheris dimicant, & in bello pro tuba, tibia utriculari utuntur.

Christianã religionem quando susceperint.

Hibernia Christi fidem suscepit anno Christi 335. regnante apud Scotos Fincomarco Rege, & hoc quidem mulieris cuiusdam Pictæ opera, quæ anno 322. Reginæ insinuata Christi nomen illi mirificè prædicauit, reuerendumque effecit: Regina Regem docuit, Rex autem uniuersum populum ad Sacrosanctũ Baptisma suscipiendum disposuit circiter dictum annum 335. Hibernia uerò

Hibernia sub Rege Angliæ quã do inciderint.

sub dominio Regis Anglorum incidit tẽpore Henrici II. Regis circiter annum 1175. quo Rodoricus Connaciæ Rex se Regem uniuersæ Hiberniæ nominabat, qui cum totam Insulam subiugare contenderet, continuum bellum cum cæteris regulis gerebat, ex cuius quidem seditione factum est, vt alii Reguli sese sponte & sine ulla sanguinis effusione Anglorum Regi dediderint: Rex autem dominium Hiberniæ Ioanni filio in manus tradidit, & inde omnes Angliæ Reges Hiberniæ domini dicti fuerunt usque ad Henricum Octauum, qui Rex Hiberniæ ab Insulæ ordinibus & proceribus declaratus fuit, eò quia quibusdã seditiosis Domini nomen inuisum fuerat. Habet hæc Insula Episcopatus quinquaginta, quorũ primas est Armacanus, Armach enim in Vltonia sita, sedes est

Hiberniæ episcopatus.

Archiepiscopalis, & totius Insulæ Metropolis, est etiã in *Limirincensi* agro Momoniæ Cassilia vrbs Archiepiscopali dignitate ab Eugenio Pontifice exornata, cui nouem subsunt suffraganei Episcopi. Referuntur quædam miranda de hac

Mirabilia Hiberniæ.

Insula à uariis scriptoribus, inter quæ sunt hæc magis ab omnibus ferè approbata. Supra Amarcanam vrbem in stagno haud peramplo si hasta lignea in uado defigatur, & post aliquot menses reuellatur, erit pars, quæ luto inhæserat, in ferrum conuersa: quæ uerò in aqua manserat in cotem, reliqua manente ligno.

Tradunt

Tradunt quidam, non solum hanc insulam serpentes non gignere, nec aliunde illatos nutrire, verum etiam terram aliò exportatam serpentes occidere, & Beda testatur, se uidisse rasuram è paginis codicum inde elatam, & ictis à serpente in potum datam protinus ujm ueneni sustulisse, ac totum inflati corporis tumorem sedasse. Pro certo etiam quidam asserunt, in Hiberniam uaccas lac nõ præbere, nisi adiuncto sibi ad latus uiuo uitulo, aut saltem eius corio stramine sufferto, ut uiui imaginem referat, quasi odorẽ enim sui uteri in utero agnoscunt. Terremotus hic nunquàm, vix semel in anno tonitruum auditur. Est quidam lacus ab *Erno* lacu 15. milliaribus uersus Austrum distans, in quo Insula eminet, vbi est S. Patritii purgatorium, & hoc est antrum, in quo horrenda spectacula conspiciuntur. Est non longè ab illo lacus, in quo Insula parua Mediterranea, cuius incolæ, cum in agonia sunt, nõ moriuntur ibidem, nisi in aliud littus traiiciantur. Diuiditur autem Hibernia in quatuor regiones, seu partes, in LAGENIAM, quæ ad Orientem est Angliæ proxima, MOMONIAM, quæ Gallicum prospicit littus ad Austrumque iacet: CONNACIAM ad Occidentalem partem exposita. HVLTONIAM, quæ in Septentrionali Insulæ parte iacet: sed aliqui quintam addunt portionem, uocantes eam MEDIAM, quæ in Insulæ medio ponitur.

Hiberniæ diuisio.

LAGENIA tota maritima ad Ortu iacens à Momonia *Suero* vel *Suyro* fluuio accolis *Shuuor* dicto separatur, qui ad Vuaterfordiam aliis duobus fluuiis (*Neoro* seu *Eoyro*, & *Birgo* seu *Berga*, qui & *Barroun* dicitur) adauctus portum facit, quo ex Anglia breuior est transmissus: hi nanque fluuii antequàm in Oceanum se se exonerent, concordibus se consociant aquis, vnde tres sorores ab antiquis uocantur. Alii tamen Lageniam à Momonia *Neoro* fluuio dislimitant, quem multis tamen in locis transcendit: à Connacia aliquandiu *Sineo* accolis *Shenyn*: ab media suis similibus terminant. Lagenia autem ab incolis dicitur *Leighnigh*, Britannis *Lein*, Anglis *Leynster*, ac fertilis & frugifera est terra, mitissimo cœlo, nec inclementibus incolarum ingeniis, quam quidem Ptolemæi tempore inhabitarunt Brigantes, Coriondi, Menapii, Cauci, & Blani: nuncuero distinguitur in Comitatus *Vuexford*, *Caterlogh*, *Kilkenny*, *Bublinensem*, *Kildariensem*, Comitatum *Regis*, Comitatum *Reginæ*, *Longfford*, quibus *Fernes*, & *Vuicklo* nunc annumerantur. In Comitatu uerò *Kylkenienſi* est *Kilkenny* municipium ad Neorum amnem satis præstãs, ac inter Mediterranea huius Insulæ facilè primum. In Comitatu *Vuexford* est primaria vrbs eiusdem nominis, quæ sita est ad *Slane* fluuium, qui Ptolemæo Modona est, quam Menapiam Ptolemæi esse suspicatur Guilielmus Camdenus. *Kildariẽſis* Comitatus agro fruitur lętissimo, in quo *Kildaria* primum & præcipuum est oppidum, in quo à primordiis Ecclesiæ D. Brigida colitur. *Dublinenſis* Comitatus ad Mare est gleba fertili, pascuis lętis: syluis autem ita nuda, ut cespite bituminoso, uel fossili ex Anglia carbone plerunque utantur, incolis autẽ & oppidis refertissimus, ex quibus Dublinum, Anglicè *Dublyn*, vel *Deuelin* Regia est vrbs, emporium nobilissimum, & psimæ iustitiæ forum, mœnibus ualidum, ædificiis splendidum, ciuibus frequens, & Archiepiscopalis sedes. Hanc uerò Eblanam esse Ptolemęi censet Camdenus.

Lagenia.

Eius qualitas.

Antiqui populi.

Eius Comitatus.

kilkenny.

Vuexford.

Kildaria.

Dublinum.

MOMONIA ab incolis *Mouun*, ab Anglis *Mounſter* uocata Vergiuio Mari ad

Momoniã.

Auſtrum expoſita iacet: à Connacia Sineo fluuio diſcreta eſt, qui *Shenym* nunc dicitur, ac ab ampliſſimo lacu *Logfoylo* emanat, qui latè fluens interiores Hibernos Occidentales ab Orientalibus diſcriminat: à Lagenia autem Neoro fluuio ſeparata eſt. Hæc autem biſariam diuidebatur in Occidentalem, & Auſtralem. Occidentalem antiquitus habitarunt Gangani, Luceni, Velabri, & Iberni, ſeu Vterini: Auſtralem uerò Vdiæ, ſeu Vodiæ. Nunc autem in ſeptem Comitatus, partitur, qui ſunt *Kerryenſis*, ſeu *Kilkenienſis*, in quo habitarunt Gangani, *Limiricenſis*, *Corcagienſis*, *Trippararientis*, *Sanctæ Crucis*, *Vuaterfordienſis*, in quibus habitarunt Vodiæ, ſeu Vdiæ, & *Deſmonienſis*, quem tenuerunt Luceni, Velabri, & Iberni, ſeu Vterini. *Kerry* Comitatum, ſeu *Kerryeſſem* agrum amnis num anonymus præterfluens interſecat, quem Dur eſſe Ptolemæi ſuſpicatur Camdenus. In Deſmoniæ Comitatu extat nunc etiam Iuernis vrbs, quæ nunc *Dunkeran* uocatur epiſcopalis ſedes, quæ ad fluuiũ Iernum poſita eſt. In Corcagienſi Comitatu vrbs eſt *Corcagia*, quæ *Korcach* indigenis, & *Korke* Anglis dicitur, ac ut ait Camdenus à ſtrictiore mœnium ambitu concluſa eſt, & una quaſi directa platea protenſa, emporiolum tamen frequens & celebre: ſed ita ſeditioſis uicinis circumſeſſa, vt perpetuas excubias agitent, quaſi perpetua obſidione eſſent incincti, & in agrum filias elocare non audeant; unde contractis inter ſe nuptiis ciues omnes aliquo affinitatis gradu ſe inuicem contingunt. In Limiricenſi agro primaria vrbs ac celebre Emporium eſt Limiricum, Anglis *Limerke*, ſeu *Lymbrich*, atque in eo eſt Suirus fluuius nobilis, qui accolis *Shuuor* dicitur.

Antiqui populi.
Comitatus eius.
Dur flu.
Iuernis vrbs.
Corcagia vrbs.
Limiricum.

CONNACIA ad Occaſum uergens Anglis *Connagh*, accolis *Connaghty* dicitur, & Seno flumine, Banna, & Oceano incluſa eſt. Regio hæc (vt ait Camdenus) ut alicubi læta & ferax, ita ſubuiuidis quibuſdam locis, herbidis tamen, quos à mollitie *Boghes* appellitant, vt reliqua paſſim Inſula, periculoſa, & ſyluis opacioribus, & crebrioribus condenſa. Ora autem maritima multis Sinubus, & nauigabilibus alueis peruia accolas ad nauigationes quodammodo inuitat, & prouocat, ſed innatæ deſidiæ dulcedo ita detinet, vt oſtiatim malint uictum quærere, quàm honeſtis laboribus paupertatem repellere. Hunc terræ tractum coluerunt olim Ptolemæo teſte Auterini, & Nagnatæ, atque hodie in Comitatus *Clariæ*, *Letrimme*, *Gallueiæ*, *Roſecomin*, *Maio*, & *Sligo* diſtinguitur.

Connacia.
Antiqui Cõnaciæ populi.
Comitatus eius.

VLTONIA incolis *Cui Gully*, id eſt prouincia *Gully* dicitur, Anglis *Vlſter*, Britannis *Vultuu*, & ad Hyperboreum Mare protenditur, & hinc *Buinda* à Media, illinc *Erno* Lacu, & *Eannio* fluuio à Connacia ſecluditur. Quam quidem portionem Ptolemæi ætate habitarunt Voluntii, Darni, Robogdii, & Erdini. Pars eius citerior in tres olim Comitatus diuiſa erat, *Louth* ſcilicet *Down*, & *Antrimme*, & nunc reliqua in ſeptem Comitatus nouos partitur, videlicet *Monalion*, *Tiroen*, *Armach*, *Colrane*, *Donergall*, *Fermanagh*, & *Cauon*. Regio (ait Camdenus) ampla multis & immenſis ſtagnis interfuſa, immanibus ſyluis ombroſa, alicubi ferax, alicubi macra, viriditate tamen ad aſpectum ubique iucunda, & pecoribus refertiſſima. In hac eſt *Armach* ſedes Archiepiſcopalis, ac totius Inſulæ Metropolis.

Vltonia.
Antiqui populi.
Comitatus.

Quinta Hiberniæ portio olim regnum fuit; quam incolæ *Myh*, Angli *Meth*, Gyral-

Media.

Gyraldus Cambrenſis *Midiam* & MEDIAM fortè quòd ſit in ipſo Inſulę medio, uocãt. Hæc ab Hibernico Mari ad Sinum uſque fluuium protenſa iacet, qui fluuius ipſam à Connacia diſlimitat, & propter ſyluas & paludes in eius extremitatibus habet aditum ualdè fortem, ideoque propter populi multitudinem, caſtrorum, & oppidorum fortitudinem *Camera* uocatur Hiberniæ, uulgariter propter pacem. Fertilis eſt frumento, paſcuis, & armentis, piſcibus, carnibus, butyro, caſeo, atque aliis lactaribus abundans. Fluminibus eſt irrigua, aſpectum habet delectabilem, & aerem ſalubrem. In hac inſederunt olim Eblani, atque in ea eſt *Killair* caſtrum, quod uidetur eſſe Ptolemæi Laberus. Eſt umbilicum Hiberniæ *Malck* oppidum, quod Mercator Mãcolicum Ptolemæi fuiſſe cenſet.

Camera Hiberniæ.
Killair.
Malck.

ALBIONIS, SEV BRITANNIÆ Inſulæ Deſcriptio.

ALBION Inſula, quæ BRITANNIA per excellentiam quaſi inter Britannicas primaria uocatur, totius Orbis longè celebertima ad Orientem Hiberniæ poſita eſt, & interfuſo Oceano ab Europæ continente diſcreta. Hanc etiam PRYDAIN uocant, ſeu PRYDANIAM ut ex antiquiſſimis huius Inſulæ annalibus Lhuydus colligit. Sed Albion nomen ei impoſuiſſe Græcos conſtat ad aliarum circumuicinarum Inſularum differentiam, cum omnes Britannicæ uocarentur, vel quidem ab Albione Neptuni filio ibidem regnante, vel potius ab ΑΛΦΟΣ, quod album Græcis ſonat, propterea quod Inſula ipſa albicantibus rupibus, quę circa littus ſunt, coronatur: unde & Orphęus ipſam albicantem terram dixit. Britannię uerò nomen non à Britonne quodam ibi regnante, ſed ab incolis teſte Camdeno promanauit, qui *Brit* uel *Brith* barbarè dicti fuere à depictis nimirum corporibus, namque ſe ipſos glaſto, ſeu cęruleo colore depinxiſſe grauiſſimi ſunt auctores Cęſar, Mela, Plinius, & alii: quicquid autem depictum, & coloratum *Brith* patria & antiqua lingua appellant, vnde Britannia dicitur quaſi Britonum Regio, nam dictio Tania Græcis regionem ſignificat. Inſula porrò hęc Germanię, & Gallia figura triquetra obiacet, tribus nimirũ in diuerſa procurrentibus promontoriis, quorum unum eſt ad Occidentem BELERIVM, ſeu Antiueſteum nuncupatũ, quod *Peurhynguaed* Lhuydo eſt, & *The cape of Cornuual* Camdeno, id eſt caput Cornuualliæ. Secũdum eſt CANTIVM ad Orientem Solem expoſitũ, quod hodie *Northforland* appellatur, à quo totus Inſulę tractus uerſus Ortum protenſus Cantium uocatur & uulgò *Kent*. Tertium eſt ORCAS, ſeu TARVEDRVM, aut Taruiſium, lateris Septentrionalis, quod in Scotia iacet, hodieq; *Dungisbehead*, ſeu *Dunsbi-heade*, aut Camdeno teſte *Houuburne* uocatur.

Albion per excellentiã Britannia dicitur.
Prydain.
Albion unde dicatur.
Britannia unde dicta.
Albionis figura triquetra.
Belerium prom.
Cantium prom.

Abluitur Inſula hæc ab Occaſu, quà Hibernia ſita eſt, Deucaledonio, partim & Vergiuio Oceano, qui inter Hiberniam & ipſam Britanniam Hibernicum Mare uocatur, & *Mor Vueridh* Britannis, ſed *Theyrishe Oceane* Anglis:

à Septentrione uastissimo, & apertissimo Hiperboreo Mari pulsatur, & partim Deucalidonio: ab Ortu, quà Germaniæ prætenditur, Germanico: & à Meridie, quà Galliæ opponitur, Britannico Oceano à se uocato urgetur. Est autem à circumuicinis illis regionibus cómodo undique interuallo disiuncta, namque Galliæ satis uicina est, præsertim ad Douerium portum, vbi breuissimus est traiectus, vt pote mill. 40. & istinc ad Hiberniam unius diei itinere proficiscitur.

Britanniæ forma.

Liuius & Fabius Rusticus oblongæ scutulæ, siue bipenni huius formam assimulauerunt, quam sanè immensam ualdè fuisse crediderunt ueteres, eamque alterũ esse Orbem nonnulli putarunt, dicente Solino, *Finis erat Orbis ora Gallici littoris, nisi Britannia Insula nomen penè Orbis alterius mereretur*. Et Cæsar ille, qui primus Romanorum aperuit, alium se Orbem terrarum scripsit reperisse. Qui postea eius circuitum comperit fuisse 1500. millium passuum, quem tamen posterioris ac nostræ ætatis uiri aliter tradiderunt. Polidorus. n. Virgilius ponit modò, ipsam obtinere in circuitu 1300. milliaria: alij 1720. sed Camdenus omnium diligentissimus tradit ex multis multorum itineribus dimensionem eius sic. A Taruisio circumactis, curuatisque littoribus per Occasum ad Belerium plus minùs 812. mill. pass. numerantur; inde conuersa in Austrum littoris fronte ad Cantium 320. mill. pass. Hinc secundum Germanicum Mare anguiosis recessibus per 704. mill. pass. ad Taruisium protenditur, vt hac ratione totius Insulæ ambitus 1836. millia passuum colligat.

Britanniæ mensura.

Insula porrò hæc 8. 9. & 10. climati subijcitur, ac inter parall. 18. & 27. inclusa est, vnde dies maximus in Australi ora est hor. 16. cum dimidio, sed in extremitate Borea est hor. 18. ferè. At iuxta longitudinem decem ferè Meridianos occupat, nam Belerium Promontorium, quod eius extremum est ad Occidentem, distat ab ultimo Occidente, vbi initium numerationis longitudinis sumitur, gradib. 13. & semis, sed Orientale eius extremum, vbi Sutfolciæ Regio incidit, distat ab ultimo Occidente grad. 13. ferè.

Primus incolæ.

De primis incolis tot huc afferre nolumus opiniones, quas equidem omnes Camdenus pensitat, sed ipsius tantũ sententiã ut uerisimiliorẽ amplexari uolumus, hoc est, primos Britanniæ incolas à Gomeri prosapia Iapheti natu maioris filio Ortũ duxisse, qui tamẽ Gomerus primũ in Gallia profectus fuit, cuius successores, vel ab alijs insequentibus obtrusi, vel moltitudinis minuẽdæ causa electi, vel ulteriora uisendi innato mortalibus studio incensi in hãc Insulam, quam è continente despicere poterant, primum deuenerunt. Qui fuerint Reges, qui huic Insulæ ante Romanorum in ea aduentum, moderarunt, deque eorum successione, nihil attinet nobis dicere, verum hoc tantum sufficiet, Romanos potiori ipsius Britanniæ parti quingẽtis plus minus annis imperasse, nimirum ab ingressu Cęsaris in eam usque ad annum Christi 446. Theodosio Iuniore imperante, quo Romani transuectis ad Galliam defendendam legionibus, & defossis thesauris ipsam omni militum præsidio nudatam Pictorum, & Scotorum immanitati, qui Borealem Insulæ partem tenuerũt, reliquerunt. Quorum impetus cum diutius sustinere nequiuissent Britones, in eorum subsidium è Germania Saxones viros bellicosissimos conuocarunt, atque hi quidem Hengisto, & Horsa Ducibus Britanniam appellentes in Pictos, & Scotos primo bellum intulerunt,

Romani in Britannia.

Saxones in Britannia.

runt, sed cum regionem hanc adamare cępissent, incolarumque imbecillitatem nouissent, icto cum Pictis fędere in hospites Britannos exitiale bellum mouent, quibus confligatis & consternatis ipsam Britanniam occuparunt, eamq; ex Romanorum Pentarchia Heptarchiam fecerunt, constituentes in citeriori eius parte (præter Vualliam, ad quam etiamnum Britannorum reliquiæ confugerunt) regna septem, ut paulò infra dicemus, quæ floridissimè usque ad Egbertum Occiduorum Saxonum Regem perdurarunt, in cuius potestatẽ & imperium omnia ob intestina bella deuenerunt, & Heptarchiam Saxonum edicto publico *Englelonth*, idest Anglorum terra uocari iussit: unde Latinè Anglia dicta fuit. Istic etiam insederunt post Saxones Dani, Nortmanni, nec non etiam ex parte Flandri, vt uidere licet apud Camdenum & alios. Insula hæc olim in duas partes diuisa fuit, teste Ptolemæo lib. 2. Magnæ Constructionis, scilicet in MAGNAM, quæ est citerior eius pars ad Meridiem; & in PARVAM, quæ est ulterior illa ad Septentriones. Romani uerò ulteriore parte neglecta, quia aspra & inculta nimis erat, ac cęli quodammodo rigori damnata, citeriorem partem in prouinciam iam redactam primùm duplicẽ fecerunt SVPERIOREM scilicet, quæ ipsius Angliæ citerior pars erat cum Vualia, & INFERIOREM, quæ ulterior erat & Septentrionalior. Postea in tres partes fuit distincta Sexto Ruso teste, apud quem sunt MAXIMA Cæsariensis, BRITANNIA PRIMA, & BRITANNIA SECVNDA, seu Flauia prima, & Flauia secunda. Postremo Romani diuisione hac non contenti, cum imperii forma in dies immutaretur, Britanniam quinque partitam fecerunt, hoc est, BRITANNIAM PRIMAM, BRITANNIAM SECVNDAM, MAXIMAM Cæsariensem, VALENTIAM, & Flauiam Cæsariensem, & hæ quidem fuerunt sub Romanis ipsius Britanniæ diuisiones. Nonnulli tradunt uniuersam Insulam olim fuisse in tres partes diuisam, nempe in LHOEGRIAM, siue Angliam, CAMBRIAM, siue Vualliam, & ALBANIAM, siue Scotiam, sed Camdenus diuisionem hanc recentiorem esse credit, ac à tribus populis Anglis, Cambris, & Scotis, qui postremo Insulam inter se diuiserunt, enatam. Hodie uerò in duo regna diuiditur nempe ANGLIÆ, & SCOTIÆ, quæ Tueda, & Solueo fluminibus, ac monte *Cheuicta* discriminantur. Nam pars, quæ in Meridiem uergit, uulgus Latinum & exteri ferè omnes ANGLIAM uocant, & nonnulli etiam *Ingelterram*, seu *Angleterre*, ex Anglica dictione & Gallica, & hæc quidem duas partes complectitur, nempe Lhægriam, siue ipsam propriè Angliam, uel *England* sic ab indigenis, Anglis Saxonum populis, qui eam occuparunt, sua lingua nuncupatam, quæ Orientem & mare Germanicum respicit: & Vualliam siue Cambriam, quæ est Occidentalior pars ab altera Sabrina & Dea fluminibus discreta, Reliquam uerò partem, quę ad Septentrionem reliquitur, SCOTIAM uocant à Scotiorum gente, à qua nunc incolitur. Nunc autem singulas partes describamus.

Heptarchia Saxonum.

Dani, Normani, & Flandri in Britannia.

Britanniæ diuisio.

Alia diuisio.

Diuisio alia.

Alia diuisio.

Duo Britanniæ regna.

Angliæ regnum.

Scotiæ regnum.

CAMBRIA, SIVE VVALLIA.

Cambriæ fines.

CAMBRIA Insulæ Britanniæ occidua pars, quam *Camby* incolæ, & *Vualliam* siue *Vualles* Angli dicunt, à Loegria seu Anglia tum Sabriana fluuio, qui *Seuarne* Anglicè, & *Hafren* Britannicè dicitur: tum etiam Dea fluuio Britannicè *Yfyrdduy* dicto separatur: à reliquis autem plagis Hibernico, seu Vergiuio mari cingitur. Hanc nonnulli à Cambro III. Bruti filio denominatam volunt, quod tamen falsum putat Camdenus. Solam autē suis Britanniæ incolis antiquissimis gaudere omnes asserunt, qui etiamnum auita Britannica vtuntur lingua ab Anglica omnino aliena, namque hos terræ tractus possident occiduos natura munimentis, montibus, ac æstuarijs obseptos. Sunt tamen, qui Cambriam totam nunc, sicut olim, Transsabrinam regionem omnem complecti nolunt, sed ipsi terminum præscribunt circa Herefordiam, unde nunc minus latè patet. Regio ipsa, ut plurimum montibus aspera, ac alicubi fertilis est, nimirum uersus mare, ac in planitiebus, ac campestribus ipsius locis, ubi frumentum, ac aliæ segetes proueniunt, atque pascua habet optima: alicubi uerò sterilescit, minusq; fructifera, ac parum culta est, unde incolæ vitam ducunt asperam panem ex auena conficientes; & pro potu serum lactis aqua commixtum bibentes. De incolarum autem natura hæc ex Humfredo Lhuydo accipe. Incolæ Anglos victu, & vestitu imitantur, & cum sint laboris impatientes, atque nimium de nobilitate generis gloriantes, Regis & nobilium famulitio potius, quàm manuarijs artibus se ipsos dedunt. Vnde fit, ut paucos per totam Angliam inuenies nobiles, quorum famulitij (qua in re Angli omnes gentes superant) magna pars non sit de Cambria oriunda; nam homines lacticinijs maximè educati agilibus, & benè compactis corporibus ad omnia munia agenda aptissimi sunt. Præterea animis cum sint elatioribus, & in summa paupertate nobilitatem generis agnoscentes, cultui corporum (vt Hispani) magisq; diuitijs, aut gulæ dediti, aulicosque mores citissimè discentes, ab ipsa nobilitate Anglica suis Anglis præferuntur. Nuper tamen vrbes habitare, artes mechanicas discere, mercaturam exercere, terram optimè colere, reliquaq; omnia munia publica obire non secus, ac Angli solent. Hac tamen in re eos uincentes, quòd nullus sit adeò pauper, quin liberos suos aliquo tempore Scholæ ad litteras discendas tradit, & qui studio proficiunt, in Academias mittentes Iuri Ciuili pro maiori parte operam dare compellunt. Vnde euenit, quòd maior pars eorum, qui in hoc Regno Ius Ciuile, aut Pontificium profitentur, Cambri natione sunt. Paucos etiam ex rudiori populo inuenies, qui legere, & scribere proprium sermonem, cytharamque suo more pulsare nesciunt. Nunc etiam, & Sacra scriptura, & præces Ecclesiasticæ in hac lingua impressæ habentur. Et quemadmodum olim gens (vt Tacitus refert) iniuriarum impatientissima, continuis pugnis, & homicidijs inter se digladiabatur; ita nunc ob legum metum, quibus optimè obediunt, supra omnes gentes litibus, & controuersijs inter se usque ad omnium bonorum consumptionem contendunt. Hæc ex illo. Prouincia porrò hæc ex antiquo more Principatus est primogeniti Regis Angliæ, seu eius, qui in imperio Regi successurus est, vnde quàm primum in lucem uenerit, Cambriæ Princeps uocatur. Quattuor autem in ea habentur Episcopatus Archiepiscopo Cantuariensi in Anglia subiecti, qui sunt Meneuensis Anglicè *Saynt Dauyes*, & Britannicè *Ty Dhyeuu*, Landauensis, uulgò *Lhandhaf*. Banchorensis, uulgò *Bangor*, Assauensis uel Eluuensis, uulgo *S. Asaph*, præter Herefordensem, qui nunc ad Angliam spectat. Cæterum Vuallia tota olim tribus paruit principibus, quo quidem tempore in tres regiones partita erat, quæ sunt DEHENBARTIA ad Austrum, in qua olim Silures & Dimetæ populi Ptolemæi temporibus insederunt. VENEDOTIA ad Boream sita, & POVISIA in ambarum medio, quas quidem regiones Ordouices olim tenuerunt. Postremo uerò sub Henrico Octauo Angliæ Rege tota ipsa Vuallia in tresdecim Comitatus fuit diuisa, quos sub singulis partibus ex Camdeno describemus, cuius & Gyraldi Cambrensis uerbis ut plurimum utemur.

Cambriæ nominis origo.

Cambri antiquissimi sunt Britanni.

Qualitas religionis.

Incolarum mores.

Cambri maximè Iuri operā dant

Episcopi Cambriæ.

Tres Vuallia regiones.

Ordouices populi. Comitatus Cambriæ.

DENENBARTIA, Britannicè *Debeubarth*, Anglicè *Sout-Vuallis*, uel *Suth-Vuales* ad Meridiem sita est, ac ab Oceano, & Vaga fluuio Britannicè *Guuy*, Anglicè *Vay* clauditur: sub qua hi sunt Comitatus, Herefordiæ, cuius etiā pars in Pouisia cadit, Brechiniæ, Monumetensis, Glamorgensis, quos tenuerunt Silures, deinde Maridunensis, Penbrochiensis, & Cereticæ, in quibus olim Dimetæ fuerunt.

Denembartia.

Eius Comitatus.

HEREFORDIENSIS Comitatus, Anglicè *Herefordshire*, Britannicè *Ereinuc*, Regio est præter amœnitatem, aut pascēdis pecoribus, aut alendis frugibus nusquàm non mitissima, & ab omnibus ad uitā necessariis instructissima, adeò ut secūda fertilitatis laude inter Angliæ prouincias acquiescere haud facilè sit contētā. Ad quas etiam cōmoditates flumina accedunt eximia *Vaga*, *Lugus*, & *Munouu*, quæ cùm floridissima prata, & lætissima arua placidè irrigauerint, demùm confluunt, & uno alueo Sabrinæ æstuarium adeunt. Primaria huius Comitatus vrbs est *Hareford*, siue *Hereford* Episcopalis, quæ ex ruderibus antiqui oppidi Ariconii originem ducit, & Comitatus ipse inter cæteros Angliæ nunc numeratur.

Hereford. Comit.

Hareford vrbs.

BRECHINIA, *Brechineauc*, seu *Brecheinre* Britannicè, & *Brecknockshire* Anglicè, ampla Regio satis est, quæ in montes densius consurgit, cōuallibus tamē passim fœcundis, estque (inquit Gyraldus) satis abundans grano, & si quis est defectus, ex Anglicanæ uicinitatis copia affatim suppletur: pascuis & syluis, feris & armentis terra fœcunda, fluuialibus quoque piscibus abundat, quos hinc Osca, inde Vaga ministrat, Salmonibus enim, & Tutris utraque, sed plus egregiis, quos vmbras uocant, vaga fœcundus est: montibus excelsis præterquàm à Borea undique concluditur, &c. Præcipuum huius Comitatus oppidum est *Brecknock* in eius ferè umbilico positum, quod Britannicè *Aberhodney* uocatur & Rom. tempore fuisse habitatum constat.

Brechiniæ Com.

Brecknock.

MONVMETENSIS Comitatus, Anglicè *Monmouthshire*, Britannicè *Guent*, rebus ad uictū necessariis non solū sibi sufficit, sed etiā uicinis affatim suppeditat. Pars Orientalis herbida, & nemorosa, Occidentalis nonnihil montana, &

Monumetensis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lapidosa,non tamen colono ingrata.Gens Martijs conflictibus usitatissima,stre nuitatis opera laudatissima,& arte sagittifera præ cęteris Vualliæ finibus instru ctissima.Primarium regionis oppidum est *Monmouth* Anglicè, & *Monguy* Bri tannicè,ubi *Monouu* in Vaga confluit,situm: olim autem Venta Silurum uetu stissima vrbs celebris fuit,quæ hodie *Caer Vuent* Britannicè dicitur, ideſt vrbs Venta,à qua uniuersa hæc Regio *Guent*, *Vuetset*,& *Vuetsland* dicta fuit.

Monmouth. Venta Silurum.

Glamorgens. Com.

GLAMORGENSIS Comitatus Anglicè *Glamorganshire*, Britannicè *Morganuc*, *Glathmorgan*, & *Glad Vorganuc*, id est Regio *Morganuc* uocatur. Regio est tota maritima minus latitudine,quàm longitudine exporrecta, cuius pars Septentrionalis montibus est aspera, qui in Austrum descendentes paulatim mitescunt,quorum ad radices planicies in Meridianum Solem extęditur, ea positione,quam optimam iudicauit Cato,& ob quam Italiam tantopere com mendat Plinius. Hæc enim pars gratissima fęcunditate, & crebris oppidis un diquaque nitet. In hoc Comitatu est tenuis urbs *Landaff*, ideſt Fanum ad *Taff* Episcopalis,cui 165.Parochiæ subsunt.

Landaff vrbs.

Maridunēs. Com.

MARIDVNENSIS ager Anglis *Caermardenshire*, Britannis *Cantremaur*, ut opinor, frugibus satis fertilis, gregibus abundans, fossiliumque carbonum alicubi ferax. Huius primaria vrbs est MARIDVNVM, Britannicè *Caer Fridhin* pratis & syluis amęna, antiquitate suspicienda, & Merlini incubi filij famigeratissimique uatis patria, qui uaticina Britannis effinxit.

Maridunū vrbs.

Penbrochiens. Com.

PENBROCHIENSIS Comitatus,vulgò *Vuest Vuales*, & Anglicè *Penbrok shire*, terram habet triticeam, marinis piscibus,uinoque uenali copiosè refer tam,& quod omnibus præstat, ex Hiberniæ confinio aeris salubritate tempe ratam. Principale prouinciæ municipium,Demetiæque caput est *Pembro*, seu *Penfro*, quod Anglicè uocatur *Penbroke*, ac in saxosa quadam & oblonga ru pis eminentia situm est. Nobilia etiam oppida huius tractus sunt *Tenby* Anglicè,& *Dnybech y Piscod* Britannicè nauium statione, & piscium copia admo dum celebre. *Hulford* quod Anglis dicitur *Marfordrueſt*, suaque elegantia & frequentia in primis celebre & per se Comitatus. & MENEVIA, Anglicè *Snynt Dauijes*,Britannicè *Ty Dheuius*,quæ olim Archiepiscopalis fuit.

Pembro. Tenby.

Hulford. Meneuia.

Celeberrimus Cambriæ portus.

Est hiĉ portus,qui Britannicè dicitur *Aberdau gledau*,& Anglicè *Mylford-ha uen*,quò non alter est Europa aut nobilior, aut tutior, tot anguloſis recessibus, tot portuosis stationibus distinguitur, quibus vt fibris, ripæ undique sunt in cisæ, in quem quidem portum influunt flumina duo cōiunctis ferè ostiis,quæ *Gledauuh* Britanni uocant. Vltra hunc portum iacet huius regionis pars,quæ Britannis nuncupatur *Rossia*, siue *Ros* facto è re nomine,quòd uiridante pro cumbat planitiè & ericeto, quæ sanè his solis fluminibus perfunditur. Hanc Flandri è sedibus suis inundatione maris expulsi Henrici Primi permissu in habitant, qui lingua & moribus etiamnum diuersi cognoscuntur, horumque regiuncula à Britannis *Anglia Transuuallina* nuncupatur, propterea quod hi eiusdem linguæ societate cum Anglis coniuncti sunt, qui ad Belgicam linguā proximè accedunt.Gens hæc fortis & robusta,continuoq; belli conflictu Cam brensibus inimicissima,lanificiis & mercimoniis usitatissima. Gens prævalida uicissim loco & tempore,nunc ad aratra, nunc ad arma promptissima,Anglo-

Gledauuh Flumina. Rossia.

Flandrorū sedes.

Eorum mo res.

rum

rum insuper Regibus deuotissima,Anglisque fidissima.

CERETICA Regio Anglis *Cardigan shire*,Britānis *Sir Albertiui* cāpestris est ad Occasum, & ad Meridiem : ab Ortu verò & Aquilone cōtinui montes pabulo fœcundi perpetua latera trahunt, sub quibus passim diffunduntur lacus. Percurrit regionem hanc Tibius,seu Tiuius fluuius, Ptolemæo Tue robius, qui olim castoribus,nunc salmonibus abundat. Prȩcipuum huius re gionis oppidum est *Cardigan* Anglis, quod Britanni *Alber-Tiuy*, ideſt Tiuij ortium nominant.

Ceretica com.

Cardigan.

POVISIA secunda Vuallię pars Britannicè. *Pouuys*, Anglicè *Pouusland* dicitur, ac inter Deuum, Deam, Vagam,& Sabrinam amnes iacet, duosque comitatus intra se continet, nempe Radnoriæ, & Montgomerici, in quibus olim ordouices populi insederunt. Radnoria, quæ Anglicè *Radnorshire*, ac Britannicè *Maiseueth* dicitur, forma est triquetra, cuius pars Orientalis, & Australis cultior,reliqua montibus asperior, uix vllo cultu mitescat, siluis ta men satis vetusta,profluentibus irrigua,& stagnis alicubi aspersa. Prȩcipuum totius pagi oppidum est *Radnor* Anglicè, & *Mayſyfet* Britanniè pro regionis more culmeis tectis satis elegans.

Pouisia.

Eius comitatus.

Radnoriæ com.

Radnor.

MONTOGOMERICVM Anglicè *Montgomeryshire*,Britannicè *Sire Tre ſalduuin* dicitur,quæ sanè regio licèt mōtibus plurimum emineat,conuallibus tamē grata fęcunditate,cùm pascuis tùm aruis vtiq; fęlix est,laudatissimorūq; æquorū fœcunda olim genitrix. Primarium regionis oppidum est *Mont-Go mery* Anglicè. *Trefalduuyn* Britānicè,surgenti saxo appositū,cui amęna plani cies subiacet. Istic est *Plymlimon* mons in eximiam consurgens altitudinem, qui SABRINAM secundum à Tamisi Britanniæ flumen effundit.

Montgome rici com.

Mont Go meri.

Sabtinæ fl. fons.

VENEDOTIA, seu GVINETHIA tertia Vuallię pars Britannicè *Guuy neth*, Anglicè *Nort-Vualles* dicitur, quæ à Pouisia Deuuo fluuio Britanni cè *Dyfi*, ac Dea etiam fluuio Britannicè *Yfyrduuy* seiungitur. In hac autem hi numerantur Comitatus,Meruiniæ,seu Meridniæ,Arfoniæ, seu Snaudoniæ, Denbighensis, & Flintensis,in quibus etiam olim Ordouices insederunt: sub hac MONA Insula etiam continetur, quam infra describemus.

Venedotia.

Eius comi tatus.

MERVINIA, aut Merionithia, Britannicè *Sir verioneth*, Anglicè *Merionetshire*, inter montium conglomerationes omnium totius Vuallię terrarum hispida magis est,& horribilis. Habet enim montes altissimos ar ctos tamen, & in modum arcis acutissimos, nec raros quidem, sed creberri mos,& tanta æqualitate consertos, ut in summis eorum uerticibus pastores confabulantes,vel conuitiantes,si concurrere fortè statuerint,à mane ad ue sperum vix conuenirent. Numerosi ouium greges in his montibus errant, vnde incolæ rem pecuariam maximè exercēt, & lacticinis uescuntur: quo fit, ut statura,colore nitido,habitu uisendo, & corporis lineamentis uix alteri in Britannia genti concedant. Sūt in hac regione Æstuaria duo celeberrima quæ *Traith maur*, ideſt Æstuarium maius, & *Traith bochan*, ideſt Æstuarium mi nus uocātur. *Harlech* aūt castrum est fortissimum,ac huius regionis primariū.

Meruinia com.

Æstuaria duo.

Harlech.

ARVONIA, & Sanudonia latinè, *Sir caer-ar-uon* Britannicè, & *Caernaruonshire* Anglicè, gleba est satis fertili,& oppidulis redimita. In hac

Arfonia Com.

est

Bangor. est *Bangor* sedes Episcopalis quæ 96. paræcijs præsidet ad Menai freti fauces sita. Est etiam hic Fluuius Conouius Ptol. Toisouius uulgò uerò *Conuey*, qui ab Oriente hunc agrum disterminat, atque conchas alit, quæ cęlesti rore grauidæ Margaritas parturiunt.

Conouius fluuius.

Denbighensis Com. DENBIGHENSIS ager, Anglicè *Denbigshire*, Britannicè *Sire Denbigh* dicitur, cuius pars occidua sterilis, media quà in uallem succumbit, fęcundissima, Orientalis statim à ualle naturã sibi iniquiorem, ad Deuam uerò multo æquiorẽ sentit. In hoc autem agro est vallis *Cluida* amenitate, fertilitate, & salubritate sua uerè fęlix, in qua *Ruthyn* maximum est uallis Emporium: deinde Territorium Britannicè *Mailor Gymraig*, Anglis *Bromfield* lætum admodum, & plumbi ferax. Primarium huius tractus oppidum DENBIGHIA, vulgò *Denbigh*.

Vallis Cluida.

Ruthyn.

Denbighia.

Flintensis Com. FLINTENSIS Prouinciola, Anglicè *Flintshire*, non illa quidem montana, sed colliũ prominentia aliquantulũ surgens, quæ leniter in fertilissimos agros resupinatur, qui (præsertim quà mare prospiciunt) hordeum laudatum tàm benignè profundunt, vt semper nona à primo saltu hebdomada demetant agricolæ. In hac est *Alen* fluuius, propè quem est fons, qui maris emulus statis temporibus suas & reuomit, & resorbet aquas.

Alen flu.

ANGLIÆ REGNVM.

ANGLIÆ Regnum continet, vt diximus Vualliam, seu Cambriam, & Lhoegriam, seu *England*, de qua nunc agere instituimus, quæ quidem Sabriana, & Dea fluuiis adinuicem discriminantur. Lhoegriam à Bruto assignatam filio suo Locrino fuisse scriptores nonnulli tradunt, à quo eam denominari uolunt. De huius autem Regni qualitate, precipuè autem de Lhoegria, quæ est eius præstantior pars, hæc ex Polidoro Virgilio accipe. Regio (inquit ipse) est quocunque anni tempore temperatissima, cœlum crassum, in quo facilè nubes, imbres, uentique coguntur, atque eò minus frigoris æstusq; propter ipsius cœli densitatem. Compertum namque est, & si Brabantia, Flandria, Cismarinisq; regionibus sit Septentrionalior, nunquàm tamen ibi, uti his locis, tanta gelu sæuire hyemes: Colles passim multi, nullis arboribus consisti, nullisq; aquarum fontibus irrigui, qui herbam tenuissimam, atque breuissimam producunt, quæ tamen abundè ouibus pabulum suppeditat, per eos ouium greges candidissimi vagantur, quæ siue cœli, seu bonitate terræ, mollia, & longè omnium aliarum tenuissima ferũt uellera. Et quia hæc regio neque lupos, neque ulla animalia rapacia nutrit, uidere licet ouium greges interdiu, noctuque passim errare per montes, & ualles, perque agros compascuos ad pascendum communiter relictos, aut per fundos, quos post collectos fructus, consuetudine quadam peruetusta uicinus quisque communes habet ad alendum pecus. Hoc uellus uerè aureum est, in quo potissimum Insulanorum diuitiæ consistunt: nam magna auri, atque argenti

Lhoegriæ qualitas.

In uellere Insulanorũ diuitiæ.

genti copia à negociatoribus eiusmodi imprimis coemendæ mercis gratia, in Insulam quotannis undique apportatur, ibique perpetuò manet, quia aliò terrarum referri omnibus lege uetitum est. Omni etiam pecudum genere abundat, præter asinos, mulos, camelos, & elephantos: canum genus nullibi gẽtium maius, ferociusque. Habet solũ fęcundum, frugiferumq; ut pote quod absque frumentis & leguminibus, cuiusque generis materiam producit, præter abietem, & ut ait Cæsar, fagum; nunc tamen est passim fagus quoque. Semper virens laurus nusquàm his Septentrionalibus regionibus fęlicius prouenit. Tanta hic rosmarini ubique copia, vt hortos inde sepiant. At uinum non habent, cum uitis apud hos rarò maturescit, & in hortis magis umbræ, quàm fructus gratia colitur. Nusquàm gentium maior cornicum multitudo, genus auiũ ibi maleficum, non enim modò maturas fruges deuorat, sed cùm nascuntur, rostro semẽ euellit, sic ut agricolis necesse sit per id tempus pueros locare per aruos cum arcubus (quando uoce humana non deterrentur) qui eas abigant. Oceanus, qui Insulam alluit omnis generis piscium copia abũdat, inter quos Lucius est, quem *Pike* uernacula lingua appellant, qui apud illos magno in precio habetur, sed ostrea nec alibi delicatiora, nec plura. Fert item aurum, argentum, cuprũ, ferrum, sed eius exigua copia, plumbum nigrum, & plumbum albũ, id est stamnum in suo genere optimum in magna abundantia hic effoditur, & ad exteras gentes effertur. Hactenus Polydorus. Inter Britanniæ fluuios duo principem obtinent locum, maximèq; nauigabiles sunt, nempe Tamisis, & Sabrina.

Maxima hic rosmarini copia.

Pike piscis.

Metallifera satis regio.

Fluuii præcipui.

TAMISIS Anglicè *Tames*, seu *Teames* ex duobus cõfluentibus constat, qui sunt Tama & Isis connubio iunctis, alueum habet prealtum, tutum, & nauium quemlibet magnarum capacissimum, atq; exæstuantis maris accessu augescit, sexaginta plus minus à mari Italicis milliaribus, vixque alius Europæ fluuius tam longe Oceani æstũ sentit, Salmonibus, & Sturionibus diues est & ad eius ripas innumeri Cigni uisuntur. SABRINA Anglicè *Seauern* ex *Plinlimon* monte effunditur, ac statim à fonte ita crebris incuruus flexibus agitur, vt sæpè reuerti credatur: procurrit tamen, seu potius lentus peruagatur agrum Salopiensem, Vigorniensem, & Gloceſtrensem, atq; in Sabrinianum fretum se tandem placidè exonerat. Est etiam ABVS æstuarium nobile uulgò *Humber*, in quo omnia ferè flumina, quæ Eboracensem regionem perfundunt, tanquàm in conceptaculum se euoluunt. Portus Angliæ præcipui sunt hi DAVERNVS uulgò *Doure*, qui est Comitatus Cantii extremus, ac colle munitur, arcemque habet tutissimam omni armorum genere optimè munitam. MOVNTSBAY satis latus in Cornuuallia, vbi tutissima est nauiũ statio. VOLEMOVTH, siue Falemouth, etiam in Cornuuallia, qui æquè nobilis est ac ipsum Italiæ Brundusium, nauium capacissimus, & tutissimus, TORBAY Sinus in Deuonia, qui decem plus minus millia passuum in circuitu colligit, qui nauibus admodum secura statio. In Deuonia quoque portus insignis est in Ostia Tamaræ, & Plimi vbi est statio tutissima, qui portus ad uim arcendam satis munitus est, ac catena clauditur. SOVTHANTONENSIS portus egregius est, quẽ Ptolemęus Trisantionis fluuii Ostium uocat. Ad Ostium Tamesis amnis portus est insignis & profundus, qui communi Tamesis fluuio maximas quasque naues Londinium dedu-

Tamisis.

Portus Angliæ.

Fontes calidi.

deducit: ac alii etiã sunt portus multi & crebri, quibus Insula ipsa accincta est. Præterea in Oceano Germanico è regione Eboraci agri uberrima & quæstuosissima est halecum piscatura, quæ numerosis examinibus quotannis circumnatant. Sunt fontes calidi in vrbe Bathonia Comitatus Somersetię, qui efficaci remedio salutares corporibus ægris sunt, antiquis etiam celebres. In rupe Sancti

Adamãtes.

Vincentii, quæ scilicet ad Ortum fluuio Auonæ imminet, magna eruitur adamantum copia, qui colore translucido Indicos prouocant, solumque duricie illis cedunt: sic etiam altera rupes ad occiduã ripã adamantũ est ferax, quos caui, & ruffescentes silices ceu fętu grauidi in se mira naturæ solertia continent: terræ motus rarò hic audiũtur, ac rarò sagittæ è cœlo cadũt. Ferũt canes Angli cos cæteris omnibus Europæ præstare. Cæterum Angliæ Regio dura est & mõtuosa, ideoq; difficile, & labriosum merces & alia quæq; ad eã ut plurimũ transferre. De gentis huius natura & moribus sic scribit Polydorus. Gens (inquit ipse) procera statura, venusta & cãdida facie est, cæsijs ut plurimũ oculis, & ut sono linguæ Italis persimiles, ita corporũ habitu, ac moribus ab illis penè nihil discrepant. Vestimento nõ multũ absimili Gallico vtuntur. Fęminæ niueo candore, insigniq; forma, quam longè decentissimo uestitu honestant. Victus maxima pars in carne consistit. Ceruisia, quam ex hordeo conficiunt, in usu est: potus certè cùm vtilis, tum iucundus; vt qui ualdè in Belgicis etiam regionibus expetitur, & inuehitur. In prandiis, ac cænis hilarè, nitidè, lepidè, atque amplius uiuunt. Bello sunt intrepidi, optimi sagittarij, ac in militia moræ haud multum patientes, & idcirco ubi ad arma uentum est, statim de omnibus fortunis alterius partis dimicatur, quia omnia uictorem sequuntur. Sed neque arces ædificant, quin olim conditas, vetustateque ruentes minus sarciendas curant. Hæc ex illo. Aliqui etiam tradunt, hos longæuam ducere uitam, ut pote ad centum, atque etiam ad 120. annos; ac insuper eos maritimam artem plurimum callere, namque usque in Daniam, Noruegiam, Moscouiam, Cõstantinopolim, Alexandriam Ægypti, Venetias, ac alibi pernauigant, ac commercia tractant. Sunt etiam Pyratæ, quippe qui Canarias Insulas, Capitis uiridis, Brasiliam, & Americam infestant; atque Hispanorum, & Portugallẽsium naues, ac scaphas depredant. Cæterum Christianam religionem, in prima enascentis Ecclesiæ infantia huic Insulæ illuxisse scriptores tradunt, atque nunc duo in hac parte sunt Archiepiscopi, Cantuariensis scilicet totius Angliæ primas, & Metropolitanus (cuius olim auctoritas longè amplissima fuit antequàm hoc Regnum à Summi Pontificis auctoritate deficeret, nam tunc Pont. Romani Legatus erat) & Eboracẽsis, quibus multi subsunt Episcopatus. sub CANTVARIENSI sunt Roffensis, Londinensis *Londen*, Cicestrensis *Chicester*, Vuintonensis *Vuynchester*, Salisburgiensis *Sarisberi*, Exoniensis *Excester*, Bathoniensis *Bathe*, Vuellensis *Vuelles*, Gloceſtrensis *Gloceſtria*, Vuigornensis *Vigornia*, Herefordensis *Hereford*, Couentrensis *Couentre*, Lichfeildensis, Vuaruuicensis, Salopiensis, Lincolniensis *Lyncolne*, omnium maximus Eliensis, Nordouicensis *Nortuuich*, Oxfordiensis, Petroburgensis, Bristoliensis, & alii quoque, quos in Vualliæ, seu Cambriæ regione numerauimus. Sub EBORACENSI sunt Cestria, Dunelmensis, & Cariolensis. Sunt autẽ in Angliæ Regno, videlicet in ipsa Lhoegra, pa-

Canes Anglici.

Gentium qualitas.

Angli Longæui.

Angli nautæ perfectissimi.

Angli Pyratæ.

Christianæ religionis initium in Anglia.

Archiepiscopi, & Episcopi Angliæ.

parœciæ 8643. præter illas, quæ sunt in Comitatu Northumbriæ, quorum numerum expressum apud Camdenum non uidi, sicut aliorum Comitatuum: atque etiam præter sacella plurima, seu capellas magnis parœcijs incolarum multitudine adæquandas. Duæ præterea sunt uniuersitates, seu florentissimæ Academiæ in hoc Regno, nempè CANTABRIGIA uulgò *Cambrigde*, quæ ad Chamum sedet, in qua sunt 19. Scholarium hospitia, & 14. Collegia magnifica: & OXONIA Saxonicè *Oxenford*, & uulgò *Oxford*, egregia quidem vrbs, salubris & amœna, quæ Collegiis sexdecim, & Aulis præterea octo eleganti structura, opimis reditibus, & instructis bibliothecis ualdè floret.

Parœciæ in Anglia quot.

Vniuersitates Angliæ.

Metropolis, & Regia vrbs, Regumq; Angliæ Camera est LONDINIVM, Cambro-Britannis *Lundayn*, incolis *London*, exteris *Londra*, vel *Londres*, ampla quidem & populo frequẽtissima, Tamisiq; fluuio celeberrimo appositа, supra quem pons est totius Europæ præstantissimus, qui in longitudine 330. passus complectitur, atque utrinque magnificis ædibus ornatur, in quibus magna cõmercia tractantur, vt non pons, sed vrbis præcipuus uicus appareat. Vrbs autem ipsa cum Orbis Christiani emporijs de secunda palma hodie cõtendit: Arcem continet munitissimam, quæ Angliæ Armamentarium est, & incolas bellicosissimos habet, qui ob eorum multitudinẽ ipsam vrbem, quàmuis turribus, mœnijs, & uallis non sit adeo munita, tutissimam reddunt. Post hanc sunt aliæ celebres huius Regni vrbes, vt EBORACVM uulgò *Yorke* antiquissima, & pulcherrima, ac totius Angliæ, (ut ait Camdenus) secunda, vniuersæq; Septentrionali parti & præsidio, & ornamento est singulari: amœna, ampla, munita, ædificiis tam priuatis, quàm publicis exculta, opibus, ciuibusque referta, & Archiepiscopali sede præclara. Hanc Vrus nunc *Ouse* intersecat, & quasi in duas vrbes diuidit, quæ lapideo ponte uastissimo coniunguntur. BRISTOLIA, Saxonicè *Burghtstouu*, ideſt locus illustris, quæ (vt ait Camdenus) æditiori situ inter Auonam amnem & Fromum fluuiolum intersidet munitionibus, & fluminibus satis tuta, duplici enim murro circundatur. Ad aspectum uerò ita pulchra, tùm publicis, tùm priuatis ædificijs, vt nomini respondeat: & ad uitæ necessitatem ita instructa, ciuibusque frequens, ut inter Britanniæ vrbes primas à Londino, & Eboraco facilè sibi uendicet. Multarum enim gentium cõmerciũ, mutui usus, & portus cõmoditas eò traxit, qui in ipsum vrbis Sinũ naues passis uelis admittat. GLOCESTRIA, seu Glouernia, quã Antoninus Cleuum & Gleuum dixit, Saxones *Gleaucester*, Angli *Glocester*, antiqua sanè vrbs, ac à Rom. cõdita, Sabrinæ fluuio exporrecta imminet, quà flumine non alluitur, munus firmissimus opponitur, Templorum numero & ædium descriptione satis est elegans. SALOPIA ad Sabrinam amnem amœnissimè assidens, arte ac natura munita, eximia, frequens, mercium copiosa, ciuium diligentia, pannis conficiendis, & Vuallorum commercijs opulenta, à Vuallis enim & Anglis incolitur, quibus utraque lingua in usu. VIGORNIA, vulgò *Vuocester* Sabrinæ appositа, quæ tum uetustate, tum uenustate digna est: nã à Rom. condita fuit, olimque Romanorum superba mœnibus, nunc uerò muro satis firmo munita: incolas habet numerosos, humanos, & lanificio opulentos. Est etiam BATHONIA uulgò *Bathe* celebris ob aquarum calidarum scaturi-

Londinium Regia.

Eboracum.

Bristolia.

Gloceſtria.

Salopia.

Vigornia.

Bathonia.

Angliæ diuisio in 7. regna.

turigines,obque comitatus titulum & pleræque aliæ.Cęterum Saxones olim Lhoegriam hanc, quę Pentarchia fuit Romanorum, Heptarchiam fecerunt, eamque in regna ſeptem partiti fuerunt, quæ ſunt Cantium, Suſſexia, Eaſt, Anglia,Vueſtſexia, Nortumbria,Eaſtſexia, & Mercia. Poſtremo uero in comitatus,ſeu conuentus 39. fuit diuiſa,quos peculiari uocabulo *Shyres* appellant, hos autem ſingulos ſub ſuis regnis numerabimus.

Cantij regnum.

CANTII regnum uulgò *Kent* inter præcipuas & præſtantiores Anglię regiones adnumeratut,q̄ innumeras paſcit oues,unde hic optimi panni tanta texuntur copia,ut per totam Europam diſtrahantur:montibus & ſyluis abundat; viris animoſis frequens; municipia habet non rara,& urbes claras, quarum DARVERNVM ſeu Cantuaria, Anglicè *Canterburi* peruetuſta & Romano ſęculo illuſtris eſt, & huius olim regni caput & Regia ſedes, ac nunc Archiopiſcopali dignitate gaudet.

Daruernū.

Suſſexiæ regnum.

SVSSEXIÆ regnum comitatus Suthreiæ uel Suthrionæ uulgò *Suthry*: & Sutſexiæ uulgò *Sußex* continet,in quibus olim Regni inſederunt. Regio ſatis opulenta,partim enim planiciebus, quæ fruges & pabulum benignè producunt ſtrata: partim uirentibus collibus conſita: partim uerò ſyluis amęniſſimis opaca eſt, & ferri etiam uenis partim fęcunda eſt,licet ferrum non adeò bonum ſit, ut alijs in regionibus.

Eaſtangliæ reguum.

EASTANGLIÆ regnum, ideſt orientalis Angliæ regnum continet Suthfolciam uulgò *Suthfolc*: Norfolciam uulgò *Northfolk*: & Cantabrigiam uulgò *Cambridgeshire*, in quibus quidem comitatibus Ptolemęi ætate Iceni, quos ipſe corruptè Simenos uocat, inhabitarunt. Regiones ut plurimū opulentæ ſunt, & populoſis pagis diſtinctæ plurimis: lætiſſima ubique habent arua,& uberrima ſaginando pecori paſcua,unde caſe magno numero conficiuntur, qui in omnes Angliæ partes, ac pręterea in Germaniam, Galliam, & Hiſpaniam diſtrahuntur: nec deſunt etiam frumentarij campi, qui hordeū laudatiſſimum affatim producunt, quo ceruiſia optima conficitur.

Nortumbria.

NORTVMBRIÆ regnum complectitur Northumbriam uulgò *Nortumberland*, quæ Scotię uicina eſt,in qua inſederūt olim Ottadini: Eboracenſem agrum, uulgò *Yorkeſchire*: Dunelmenſem epiſcopatum uulgò *the Biſhoprickof Durchan*, ſiue *Dureſme*: Lancaſtriam, uulgò *Kancashire*: Aueſtmariā, uel Vueſtmorlandiam uulgò *Vueſtmorland*: Cumbriam uulgò *Cumberland*: & regiones Scotiæ uſq; ad Endeburgi fretum. Quæ quidem regiones omnes magna ex parte aſperæ ſunt,mōtoſæ, & cultu duræ, & nonnullis in locis horridæ;alicubi tamen hordei & tritici fertiles,& conualles ſatis graminoſæ: abundant pecore,& innumeras paſcuunt oues: mōtes argento,plūbo ferro,nec non ære grauidi ſunt, atque etiam carbone foſſili pro ignis alimento. Incolarum natura à reliquis Anglis longè diuerſa eſt, quorum lingua paulò rudior eſt, Scoticæque uicinior.Sunt inſuper ſeditioſi, tumultuoſi, bellicoſi,labori addicti, ueſtitu nō indulgentes,& in negociationibus ſimplices, ac ſynceri,ſuntq; imprimis uelites optimi.

Veſtſexia.

VESTSEXIÆ Regnum habet ſub ſe Cornuualiam uel Cornubiam uulgò *Kernauu*: & Deuoniam uulgò *Denshire*, quas olim Danmonij inhabitarunt

tarunt:Dorſetiam uulgò *Dorſethshire*, vbi olim Durotriges:Somerſetiam uulgò *Somerſetshire*:Vuiltoniam uulgò *Vuilshire*:Suthanptoniam uulgò *Hantshire*,in quibus olim Belgæ fuerunt: & Bercheriam uulgò *Barkshire*. Ex quibus quidem regionibus Cornuuallia, & Deuonia ſtamni, & plumbi uenis diuites magnopere ſunt, quod utrunque totius Europæ præſtantiſſimum eſt. maximè uerò pecore abundat Deuonia, & ſubtiliſſima lana, ex qua peroptimos conficiunt pānos cariſæos,qui per totā Europā trāſmittuntur.Sunt autē Cornuualliæ incolæ natura & moribus ab Anglis,& uicinis populis diuerſi:ſunt.n.ſincери ac ſimplices,parumque in artibus liberalibus uerſati,rerum Politicarū inexperti,rudes,externum cultum, veſtesque ſplendidas nō affectantes præter reliquorum Anglorum conditionem, ſuntque ipſi è Britannorum reliquijs, qui Occidentales Britones dicuntur, quippe qui auitam linguam hactenus ex toto non amiſerunt.

Stamni copia,in Cornuuallia & Deuonia.

Mores incolarum Cornuualliæ.

Eſſexia.

ESTEXIÆ Regnum complectitur Midleſexiam uulgò *Midleſex*: Eſſeſiam uulgò *Eßex*, in quibus olim fuerunt Trinobantes: Hertfordiæ partē uulgò *Hertforshire*: vbi Cattieuchlani: Inter quas ſanè regiones Midleſexia ſumma cœli tēperie,& ſoli indulgentia eſt,ædibus & vicis magnificis undique nitida,inter quas LONDINIVM primas tenet, ut ſuperius commemorauimus. Eſſeſia uerò (teſte Camdeno) ampla,lata,frugifera,croci fęcunda, nemoroſa,& opulenta in primis eſt Regio:hinc Oceano,inde fluminibus piſcoſis quaſi conata,quæ & ſua commoda affatim ſuppeditant.

Merciæ Regnum.

MERCIÆ Regnum continet Gloceſtriam uulgò *Gloceſtershire* amęnam & fertilem: Oxenfordiam uulgò *Oxfordshire* fertilem & optimam, planam aruis & pratis ſatis excultam, ac collibus crebris ſyluis obſeſſis conſitam: in quibus Dobrini Ptolomæi ætate inſederunt. deinde Buchingamiam uulgò *Buckinghamshire* fagiferam regionem: Bedfordiam uulgò *Bedfordshire*,partim nemoroſam partim arboribus nudam, ac proinde fertiliorem: Hertfordiam vulgò *Herfordshire*,quæ frumentarijs agris,paſcuis,pratis,nemuſculis, & limpidis fluuiolis fęlix eſt,in quas regiones Cattieuchlani ſuas tenuerunt ſedes: Huntigdonenſem agrum uulgò *Huntingdonshire*,vbi olim ex parte Iceni: Northantoniam uulgò *Northamptonshire*: Leiceſtriam uulgò *Leiceſtershire*: Rotelandiam uulgò *Rutlandshire*: Lincolniam uulgò *Lincolnshire*: Nottingamiam uulgò *Nottinghanshire* regiones ut plurimum amęnæ,cultæ ſatis,ac opulentæ, in quibus olim Coritani ſedes ſuas habuerunt: ac poſtremo Vuaruuicum uulgò *Vuaruuickshire*: Vuigorniam uulgò *Vuorceſthershire*: Staffordiam uulgò *Staffordshire*: Salopiam uulgò *Shroppshire*: & Ceſtriam uulgò *Cheshire*,& hæ quidem regiones,quas olim Cornauij tenuerunt, ubertate ſatis lętæ ſunt & amęnæ,in quibus alicubi ferrifordinæ ſunt, & carbones foſſiles, ſalſi fontes, & ſalinæ nobiliſſimæ.

SCO-

SCOTIÆ REGNVM.

Scotia olim Albania.

BRITANNIÆ Insulæ Borealior pars, quæ aspera & montuosa ualdè est, SCOTIA dicitur. Hæc olim ALBANIA à Latinis scriptoribus uocata fuit, atque etiamnum ab incolis, qui auitam adhuc seruant linguam *Albain* appellatur: ipsam quoque CALEDONIAM à Tacito in uita Agricolæ uocatam fuisse percenset cum B. Rhenano doctissimus Ortelius.

Caledonia uocatur Tacito.

Scoti unde effluxerint.

SCOTOS uerò populos ex Hispania *Cantabriga* oriundos esse, atque inde in Hiberniam migrantes, tandem in Scotia sedem fixisse auctor est Lhuidus: tametsi alii putent, hos ex Scythia primo in Hiberniam nauigasse.

Fines regionis.

Hæc autem Regio duobus fluuijs, *Tueda* scilicet qui ad Orientem fertur, & *Solueo* ad Occasum labente, ubi fretum est *Soluuay*, ab Anglia separatur; ac ab alijs partibus undique Oceano, & Germanico mari pulsatur.

Forma.

Forma eius admodum inæqualis est, nam pluribus promontorijs mari sese uariè immiscet, pluresq; Penninsulas facit, in qua quidem describenda longè aberrauit Ptolemæus eam longo tractu in Ortum proijciens, ac inflectens, cũ in Septentrionem feratur; eius tamen longitudinem, ab amne scilicet *Tueda* usque ad ultimum Borealem terminũ, ubi in cuneum attenuatur, 480. mill. quidã definiunt.

Longitudo.

Regionis qualitas.

Regio insuper ipsa aspera, ac montuosa est, nec adeo fęcunda, sicut Anglia, licet piscosior. Multos passim portus habet, & aditus marinis aquis peruios, inter quos est *Letha* portus cõmodissimus, qui freto impendet, quod Boderia Ptolemæi est, Scotis uerò *Forth*, & *Frith*, estque æstuarium nobilissimũ, in quo plures fluuij obuij Oceani exæstuantis accessibus in magnam amplitudinem diffunduntur. Est etiam in Rossiæ regione Maris Sinus cõmodissimus, qui uulgò *Portus salutis* dicitur: adeò itaque Maris Oceani brachia ipsam regionẽ scindunt, ut nulla domus in ea sit, quæ ab aqua marina ultra uiginti leucas distet. Mare autẽ ipsum regnum hoc alluens abundat ostreis, halece, corallis, mytilis, aliisque conchis: in uallibus plurimi sunt lacus, paludes, fluuij, fontesque piscibus refertissimi, quorum quidem lacuum maior pars à monte oritur *Grampio*, in quo etiam suos habent fontes tres nauigabiles fluuii, qui sunt CLVDA uulgò *Cloyd*, & olim *Alcluth*, in Oceanum sese Hibernicũ exonerans. TAVS cæteros Scotiæ magnitudine excedens, qui partim in *Argile* regione à lacu eiusdem nominis, partim in *Stathera* regione exoritur, & ad Oceanum Germanicũ fertur, & FORTHEA qui ad Oceanum perambulans Germanicũ magnum illud æstuarium facit, quod uulgò Mare Scotiæ uocatur. Celebres quoq, fluuii sunt *Spaye*, *Nessa*, & *Louth* præter *Tuedam*, qui Scotiam ab Anglia segregat. Sunt præterea istic montes, æquatam agri planitiem habentes, pecorisque pabulum ubertim suppeditantes: inter quos nonnulli sunt marmorei, & alabastrini: & syluæ sunt feris plurimum abundantes, inter quas est, quam CALEDONIAM olim dixerunt, quæ Lucio Floro dicitur *Saltus Caledonius*, in immensumque spatium Romanorum sæculo diuisa, sed nunc non adeo uasta, feris tamẽ repletissima, inter quas boues fert albos adeò feroces, ut domari nequeant,

Aestuariũ nobilissimum.

Cluda fl.

Tauus fl.

Forthea fl.

Alij fluuii Scotiæ celebres.

Calidonia sylua.

nequeant, quorum crines ad instar leonum sunt. Est quidam locus *Carbonum area* nuncupatus terreno bitumine abundans, & partim non sine incolarum damno ardet. Metallifera insuper terra est, ac in ea auri, argenti, argenti uiui, ferri, plumbi, & cupri magna effoditur copia, & inter *Craufordiæ* tesqua auri fordina reperta est, & azurum sine ullo labore eruitur. Sunt hic quoque gemmæ quædam, præsertim Gagates, quæ in aquis ardet, ac oleo extinguitur. Regio porrò ipsa ualdè natura tuta est ob montium asperitatem, & syluarum copiam, unde insuperabilis æstimatur: nam incolæ montes pro Asylo habent, ubi urgente necessitate confugiunt, ibique ferinis carnibus, piscibusve uitam sustentant. Ex hac regione uiliores carisęi, frisettę, carbones fossiles ad usum fabrorum, hordeum, & malta, seu byne adferuntur.

Scotia insuperabilis.

Est autem in duas partes, Meridionalem scilicet, & Septentrionalem intermediante Grampio monte aspero, & informi diuisa, qui uulgò *Grasebaim*, seu *Gratzbaine*, idest mons incuruus uocatur: is enim à Germanici Maris littore ad ostia Deę fluuij per mediam hanc regionem in Hibernicum Mare tendens ad lacum Lomundum sistitur, qui etiam mons Pictorum olim, Scotorumque Regni ferè limes erat. Australior pars, quæ & Superior dicitur, longè fertilior est, quàm Septentrionalis, cuius incolæ humaniores sunt & ciuiliores, beneq; morati, qui etiam lingua utuntur Anglica, & hi *Altæ terræ* uiri uocantur. Qui uerò Borealiorem partem incolunt, quæ Inferior dicitur, ut plurimum asperi sunt, inculti, & agrestiores, Sylueſtresque Scoti dicuntur. Nanque ex cœli rigore truciores sunt, & ex sanguinis abundantia audaciores, & hi *Imæ terræ* uiri dicuntur. Hi Hibernorum mores, à quibus originem trahunt, linguam, & arma retinent: sago enim, & interiore tunica croco tincta uestiuntur, nudisque genu tibiis incedunt. Arma eorum sunt arcus & sagittæ, & latus admodum ensis, pugionem ex uno latere tantum acutum sub zona semper ferunt. Cæterum in uniuersum Scoti ingenio, & industria pollent, sed ad ultionem proni sunt, ac feroces: sunt præterea in bello fortes, laboris, inediæ, ac uigiliæ patientes: atque etiam astuti, & ad factiones, seditionesque propensi.

Scotiæ diuisio.

Australes Scotia.

Borealis Scoti sylueſtres.

Mores Scotorum omnium.

Plurima porrò miranda in hac Insula esse scriptores memorantur, ex quibus hæc apud Hectorem Boethum collegit Ortelius. In *Gallouidia* lacus est *Myrtoun* dictus, cuius una pars aliarum aquarum more gelu hyeme cõcrescit; altera nullis frigoribus congelari potest. Sunt in *Carickta* regione ingentis magnitudinis boues, quorum caro tenera, suauisque esui est; cæterũ pingue nunquàm concrescit, sed olei liquidi instar semper fluens. In *Coyl* prouincia haud plùs decem millibus passuum ab *Aer* oppido saxum est duodecim uix pedes altum, extensum, 33. cubitorum spissitudine, haud immerito ab incolis *Surdũ* appellatum: nam quantumuis ingentem strepitum, sonitumque, uel etiam bombarda edas ab uno latere, ex aduerso haud exaudiri queat, nisi quàm remotissimè absis: tum enim sonus facilè percipitur. In *Lennos*, quę Ptolemęo Lelgouia dicitur, lacus est longè maximus *Loumond* uernaculè dictus supra 24. millliaria in longitudinem extensus, octo in latitudinem: triginta Insulas complectitur, quarum pleręque uicis frequentibus habitatę, templa, sacellaq; Diuis dicata habent. Tria in hoc memoratu digna reperiuntur: nam pisces il-

Mirãda Scotiæ.

Boues quorũ pingue nunquàm concrescit.

Saxum surdum.

Lacus 30. continens Insulas.

G lic

Pisces absq; pinnis.

lic esui humano suaues pinnis carẽt: lacus interdũ nullo flãte uento ita immen sè concitatur, vt uel audacissimos nautas, quò minus soluant, deterreat; vnde uento cessante, naues medio cursu correptæ cum maximo discrimine iactantur, & nisi portus quispiam fortè propinquus adsit, plerunque euertuntur. Denique est Insula quædam gregibus, armentisque pascendis uber, sed quæ natans fluctuansque, quò uenti impellant, huc illuc feratur. Constans fama est, lapidem in *Argadia* nasci, qui si paulò diutius stramentis stupisve supponatur, incẽdium faciat. Ad *Slanis* Castellum in *Buthquhania* antrum est admirandæ naturæ, aqua enim in id instillans tractu temporis in candidissimum conuertitur lapidem, ac nisi certo annorum curriculo eximerẽtur, olim iam oppletum illis fuisset. Nullus in hac regione mus maior conspicitur; nec si importetur, uitam illuc ducere potest. In *Fifa* regione effoditur ingenti numero lapis niger, faciendo igni supra modum accommodus. Ad ostium *Forthæ* fluminis in medio mari altissimus scopulus est, ex cuius summitate fons aquæ dulcis largissimè admirando naturæ miraculo scaturit. Ab *Edimburgo* plùs minùs duobus passuum millibus fons, cui olei guttæ innatant, scaturit, ea ui, ut si nihil inde collegeris, nihilo plùs cõfluat: quantumuis autẽ abstuleris, nihilominus remaneat. Valet hoc oleum contra uarias cutis scabrities. Hæc ex illo.

Insula natans.

Lapis incẽdium faciens.

Aqua, quæ in lapidem concrescit.

Olei aquæ innatans.

Archiepiscopi Scotiæ Episcopi.

Duo autem sunt in Scotia Archiepiscopi. SANCTI ANDREÆ scilicet, olim Pictis *Rigmund*, totius Scotiæ Metropolis, & GLASGVENSIS vulgò *Glasquo*, vel *Glasco*. Episcopi uerò 13. sunt, olim Eboracensi Archiepisco po subiecti, nunc uerò Sancti Andreæ Archiepiscopi suffraganei sunt, quorum hos tantum collegi. *Cosuuel, Vuhitterne, seu Quhythyrne, Dumblay, Brechen, Oldaberdy, Elgyr, Catnes, & Dumkeledon, seu Dunkeldyn*. Vniuersitates autem dnæ sunt S. ANDREÆ, & ABERDONIA uulgò *Aberdene* perantiqua sanè vrbs ad Denam fluuium nunc *Don*, & Ptolemæi *Deuana* posita, ac olim Regia sedes. Nonnulli tradunt etiam, *Glasguensem* urbẽ ob studium esse celebrẽ.

Studia publica.

Edinburgũ regia vrbs.

Primaria Scotiæ vrbs est EDINBVRGVM in *Landoniæ* prouincia sita, quæ Hiberno-Scotis *Dun Eadem*, id est oppidum *Eadem* dicitur, uulgò *Edenborrouu*, quam proculdubio ipsam eandem esse, quæ Ptolemæi CASTRVM ALATVM censet Camdenus: nam *Edenborrouu* idem planè significat, quod castrum alatum. Vrbs hæc Scotorũ Regia situ æditiore, longitudine ab Orien te in Occidentem mill. pass. porrecta, latitudine dimidio minore, multis opibus opulenta, & murro satis firmo munita. Habet ad Ortum (scribit quidam) geminos montes, quorum alter ad Austrum uergens *Arcturi sedes*, qui uerò ad Boream Apricollis uulgò *Euersberch* nominatur. Ager undique fertilissimus est, amœna prata, syluulæ, lacus, riuuli, arcesque plures centum intra milliare Germanicum. Ad Occasum vrbis mons, aut rupes alta, & arx in rupe, sub qua undique profunda est uallis, nisi ea in parte, qua respicit vrbem: eoque nomine arx inexpugnabilis, nisi ex urbe, nec eam quis conscendere posset, etiam schalis, tàm præceps & dura est petra, in qua uultures nidificant. Vocatur hæc arx *Castrum puellarum*, quia olim Pictorum filiæ illic sub ferula detinebantur opificijs instruendæ, donec nubiles essent. Sunt istic aliæ etiam vrbes, & oppida insignia, nempe SCONE, seu *Sckone* in Angusiæ regione inaugurandis

Arcturi sedes.

Castrũ puellarum.

Scone vrbs.

Sco-

Scotorum Regibus notissima. ALHERDON nobile propugnaculũ ad Mare Germanicum. STERLINGA, vbi Regni Diætæ celebrantur, nam cum Regis auctoritas non admodum ampla sit, nihil de rebus publicis deliberare potest absque primatibus Regni. FORDVNVM oppidum in *Mernia* tutissimum ob situm, & celebre ob S. Palladij reliquias, & alia plura.

Alherdon.

Sterlinga.

Fordunum.

Postremo hoc Scotiæ Regnum in plures regiones, & pagos distributum est, quæ sunt hæ. LAVDONIA uulgò *Lauden*, olim Pictlandia, ideſt terra Pictorum, quæ montuosa est absque arboribus, sed humanitatis cultu laudata, in hac enim plura sunt oppida, inter quæ *Edenburgum* est sedes Regia: MERCHIA uulgò *Merch*, ideſt terminus Angliæ & Scotiæ: TIFEDALIA uulgò *Teyfidale*, ideſt uallis ad *Teisium* fluuiũ inter abruptas rupium crepidines Anglis proxima, à bellicosa gente infesta: sed quæ latrocinijs, & abactionibus infamis, in quibus Ladeni, seu Gadeni olim insederunt. ESCHEDALIA, uulgò *Eskedale* iuxta *Escam* fluuium, in qua olim Horesti fuerunt. EVSDALIA, uulgò *Eusedale*: NIDISDALIA, uulgò *Niddisdale* à Nido fluuio, uulgò *Nyth*. ANANDIA Vallis, *Anandale* uulgò à fluuio id nominis, & in his quidem regiunculis Selgouæ Ptolemæi sęculo habitarunt. GALLOVIDIA, uulgò *Galluuay*, siue *Gallouuay* ad Occidentem Solem, quæ pascuis magis quàm frugibus abundat: CARICTA pascuis satis ferax: COILA, uulgò *Coyl* tenui & ieiuno solo: & in his fuerũt olim populi Nouantes: STERLINGA, uulgò *Sterlyng:* MENDETHIA, uulgò *Menteth*: CLVIDSDALIA, vulgò *Cluidsdale*: LELGOVIA, uulgò *Lennos* à Leuino fluuio, in quibus Damni habitarunt. ERNVALIA, uulgò *Ernuale*: STRATHERNIA, uulgò *Strathern*: STORIA *Storie*: ROSSIA, uulgò *Rossen*: & ARGATELIA, uulgò *Argile* lacubus refertissima, sed magis pascubus, quàm segete abundans: atque in his Caledonii populi insederunt, quorum uniuersa Regio ALBANIA dicitur, & incolis *Allibanun*. CANTIRA, uulgò *Cantire*, ideſt terræ angulus, siue caput: uasta regio, & crebris paludibus intercisa, & LOQVABRIA, in quibus Epidii fuerunt. STRATHNAHERNIA, uulgò *Strathnahern*, ubi olim Creones. FIFA regiuncula fęcundior cæteris, vbi S. Andreæ oppidum: ANGVSIA Regio amœna prope Tauum fluuium, à quo abluitur. MARNIA, & MARRIA maritimæ regiones, in quibus omnibus Vernicones habitarunt: deinde *Buquhan*, vbi Taizali, *Rossemurray*, *Nessеland*, & *Tarbath*, ubi Vacomagi. *Beanrossen*, & *Sutherland*, in quibus Lugi & Mertæ. & tandem *Cathnes*, vbi Catini & Cornabij.

Scotiæ diuisio in plures regiones.

Caledonii.

Epidii.

Creones.

Vernicones.

Taizali.

Vacomagi.

Lugi, & Mertæ.

Catini, & Cornabii.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INSVLÆ CIRCA BRITANNIAM.

BRITANNIÆ permultæ ſparſim adiacent Inſulæ, quarum aliquæ ad Angliæ Regnum attinent, aliquæ uerò Scotici iuris ſunt, ex quibus exiguis & nullius nominis aliquibus relictis, de inſignoribus tantum nonnihil dicemus.

Sorlinges Inſula. Heſperides Inſ.

Primò quidem ſunt SORLINGES, quæ Cornuualliæ caput reſpiciunt. Et has quidem antiqui Græci (Camdeno teſte) Heſperides, & Caſſiterides uocarunt, Angli uerò nunc Silly eas dicunt. Suntque plùs minùs 145. gramine ueſtitæ, præter horrentes rupes, & ſaxa eminentia innumera. Frumento (inquit ille) nonnullæ ſatis feraces. Cæterum omnes cuniculis, gruibus, cygnis, ardeis, & marinis auibus abundant, & ſtamni uenas habent. Omnium maxima eſt, quæ à S. Maria nomen habet, caſtrum habet, & præſidium militare. Melioris notæ decem tantum numerantur *S. Mariæ, Anoth, Agnes, Sampſon, Silly, Brefar, Ruſco* ſiue *Triſcrauu, S. Helenæ, S. Martini*, & *Arthur*.

In Sabriniano freto inter Cornubiam, & Sutualliam quatuor iacent Inſulę, quarum duæ magis interiores HOLMES nunc uocantur, & Britannico ſæculo *Echni*, ex quibus una propriè *Flatholme* dicitur, quòd plana ſit & proiecta,

Caldey Inſ.

altera uerò *Stepholme*, quòd accliuis ſit, Britannicè uerò *Reoric* uocatur. Reliquæ duæ ſunt CALDEY Britannicè *Inis Pir* littori ſatis uicina, &

Londay Inſula.

LONDAY multo amplior cum eiuſdem nominis oppido, quæ ad Deuoniam regionem attinet, & hanc quidē Camdenus ex alio ſic deſcribit. LONDAY eſt Inſula in Sabrinæ oſtio, duobus milliaribus undique longa, abundans paſcuis amęnis, cuniculos producit copioſè, columbas, & ſtruconas (quos uocat Alexāder Nechamus *Ganymedis* aues) in dies habet prægnantes, aquas inſuper recentes de fontibus ſcaturientes incolis miniſtrat; ipſa licet undique mari ſit circumcincta, vnum duntaxat aditum habet, quo uix duo uiri poterint coniuncti pedites incedere: ex omni alia parte rupis horrendæ alta proeminentia prohibens ingreſſum.

E regione Cambriæ, ſeu Vualiæ ſunt hæ Inſulæ.

Selame Inſula.

SELAME, quæ Octopitarum promontorio adiacet, ſatisque graminoſa eſt, & thymo agreſti admodum læta.

Ramſey Inſula.

LEMENIA Britannicè *Lymen*, Anglicè *Ramſey* Meneuiæ urbj, ſeu *S. Dauidis* Epiſcopali ſedi obiacet, ad quam ſpectat. Hanc LIMNI Ptolemæi, & SILIMNVM Plinii fuiſſe putat Camdenus.

Bordſey Inſ.

ENHLY Britannicè, & *Bordſey* Anglicè, ideſt Inſula anium iuxta Nortualliæ caput poſita eſt, quā Ptolemæi eſſe EDRI, & Plinii ADROS coniectat ex ui uerbi Camdenus. Eſt autem ad Orientem Solem eminenti promontorio, ad Occaſum uerò plana & fertili gleba, ipſamque innumeri Sancti viri olim coluerunt.

Angleſey Inſ.

MONA Ptolemæi, Britannicè *Mon*, Anglicè *Angleſey*, ideſt Anglorum Inſula, Saxonicè *Monege*, Inſula eſt nobiliſſima tenui freto *Menai* à Vualliæ continento

tinente diuiſa, olim Druidum ſedes antiqua, cuius longitudo eſt circiter 22. mill. Anglicorum, latitudo 17. ambitus uerò 60. Hanc uerò Camdenus cum Giraldo Cambrenſi ſic deſcribit. Quàmuis arida, ſaxoſa, aſpectu inamęna & deformis ſuo tempore hæc terra uideretur; nunc tamen admodum amęna, & culta eſt: tritici que prouentu adeò ſęcunda, ut *Mater Vualliæ* uulgò appelletur. Re etiam pecuaria ſatis eſt opulenta, lapides que habet molares, & alicubi terram aluminoſam, è qua alumen, & calcanthum conficere non ita pridē cęperunt. Villas numerauit olim 363. hodie que incolis frequens eſt. Verum

Beaumarsh oppidum.

BELLVS MARISCVS, uulgò *Beaumarish*, quod in Orientali parte Eduuardus Primus conſtruxit, męnibus circumſepſit, & bello hoc nomine inſignuit (cum prius locus *Bonouer* diceretur) primarium cenſetur oppidum, & ab hoc ſecundum NEVVBVRGE, ideſt *Nouus Burgus*, Britannicè *Roſſur* quòd ingeſtis arenis diu cōflictatum. Eſt hic quoque *Aberfrauu* totius olim Cambriæ Regia. Incolæ ditiſſimi & ualidiſſimi ſunt, ac Britannica utuntur lingua, Anglicæ penitus imperiti. Angliæ tamen Regibus poſt 300. annos cum reliqua Cambria parent.

Newnburge oppidū.

Man Inſ.

MONOEDA Ptolemęi, ideſt Mona remotior, ad alterius Monæ differentiam dicitur. Hanc ſub nomine *Monæ* Cęſar meminit, *Monabia* Plinio eſt, *Menauia* Oroſio & Bedæ, *Eubonia* Gildæ, *Menauu* Britannis, incolis *Maning*, Anglis *Man*. Iacet autem medio libramine inter Boreales Hiberniæ & Britanniæ partes, à Septentrione in Meridiem (teſte Camdeno) 30. plùs minùs Italica milliaria porrecta: latitudinem uerò, quà maximè patet, uix ultra 15. millia; quà minimè 8. extendit. Bedę ætate (inquit Camdenus) trecentas familias, nunc autem 17. curias, ſiue parochiales Eccleſias numerat. Linum, & cannabim abundè profert; paſcua & arua habet ſatis lęta: hordei, tritici, ſed pręcipuè auenæ ferax eſt, unde auenaceo pane maximè ueſcuntur; pecorum ubique multitudo, & numeroſi ouium greges; ſed cum oues, tū pecora minora ſunt, quàm in Anglia. Cùm autem ſyluis ſit indiga, bituminoſo ceſpite ad ignē utuntur, quem dum effodiunt, ſępè numero in ſuffoſſas arbores incidunt. In medio mō tibus denſius attollitur, è quibus ęditiſſimus *Sceafell*, unde ſudo cœlo Scotia, Anglia, & Hibernia proſpici poſſit. Inter oppida pręcipuū cēſetur

Sceafell mons.

RVSSIN ad Auſtrale latus ſitum, quod à caſtro, vbi pręſidium habetur uulgò *Caſtleto Vun* appellatur; ſed frequentiſſimū eſt

Ruſſin oppidum.

DVGLAS, quod portus ſit optimus, aditu que facillimus, ad quem Galli, & alii exteri cum ſale ſuo marino commeant, coria, lanam rudem, & carnem bubulam ſalitam ab Inſulanis emercantes. In occiduo autem Inſulę latere ſunt *Bala-Curi*, ubi Epiſcopus plerunque agit, qui Eboracenſi Archiepiſcopo ſubeſt. Incolę omnes à furandi, & mendicandi oſtiatim conſuetudine ſunt alieniſſimi, imbelles tamen ſunt, quorum qui Auſtralem partem colunt, ſermone Hibernico; qui uerò ad Borealem partem, ſermone Scotico utuntur.

Dnglas oppidum.

Epiſcopi Maniæ ſedes.

In Glottæ æſtuario Regni Scotiæ *Dun breton fyrth* uocato nonnullæ ſunt Inſulæ, vt pote GLOTTA, cuius meminit Antoninus, nunc Scotis *Arran*, unde Comites Arraniæ in Scotia. ROTHESIA nunc *Buthe*, & aliæ paruæ.

Glotta Inſ. Arran Inſ. Buthe Inſ.

HEBRIDES Inſulæ numero 44. ab Occaſu Scotię iacent, quas Ptole-

Hebrides.

Universidad de Deusto Biblioteca

meus cum Plinio, & Solino *Ebudas* uocat, Beda *Meuanias*, Ethicus *Beteoricas*, & Gyraldus alibi *Inchades*, & *Laucades*. Ex his autem quinque percenset Ptolemęus, quæ sunt *Ricina*, *Epidium*, duas *Ebudas*, & *Maleos*. Nostris autem temporibus hę ut magis celebres nominantur. ILA è regione Nouanti promontorij quam *Epidiam* Ptolemæi fuisse plerique tenent. Satis autem ampla est, & campestri planitie ferax, & metallis diues, cuius longitudo est mill. 30. IONA, quæ nunc *Chilcha* dicitur, & Bedæ *Hy* & *Hu*, iacetque inter Ilam, & Scotiã situ plano gaudens, in qua Episcopalis est sedes, in *Sodore* oppidulo, unde Insulæ omnes *Sodorenses* etiam appellatæ fuerunt, quòd in eius diœcesi censentur; celebris autem est ob Regum Scotiæ sepulturam. MVLA, quæ Ptolemęo *Maleos* est, situ est aspero, metallisque abundat, & margaritas in circumuicino mari profert. ALIZA auibus Solandis abundans, quod est maiorum anatum genus. SKYE, Ptolemęo *Hebuda Orientalior* uitellorum marinorum receptaculum. LEVISSA, seu *Leuues*, Ptolemęo *Hebuda Occidentalior*; monticulis (ut ait Camdenus) prærupta, saxosa, & raro cultore, sed omnium amplissima. Longitudinem eius tradunt quidam esse 60. mill. & latitudinem 30. EVSTA ab hac exiguo Euripo disiungitur eiusdem penè longitudinis, sed dimidio strictior. RACLINE autem, seu *Raglyny* Ptolemęo *Ricina*, & Plinio *Ricnea* est, quæ sanè exigua est, ac ab Hibernia parum disiuncta. Cęteræ præter HIRTHAM omnium Septentrionaliorem ignobiles sunt (ut ait Camdenus) aut Saxis asperæ, aut cautibus inuiæ, & uix uirenti cespite uestitæ. Incolæ moribus, cultu, ac lingua syluestribus Hibernis persimiles sunt, unde ab illis promanasse uerisimile est. Sunt autem omnes hæ Insulę sub Imperio Regis Scotiæ, ab eisque minimum fructum capit, quas quidem à Norwegis olim coemit.

Ila Inſ.

Iona.

Mula.

Aliza.

Skye.

Leuiſſa.

Euſta.

Racline.

Hirtha.

Incolarum mores.

ORCADES Insulæ plùs minùs 30. interfuso Oceano discretæ à Septentrione Scotiæ iacent, nunc *Orkany*, seu *Orkney* vocatæ. Sunt autem cultæ, sed sine syluis & arboribus, hordei satis feraces, sed tritici omnino indigæ; nullus in eis serpens, aut uenenosum animal. Animalium greges numerosissimę nutriunt: lepri, & cuniculi, grues & cygni hic multi, piscationibus refertissimè sunt, ex quibus incolæ emolumentum non leue trahunt. Incolæ Gothica utuntur lingua, bibaciſſimique sunt: sed tamen nunquàm inebriantur, tametsi hordei abundantia potentissimum conficiant potum: medicinam omnem negligunt, quia ut plurimum longeuam & sanam ob aeris miram temperiem ducunt uitam. Primaria ex his Insulis uniuersius est POMONIA, nunc *Mainlad*, seu *Mayueland* incolis dicta, Episcopali sede, cui reliquæ Insulę obediunt in *Kirkuuale* oppido clara, & duobus castris ornata, stamnique & plumbi ferax. Cuius quidem Insulæ longitudo est mill. 26. & latitudo maxima circiter 6. Subsunt hæ Insulæ Scotorum Regi ab anno 1472. cum prius sub Danorum & Norwegiorum potestatem fuissent.

Orcades Inſuli.

Pomonia.

VECTA, seu VECTIS, Anglicè *Vuight*, Saxonicè *Vuitland*, & Britannicè *Guith*, posita est in Oceano Britannico, ac modico interuallo à continente Britanniæ distat. Terra (inquit Camdenus) est bellicosæ gentis altrix,

Vectis Inſ.

trix, colono admodum grata, lętissimas fruges, & pabula affatim profundit, cuniculis oppleta, oppidis frequens, triginta enim sex oppida, uicos, & castella numerat. Bedæ autem ætate 1200. familarum censebatur. Et quod ad Ecclesiasticam iurisdictionem spectat, Episcopum Vuintonienſem; quod ad ciuilem, comitatum Southantonienſem respicit.

In Oceano Britannico nonnullæ apparent Insulæ Galliæ prætentæ, quæ tamen Anglici Iuris sunt, licet incolæ, qui Normannici, uel Britones sunt, Gallicè loquatur, quarum præcipuæ sunt hæ.

Gerſey Inſ.

GERSEY, siue IARSEY, & Antonino *Cæsarea*, Constantiæ antiquę Normanniæ urbi obiacet, & triginta circitet milliaria in ambitu continet, atque cautibus, & breuibus (quæ uadosa sunt loca nauigantibus insidiosa) defenditur. Est autem satis fertilis, uariis frugibus, ac gregibus abundans, præcipuè uerò ouibus, ex quibus plurimę quatuor cornuis à natura munitæ sunt: piscium multitudine gaudet, & multiplici hortorum uiriditate, ac pomarjs ridet: unde vinum è pomis hic conficitur, quem *Siseram* incolæ uocant, & Angli *Sidre*. Pro lignis, quibus Insula indiget, alga marina, *Vraic* uocata, Sole siccata utitur, quæ adeò copiosè his scopulis prouenit, ut siluæ potius condensæ eminus uideantur: ex cuius etiam cinere agri lætificantur, uberrimiq; redduntur. Villæ hic sunt frequentes, & paręcię duodecim. In Castro autem *Montorguel* munitissimo, ac colli impositio totius Insulæ Præfectus pro Angliæ rege sedet.

Gernſey

GARNSEY Antonino *Sarnia* ad Occasum æstiuum à superiore 20. ab est mill. & aliquantò illa minor est, nec adeò ac illa fœcunda: nihil tamen uenenosum sicut superior alit, & naturæ munimentis tutior est, in prærupta autem cautium corona, quibus redimitur, Smiris durissimus, & asperrimus adinuenitur lapis, quo gemmarij in expurgandis, & scindendis lapidibus, & uitrarij in uitro diffindendo utuntur. Portus etiam commoditate, mercatorumq; commeatu multò est celebrior, pręcipuè uerò in oppidulo *S. Petri*, ubi ueteri Angliæ regum priuilegio (ut ait Camdenus) perpetuæ quasi sunt induciæ, & Gallis, alijsq;, quàmuis bellum exardescat, ultrò citroque huc sine periculo uenire, & commercia securè exercere licet. Incolæ uino ex pomis factitio, & alga marina *Vraic* uocata pro ignis fomento utuntur, uel fossilibus ex Anglia carbonibus, & piscium hic maxima est multitudo.

Ligon.

LIGON Insula nunc dicta, *Liga* est Antonini.

Serke.

SERKE Insula modica inter *Iarsey*, & *Garnsey* interiacet rupium præcipitijs circumuallata.

Alderney.

ALDERNEY ecclesiolam, & octoginta ædes habet.


Leſet Isles.

SIADÆ Insulæ Antonino, nunc Gallis *Leset Ysles* dicuntur, quas *Hiadatas* corruptè apud Strabonem appellari putat Camdenus.

Isle de Bas.

BARSA Antonini Camdeno est, quę Gallis *Ysle de Bas* dicuntur, & Anglis *Basepole*.

Universidad de Deusto
Biblioteca



III
HISPANIAE REGNI
DESCRIPTIO.

HISPANIA maxima Europæ regio, & prima continentis terræ antiquis cognitæ pars, in Occidẽtalem plagam proiecta eſt, quæ à Pyrenæis montibus incipiẽs, & per Herculis columnas circumiens in Cantabricum uſque Oceanum protenditur. Hanc ueteres primum ab Ibero nobili amne (*nunc Ebro*) quam mediam penè ſecat, IBERIAM cognominaſſe Plinius, & Iuſtinus auctores ſunt. HESPERIAM fuiſſe etiam uocitatam, uel ab Heſpero, ut aiunt, Atlantis fratre, uel potius ab Heſpero ſtella Occidentali, quòd Occaſui ſit ipſa ſubiecta, nonnulli contendunt: tandem HISPANIAM ab Hiſpano, ſeu Hiſpalo eius Rege fuiſſe dictam uolunt, ut ait Trogus, & Beroſus. Vel ab Hiſpali eius loci urbe clariſſima, quam *Sibillam* noſtrates uocant, & uulgò *Seuilllam*, aliquibus Hiſpaniam nomen accepiſſe placet. Huius formam nonnulli quadratam faciunt, niſi quę arctantibus freti littoribus in Pyreneum coit, qua parte à Gallis diuiditur; reliquis partibus undique pelago cinctis. Straboni uero corio bubulo humi protenſo comparatur, ſeu tergori bouis, cuius partes ad collum pertinentes in continentem eius Galliam porriguntur.

Hiſpania prima continentis pars.

Iberia olim.

Heſperia.

Hiſpania unde dicta.

Forma eius.

Habet itaque ab Ortu montem Pyreneum, qui à Veneris templo, ſiue promontorio exortus prope Illiberos, *Colibre* hodie, in Oceanum procurrit Cantabricum, qua ex parte maximè anguſta eſt: ab Aquilone Cantabrico Oceano: ab Occaſu Heſperico, ſeu Atlantico Oceano abluitur: à Meridie autem Herculeo freto, & Iberico, ſeu Balearico mari clauditur.

Fines eius.

Hiſpaniæ longitudo maxima eſt milliarium Hiſpanicorum 200. latitudo circiter 140. ubi ſtrictior 60. & circumnauigatio 600. & amplius. Sunt tamen, qui ambitum totius Hiſpaniæ maiorem ponant, ut pote milliarium communium circiter 1890. idque hac ratione. A *Colibria* ad *Fuentarabiam* numerant leucas 49. & med. à *Fuentarabia* ad C. Finis terræ leucas 93. à C. finis terræ ad C. Sancti Vincentii 100. cum quarta parte, hinc ad fretum Herculeũ 49. & med. ab Herculo tandem freto ad *Colibriam* 180. quę in unam redda cta ſummam ſunt leucæ 473. quæ per 4. multiplicatæ reddunt milliaria 1893.

Hiſpaniæ menſura.

Subeſt autem 4. Climati, quod optimam ad omnia temperiem præſtat: aut potius ſita eſt inter medium 4. Climatis, & medium ſexti, inter Tropicum ſcilicet,

Situs, cœleſtis.

ſcilicet Cancri, & circulum Arcticum, in quo terræ ſpatio accidit uarietas diei maximi æſtatis ad horam integram: Nam maxima dies æſtatis in parallelo Auſtrali diſtante ab Æquatore gr. 36. eſt horarum 14. 30. Et in parallelo Borealiſſimo diſtante ab Æquatore gr. 44. cum ſemiſſe eſt horarum 15. 30. Complectitur uerò penes longitudinem 15. Meridianos, qui uarietatem in cœleſtibus apparentijs unius horæ præſtant.

Qualitas regionis.

Prouincia porrò hæc non uiolento Sole torretur, vt Africa, neque aſſiduis ventis, vt Gallia, fatigatur: ſed cęli ſalubritas, per omnem regionem æqualis eſt, quia aeris ſpiritus nulla paludum graui nebula inficitur, ſed marina aura perflatur. Vnde oleum, mel, crocum, rubiam, ſaccarum, limones, cappares, dactilos, citrea mala, & punica, alioſq; aromaticos fructus abundantius profert: uinum inſuper generoſum abundè præſtat. Eſt tamen inæqualis qualitate, ſeu natura. Nam pars, quæ Arctum ſpectat (ut ſcribit Niger) prorſus frigida, nimiæ inſuper aſperitatis, & Oceano ſemper obnoxia, ex quo maligna ibi habitatio fit. Ab Occaſu maxima ex parte incultus, & ſqualidus ager: nam rupes, & ſaltus, & loca Silueſtria planèq; aquarum indiga ſunt. Quæ in Auſtrum uergit, uniuerſa penè fœlix, præſertim quæ intra columnas porrigitur: nam fertiliſſima omnium frugum genere eſt. Multis quippe, ac magnis irrigatur amnibus, neque è cœlo minus tempeſtiuis recreatur imbribus, quibus uineę, campique læta vbertate exuberant. Sed nec id in frugibus ſolum, uerum etiam in uniuerſorum metallorum ſpecie fœcundiſſima, quorum largam ubiq; uenam illi natura intruſit. Quòd ubi ſterilitas terræ aſcribitur, linum aut ſpartum affatim nutrit. Præterea in locis campeſtribus multa, ac diuerſa animalium genera procreari, benigneque foueri uidentur, in quibus capreæ, equi ſilueſtres: in lacubus autem cygni, atque eiuſmodi aues plurimæ: radicum etiam ad tincturam idonearum copia. Inſuper ſales non ibi coqui, ſed effodi, Hactenus ex Nigro. Carnes hic perfectiſſimæ ſunt, quemadmodum & fructus, maximè uerueciuæ, & porcinæ: optimorum etiam piſcium hic mira abundantia, præſertim in maritimis partibus.

Celebres Hiſp. fluuij.

Fluuij principales in hac regione ſunt ſex, nempè Minius nunc *Mingo*, Doria hodie *Duerus*, Tagus nunc *Taio*, Betis qui *Guldaquibir* Arabicè ab Hiſpanis dicitur, & *Circem* etiam ab incolis, Straboni autem Tarteſſus eſt. Iberus nunc *Ebro* dicitur, & Ana hodie *Guadiana*. Ex hac autem regione in uicinam Galliam deferunt ſericum, pannos omnis generis, lanas, crocum, ſaccarum, orizam, oleum, alumen, grana tinctorum, & minium, quo nulla certè eſt feracior terra: ac inſuper gemmas, & aromata ab Indijs accepta. Sed ex Gallia in Hiſpaniam deferunt frumentum, lineas telas, filum, paſtel, libros, & munitiora alia mercimonia plurima, vt gladios, ſpecula, acus, &c. Cęterum prouincia hęc quàmuis ſit ampla ſolo, non multum tamen populoſa eſt, nec magnas habet urbes, quia plura in ea ſunt inculta, & deſerta loca, ob montium aſperitatem, & planitierum nonnullarum ariditatem, & ſterilitatem.

Hiſpania populo nō admodum frequens.

Primi Hiſpanię Reges.

Hiſpaniæ primum Regem fuiſſe Tubal Noachi nepos ſcribunt Beroſus, & Ioſephus, cui ſucceſſit Iberus, & alij continuo vſq; ad Heſperum Regem duodecimum, à quo Heſperia dicta fuit. Poſt quos Reges Imperium Hiſpaniæ ad Car-

ad Carthaginenſes uenit, apud quos permanſit uſq; ad ſecundum bellũ Africanum; quo tempore Romani hos expellentes eius dominium ſibi uendicarunt, quod ad annum uſque 400. humanæ ſalutis perdurauit, quo à Vuandalis, Alanis, & Sueuis fuerunt pulſi. Quæ tamen gentes anno 433. à Gothis poſt urbis Romanæ direptionem, & ſpoliationem ab ipſis factam expulſæ fuerunt, quorum dominium perdurauit uſque ad annum domini 720. ad tempora uſq; Roderici 25. Gothorum Regis, & tunc quidem Saracenni per fretum Herculeum ingreſſi biennij ſpatio omnem ferè Hiſpaniam occupauerunt; præter Aſturiam & Gallæciam natura loci munitas, in quas Pelagius Roderici ultimi Gothorum Regis patruus ſe contulit cum nobilium, & Chriſticolarum reliquiis; ubi à ſuis Rex creatus fuit, cui ſucceſſerunt permulti Reges, qui continuo cũ Saracennis uario marte bella geſſerunt uſq; ad Ferdinandum Regem Hiſpaniæ, Aragoniæ, & Nauarræ Caroli quinti Imperatoris auũ maternum, qui ſex annis continuis cum Melem Saracenno Granatę Rege mari & terra bellum gerens, eum tandem anno 1492. dextruxit, & tunc Maurorum in Hiſpania dominiũ pęnitus extinctum eſt, quod ſanè in Granatæ Regno paulò minus octingentis annis perdurauerat. Eodemmet anno, quo Saracennorum Rex Hiſpania pellitur, coactę fuerunt 124. millia Iudeorum familiæ ab Hiſpania diſcedere, nihil auri aut gemmarum ſecum afferentes, cũ per publicum edictum talia in merces, & res ad uictum neceſſarias commutare cogerentur.

Romani in Hiſp. quando.

Saracenorũ in Hiſpania dominium quando.

Maurorum in hiſpania dominium quando extinctum.

Hebreorũ ex Hiſpania expulſio.

Cęterum HISPANI temperatura ſunt calidi & ſicci, & colore ſubobſcuri, unde fęminę ut plurimum collirio ex ceruſa & minio utuntur, quò formoſiores appareant: durioribus ſunt membris, arctiſſimo ad cingulum corpore: taciturni, qui diſſimulare optimè norint, hypocriſim & grauitatem ſeruãt, in ſympoſijs non admodum ſociales ſunt, attamen aulici & ceremonioſi cum quadam affectata ſeueritate ſunt, quorum ſermo grauis eſt, ſed elegantior eſt Caſtellanorũ, & latino ſatis propinquus: extra patriam alter alterum colit, ac ueneratur, ſummiſq; laudibus eum apud exteros extollit. Inquieti ſunt & magna molientes; fęlices ingenio, ſed infeliciter diſcunt, ſemidocti iam ſe doctos putant: ſapientiam maiorem, quam habeant, ſimulatione & uerboritate quadam oſtentant, ſophiſticen plus ſatis diligunt: lingua Hiſpanica pluſquàm latina in Academiis loqui gaudent, quin & Maurorũ vocabula plurima uſurpant; ingenij ſui monumenta in poſteros & circumuicinas gentes ob linguæ defectum rarò producunt: frugalis uitæ ſunt, nec multum cibi, aut potus ingurgitant, uinumque multa aqua dilutum potant: aduenas duriter & inciuiliter hoſpitijs excipiunt. Sunt etiam ſupra mortales omnes ſuperſtitioſi, per Regis ſolium & eius uitam gentilitio more iurant, ceremonias & adulationes omnes in Italiam introduxerunt, & amplitudinem titulorum, uariumque ueſtitum, ſacra tamen præ cęteris uenerantur, & pietatem Chriſtianam ſummopere colunt. Laborum, ſitis, & famis in acie ſunt tolerantiſſimi, & in ſtratagematibus cautiſſimi; maiori arte quàm ferocitate pugnãt; & plus conſilij, quàm uirium in bella ferunt: leui ſunt corpore, ut facilè hoſtem fugiant & ſequantur; unde plurimas conſequuntur victorias; leuis armaturæ equi-

Hiſpanorũ mores.

Grauis eorum ſermo.

Hiſpani cõtinentes.

Superſtitioſi.

Hiſpani ut plurimum victorioſi.

tes

Hisp. mulieres parum fęcundæ.

tes tibijs contractis pulchræ obequitant; hastiludia & militares omnes actus sæpius exercẽt. Mulieres parum fęcundæ sunt, quę priscarũ Romanarũ instar uino plurimum abstinent, & nobiles quidem domo nõ egrediuntur, nisi famulorum præcedentium & ancillarum sequentium comitante caterua.

Hisp. antiqua diuisio.

Hispaniam porrò omnem Romani primum in duas prouincias diuiserunt, nempe in citeriorem & ulteriorem. CITERIOREM eam uocarunt, quę Romani Imperij terris proxior erat, & ea quidem sita est inter Iberum fluuiũ, & Pyrrenæos montes. Sed VLTERIOREM, quæ remotior à terris Romani Imperii erat, quæ scilicet à fluuio Ibero ad Herculeum fretum extenditur. Deinde secundo ab ipsis diuisa fuit in tres prouincias, nempe in BÆTICAM, TARRACONENSEM, & LVSITANIAM, in quibus sanè prouincijs 14. constituerunt iurisdictiones, seu conuentus ad ius singulis dicendum, deque controuersis singulis iudicandum. Quarum septem obtinuit Tarraconensis tanquàm trium maxima; Lusitania tres, & Bętica quatuor. Et hæc quidem diuisio ad Attilæ vsque tempora perdurauit. Posterioribus autem temporibus successit BÆTICÆ Granata; Vandalia, & Estremadura; TARRACONENSI Castilia, Nauarra, & Aragonia cum alijs: & LVSITANIÆ Portugallia licet non æquè.

Citerior.

Vlterior.

Alia diuisio.

Bętica regiones.

Tarraconẽsi regiones.

Lusitania est ipsa ferè Portugallia.

Maurorum tempore regna fuerunt in Hispania plurima, nuperque totam quinque Reges obtinuerunt, Castellæ, Aragonum, Portugalliæ, Granatæ, & Nauarræ, sed unus hodie PHILIPPVS Rex Catholicus CAROLI Quinti Cæsaris filius rerum omnium potitur, neque enim intra octingẽtos ab hinc annos uniuersa Hispania, sicut nunc, sub uno Rege cecidit.

Hisp. Regis.

Partitur autẽ status Hispaniæ Regis hodie in tria dominia, seu Regna quæ sunt ARAGONÆ, CASTILIÆ, & PORTVGALLIÆ. Sub Aragonensi Regno comprehenditur preter Aragoniam Catalonia, Valentia cũ accessione Maioricæ, Minoricæ, Sardiniæ, Siciliæ, Regni Neapolitani, cum Portu Herculis Orbetello, & Plumbini arce in Tusciæ regione: & prouinciarum Belgij, cum accessione *Oran, Velez, & Melilibię* in Barbaria Africæ regione. Sub Regno Castiliæ cõprehenditur Biscaia, Leon, Asturia, Galitia, Estremadura, Andalusia, Granata, Murcia, utraque Castilia, cũ accessione Canariarũ Insularũ, Nauarræ, Ducatus Mediolani, Indiarum Occidentalium, Insularũ Philippinarũ, & aliarum regionũ, & Insularum. Sub regno Portugalliæ cõprehenditur præter Portugalliam Algarbia cum accessione *Ghineę, Aethiopię, Brasil*, Indiarum Orientaliũ, & aliarũ Insularũ. Est tamen hic Principum virorũ, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum ingens numerus: nã Duces sunt circiter 23. Nẽpe *de Frias, Medinæ de rio secco, Aluæ, Alcalæ, de Alburque, Escalonæ, Osunæ, de Auos, de Besar, Candiæ, Seßæ, Infantasgi, Medinæ Celi, Medinæ Sidoniæ, Maquedæ, Naserę, Ferriæ, Segorbiæ, Sonnę, Villę Hermosę, de Verraguas, Pastranę, & Franchę Villę*, quorum cuiusque annuus census est à 40. ad 100. ducatorum millia, & duo sunt inter eos, qui hunc numerum excedunt, vt Dux *Infantasgi*, qui habet 120. millia, & Dux *Medinę Sidonię*, qui habet redditũ 130. millia ducatorũ.

Principes viri in Hispania.

Duces.

Marchiones.

Marchiones sunt 36. hoc est, *Villæ nouæ, de Astorgia, de Aghilar, Deniæ, de Mondesar, de Nauares, de Pliego, Saniæ, dellos Veles, de Comares, de Aymonte,*

te, Altamiræ, Veladræ, Viariæ, Carpij, de Comaras, de Cortes, de Monte Mayor, della Guardia, Montis Clari, dellas Nauas, de Poça, de Steppa, Tauaræ, Villæ Franchæ, della Drada, de Cauiete, de Falçes, de Fomesta, de Molina, de Ceralua, del Vale, della Valle della Certe, de Ardalis, Aluæ, & Alcalæ, quorum maior pars à decẽ millia ad 60. millia redditum percipiunt. Comites sunt circiter 50. quorum annuus redditus à decẽ ad 25. millia est ducatorum, & aliqui ad 40. millia ascendunt. Sed ex his quatuor sunt maiores, nẽpe de *Bonauenze, Aluæ, Mirandę, & Orapese*. Sunt alii Vicecomites, Barones, prouinciarum Prefecti, Vicereges, Gubernatores, Admirantes, Mariscales, & alii Principes viri magno in numero, qui magnos redditus habent. Sunt etiam in Hispania ordinũ equitum Magni Magistri, vt Sancti Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, Rhodiensium, Sancti Ioannis, Montesæ, equitum quos uocant *de Christo*, & alii cognomento *Dauis*. Horum cuiusque redditus est 50. millia ducatorum & plùs.

Comites.

Equitum ordines.

In statu uerò Ecclesiastico Hispaniæ sunt septem Archiepiscopi, & circiter 40. Episcopi suffraganei. Archiepiscopi sunt hi Toletanus, qui est etiam castellæ Cancellarius, Hispalensis, seu Sibillæ, Sancti Iacobi, Granatæ, Valenciæ, Tarraconæ, Burgos, & Siracusæ, quorum redditus sunt permagni, nam unica Toletana Ecclesia 200. millia ducatorum annuatim colligit, & solus Archiepiscopus 80. millia. Episcopi autem sub suis Archiepiscopis sunt hi. TOLETANVS Archiepiscopus habet hos suffraganeos, Cueneæ, Cinqueneæ, Osmæ, Cordubensem, Iaen, Palenciæ, Segouiensem. HISPALENSI Archiepiscopo subsunt Malacitanus, Gaditanus, & Canariensis, seu Insularum Fortunatarum. Archiepiscopo SANCTI IACOBI subsunt Coriensis, Placentię, Asturiensis, Gamorensis, Salamanticensis, Oresensis, Tuiensis, Badaiorẽsis, Mondonensis, Lugensis, & Cuida Rodrigo, GRANATENSI Archiepiscopo subsunt Almeriæ, *Almenensis fortè*, & Guadix. Sub VALENTIÆ Archiepiscopo sunt Cartagenensis, Origuellæ, Segorbiensis, & Maioricæ. Sub TARRACONENSI sunt Leridæ *Lendensis fortè*, Tortosæ, Herluæ, Barzellonæ, Gironæ, Vrgel *Vergellensis fortè*, & Vilque *Viequensis fortè*. Sub SIRACVSANO autem sunt Pampelonensis, Calaorensis, Huuescensis, & Balbastiensis. Episcopi uerò exempti duo sunt Leonensis, & Ouedensis.

Archiepiscopi Hispaniæ cũ Episcopis sublicelis.

De Archiepiscopis & Episcopis, qui sunt in Portugallia, dicemus in Tabula Portugalliæ. Præterea iuridici conuentus sunt hic in Castella, Granata, Gallicia, & Nauarra. Et fidei Inquisitores in Marranos, Hereticos, & Saracenos magnam sibi in Hispania uendicant auctoritatem, & seueriſſimè animaduertunt. Vniuersitates opibus celebres sunt septem, Salamanticæ, Compluti, Colimbriæ, Pericianensis, Saguntina, Ostensis, & Ilerdæ. Nunc autem de singulis prouinciis agendum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BÆTICA.

Bætica nũ dicta.

HISPANIA BÆTICA à Bęti fluuio memorabili eam intersecante denominatur, qui in saltu *Tygensi* ortus in Oceanum decurrit Atlanticum, hodie uerò Arabicè *Rio Quadalquibir* dicitur, ideſt fluuius magnus, qui ualdè piſcoſus eſt & amęnus, ripis utrinque oliuetis, uineis, & mira hortorũ amęnitate florentibus & iucundiſſimo citriorum odore flagrantibus. Plinius hanc HISPANIAM VLTERIOREM uocat, & Strabo TVRDETANIAM ab incolis, nam Turdetani populi per id tempus eius terrę magnam partem occupabant. Poſterius uerò à Vandalis habitatoribus, qui eam occuparunt *Vandalicia* dicta fuit, ac hodie corrupto uocabulo *Andaluſia* uocatur, licet non toti Bęticę hoc nomen conueniat.

Vlterior Hiſpania.

Bęticæ fines.

Hęc autem prouincia à Septentrione Ana fluuio clauditur, qui nunc *Rio Guadiana* dicitur: ab Occaſu eam habet Oceani Atlantici partem, quę eſt inter oſtium Anę fluuii, & fretum Gaditanum, ſeu Herculeum: ad Auſtrum Mare Balearicum inter fretum Herculeum, & Charidemi promontorium comprehenſum, quod uulgò *Cabo de gata* dicunt: ab Oriente terminatur linea ducta ab hoc promontorio per Caſtulonem Oretanorum vrbem, quę nunc Hiſpanis *Caſlona la ueia* appellatur, ad Anam fluuium.

Regiones Bęticæ.

Capit hęc prouincia tres regiones, GRANATAM, ANDALVZIAM uel Vandaliam, in qua eſt Hiſpalis, ſeu *Siuilla*, & EXTREMADVRAM, quę dicitur olim *Bæturia*. De qualitate eius ita ait Niger. Hęc prouincia (vt ſcribit Plinius) cunctas prouinciarum diuiti cultu, & quodam fertili, ac peculiari nitore pręcedit, licet & campos habeat ad Anam fluuium accedentes ſiccitatis immenſę. At enim pars, quę ad Auſtrum obiecta eſt, quę propriè *Turdetania* dicebatur, mirifica rerum copia lęta eſt, inſuper uerò pix & grana purpurę, & minium, ſed & marmorum lapicidinæ. Inuenitur etiam minium in argentariis metallis durum & harenoſum, vbi præter aurum, quod penitus ſcrutatur, flumina, torrentesque harenam auream deferunt, quæ paſſim per loca arida deſtituunt. Hic etiã pecorum omnis generis magnus numerus, ſed præcipuè cuniculorum, quos plerique lupuſculos appellant, quorum frequens uenatio fit, eo quia plantis uaſtitatem inferunt, & ſatorum radices æſitant, & hoc per totam ferè Hiſpaniam, atque Maſſiliam uſque. Piſcoſum etiã mare illis eſt, vnde quæſtus haud exiguus, & præter alios piſces frequens eſt Thynnus, qui quercea glande ſaginatur, quæ ad mare iſthic abundè naſcitur. Temarianus mons auri & argenti habet mineram, licet alioquin aridus & ſterilis ſit; in oppidi *Italicæ* agro in locis ad Illipam ſpectantibus maxima argenti uis eſt, & in *Oriolæ* agro frugifero argentum ab incolis foditur. Sunt præterea duo fontes in territorio Carmoniæciuitatis cognomine Aureliæ, quæ nunc *Chermona* dicitur, quorum unus omnia reſpuit, alter omnia abſorbit: & eſt alius ibi, qui aurei coloris piſces in ſe natantes oſtendat, nihil extra illam aquam cæteris differentes.

Bęticæ qualitas.

Fontes mirabiles.

Granatæ regni fines.

GRANATÆ Regnum ab Ortu Murciæ regnum habet, a Meridie Ibericum mare, ab Occaſu Andaluſiam, & à Septentrione Caſtellam nouam. Nomen

men uerò obtinet à GRANATA urbe magna, regniq; ſede, quæ olim Illipula cognomento Magna dicebatur, uel ſecundũ alios Illiberis, ſeu Liberia. Solum huius regni fertiliſſimum eſt omnium Hiſpaniæ, licet nunc non adeò fertilis ſit, ut fuit ſub Maurorũ dominio, qui pulſi fuerunt Anno MCCCCXCII. nam populo non ita frequens eſt, ut tunc. Pars, quam irrigant *Xenil*, & *Darus* amnes, frugifera magis eſt, hi enim amnes mirificè propagationi plantarum, fructuum, herbarum, ſegetum, & animalium conducunt: hic optimum ſaccarum, & ſericum conficitur.

Granatæ qualitas.

Inter huius Regni Vrbes GRANATA primum poſſidet locum, quę amæniſſima eſt, namque duos habet colles, in quorum medio uallis eſt, quam perluit *Barus* fluuius; prętera murro percincta eſt, ac circiter mille turres continet. In hac eſt Eccleſia mirabili Architectura fabrefacta, licèt nondum perfecta ſit, in qua poſt Regem Ferdinandum cęteri Reges Catholici ſeppelliuntur, licet aliqui aſſerant, eos non in ea Eccleſia ſeppelliri, ſed in excurialibus non longè à *Madrid*, qui locus eſt magnificè ac Regio more ędificatus. Eſt etiam in ea Regia domus, ſeu palatium antiquorum Regum, quod ob eius artificium, & ob fontium multitudinem inter Orbis miracula connumerari meretur: ſitu gaudet amęniſſimo, nam proſpectat ab Ortu vrbem ipſam, ac eius agrum: à Meridie montes niueos, qui ſemper niuibus perpetuis albeſcunt: à Borea planitiem uidet immenſam, ac adeò fertilem, ut ex ſolis morum arborum folijs Rex quotannis emolumentum 30. millium aureorum recipiat. Sunt etiam ALMERIA, & MALAGA ad lictus maris expoſitę ſatis pręſtantes vrbes, & Malaga quidem adeò rebus ad uictum neceſſarijs affluit, ut integrę nauium claſſes ſibi in ea de eis ſaris prouideant. ALLAMA etiam oppidum diſtans 7. mill. ab urbe Granata thermis aquarum calidarum gaudet, quę non tàm ſanis iucundę ſunt, quàm ęgris ſalutares.

Granata vrbs.

Almeria. Malaga.

Allama oppidum.

VVANDALIA Regio ad Ortum Regni Granatę poſita eſt, & à Meridie freto Herculeo clauditur, à Borea Extremaduræ contigua eſt, & ab Occaſu habet Anam fluuium. Regio tritici, ac omnium frugum, fructuum, pecudum, bouum, & pręcipuè equorum optimorum mirificè abundat. In hac autem regione eſt mons excelſus, qui dicitur *Calpe* & eſt una ex Herculis columnis: altera uerò eſt in Mauritania, quam refert mons *Abyla*. Non deſunt tamen, qui putent, has Herculis columnas fuiſſe ęneas octo cubitorũ altitudine, easque fuiſſe ſitas in Herculis fano in Gadibus, qui ſanè locus ueteribus extremus terræ terminus cenſebatur, ultra quem nemo nauigare audebat: unde naucleri cum ſalui ad Gades appuliſſent, Herculi ſacrificabant, & gratias agebant. Mare, quod inter has Herculis columnas intercedit, latitudine ſua 7. milliaria non excedit, ob idq; fretum dicitur Herculeum. Nonnullis etiam Gaditanum fretum uocatur ob uicinitatẽ Inſulæ Gades, quæ uulgò *Calis* Inſula dicitur, diſtans à continente 700. pedibus, cui uicina erat alia Inſula ambitus 200. paſſuum immenſæ fertilitatis; quæ ambæ antiquis Gades uocabantur. In hac autem *Calis* Inſula eſt ciuitas Strabonis ſæculo famoſiſſima, cęterarumque Hiſpaniæ prætantior ac ditior, quæ hodie à Mauris & Pyratis calamitates multas paſſa eſt. Idem fretum Mauris dicitur *Streco de Gibraltar* ab op-

Vuandalia.

Calpe mõt

Freti Herculeum. Calis Inſ.

ab oppido id nominis, quod sub *Calpe* monte ab ipsis ædificatum est. Primaria huius partis vrbs est HISPALIS Romanorum olim colonia, cognomine Romulensis, quam nunc *Seuillam* dicunt, estq; amplitudine 6. mill. emporiū percelebre, & omnium Hispaniæ urbium ornatissima, & ditissima, quæ Regi Hispaniarum sesquimillionem aureorum quotannis reddit. In hac enim Indicum commercium magnopere uiget, & binis classibus quotannis non alio mercium genere, quàm auro & argento onustis, ac eo plerunque saburratis ad nos redeuntibus. Huius ager ad miraculum usque frumenti, uini, olei, & omnis generis frugum feracissimus est, quibus longinquas & transmarinas prouincias replet, & præter cætera nemus habet ad 30. Leucas expansum oleis tantū consitum. Sunt præterea aliæ insignes urbes in hac regione, ut pote CORDVBA amplissima, amænissimisque hortis ornata, & aquis diues. LORENA, cuius territorium complectitur 550. uillas. ALMADEN, in cuius agro reperiuntur argenti uiui mineræ opulentissimæ duorum generum, nempe quod è petris stillat, & quod ex terra eruitur, & MARCHENA, cuius territorium equos pulcherrimos illos, & cursu uelocissimos gignit, qui uulgò *Gianetti* dicuntur.

Cordub.
Lorena.
Almaden.
Marchena.

ESREMADVRA Regio prius Bæturia uocabatur, quem tractū olim Vectones obtinuerunt, extenditurque à villa Regali ad *Badaios*, & à Mariano monte, nunc *Sierra morena*, ad Tagum fluuium. Ager aprimus magis quàm ullus alius Hispaniæ est, unde hyeme huc animalium greges à Septentrionalibus Hispaniæ regionibus conducuntur: cæterum æstas hic maximè feruet, quo fit, ut urbes hic non admodum magnę sint. Hanc regionem mediam interfluit Ana fluuius uulgò *Rio Guadiana*, qui medio ferè sui itinere ad Castra Vitelliana terra absorbetur & 15. leucarum spacio continuo sub terra incedit, donec prope Medelini vrbem denuo emergit, & terræ pars, sub qua prædictus fluuius latet, optimè compascua est. Celebris nunc est in hac regione vrbs *Guadacanal* ob argenti fodinam locupletissimam, ex qua quotidie argentum in ualore sexcētum aureorum hauriebatur, & fama est in uniuersum, prædictam argenti fodinam tres aureorum milliones redijsse. In hac quoque est AVGVSTA EMERITA, olim Romana colonia, quæ *Medina del rio secco* Taraphæ nominatur, at Villanouanus & alij *Meridam* uocant. Est etiam CORDVBA in ripa Bæthis fluuij vrbs clarissima, quæ *Cordona* corruptè nunc dicitur, olim emporium & Marcelli ædificium, quæ prima hic à Romano populo dimissa colonia est Patritia cognominata.

Augusta Emerita.
Cordub.

TARRACONENSIS.

TARRACONENSIS Regio à Tarracone ciuitate, quæ nunc *Taragona* dicitur, nomen sumpsit, quæ quidem Metropolis est, & ad excipiendum Principum peregrinationes (ut ait Strabo) egregiè nata, & in qua Imperatores iurisdictiones agitabant. Hæc pars HISPANIA CITERIOR Plinio teste fuit, & multo spatiosior, uberiorque est reliquis duabus metallorum, præcipuè æris, plumbi, auri, & argenti. Complectitur autem plura Regna & Prouincias, nempe Regna Murciæ, Valenciæ, Aragoniæ, Nauarrę: deinde Cantabriam, quæ continet Biscaiam, & Guipuscoam: insuper Catelloniam, Asturias, Gallitiam, Castellam Veterem, Castellam Nouam, Portugalliam interamnem, eam scilicet portionem, quæ inter fluuios Durium, & Minium sita est.

Tarraconensis.
Citerior Hispania.

MVRCIÆ Regnum Bęticæ ab Occasu contiguum est, & à Borea Castellā Nouam habet: à Meridie autem & Ortu Iberico Mari, seu Mediterraneo abluitur. Nomen autem sumit à ciuitate id nominis, quæ est Regni caput quam Murgis Ptolemæi, & Plinij esse nonnulli censent, in hac optima fiunt uasa ex creta, & mira serici quantitas. Regio ipsa paucas habet habitationes, easque uiles ob montium asperitatem, & ob planitiem parum aquis irriguā. Cartagenæ portus in hac Prouincia cęteris Hispaniæ præstat ad Mare Mediterraneum, & circa Vrbem Carthageniam, quæ olim Cartago noua colonia erat, argenti fodinæ sunt, vbi tempore Rom. quatuor hominum centuriæ operariorum uersabantur, qui tum populo Romano 25. drachmarum millia per dies singulos referebant.

Murcia.

VALENTIÆ Regnum nomē habet à Valentia eius primaria vrbe clara, atque magna, quæ est eius oræ emporium sumptuosum: ab Ortu autem Mediterraneo Mari abluitur: à Borea Aragoniam habet uicinam: ab Occasu utranque Castilliam, Veterem scilicet & Nouam: atque ab Austro Murcię Regnum. Comprehendit Regnum hoc ueterum Hedetaniam, Contestaniā, & Ilercaoniam, & Regni titulū accepit anno DCCXX. Irrigatur Turia fluuio, qui Pomponio Durias est, & Plinio Turium, & ab incolis Arabicè *Guetalabiar* dicitur, quod aquam puram & limpidam latinis sonat, non est hic fluuius admodum profundus, sed peramęnus ob semper uirentes ripas rosis, uarioq; genere florum coronatas, uestitur quoque nemoribus à fonte suo utrinque usque ad ostia pulcherrimo aspectu ubique uitex, platanus, pinus, aliaq; nunquàm fronde carentes arbores. Sunt in hoc Regno præter cæteros duo montes *Mariola*, *Rena golosa* stirpium & herbarum uariarum refertissimi, ad quos semper magnus herbariorum numerus abundè confluit. Habet argenti fodinam, quà Valentia Tortosam itur, in loco *Buriol* dicto: lapides reperiuntur aureis uenis, lineolisve interstincti in loco, qui *Aioder* nominatur. Ad promontorium *Finistrat* sunt ferri minerę, & iuxta *Iabea* locum circa Segorbiam lapicidinæ uestigia, unde marmora olim Romam deuehi soleant. In *Picacent* alabastrum effoditur, & passim alumen, rubia, calx, gypsum in magna copia.

Valentia.
Turia fl.
Argenti fodinæ.
Ferri minerę.
Alabastrū.

Porcellanæ. Magnum recipiunt emolumentum ex fictilibus, quas ipsi porcellanas uocãt, quæ affabrè & elegantissimè pluribus in locis hic efficiuntur, quæ cum præstantissimis Italiæ possunt æquiparari. Hinc aduehitur per omnẽ Europæ par

Terra Valẽtiana. tem terra Valentiana alba & tenax, ex qua crucibuli & uasa ad coquẽda metalla & uitrum conficiuntur. Hæc collecta sunt ex Ortelio. Valentia fruitur temperatiore aere, & clementiore cęlo, ac beatiore quàm ulla alia Hispaniæ pars, ager amęnissimis hortis consitus est, & cultissimis campis, in quibus tritici, orizæ, saccari, & fructuũ maxima colligitur copia, incolæ ob delicias, quibus abundant, parum ad arma prompti sunt. Tradunt quidam reperiri in hoc Regno 22. millia Maurorum familiæ.

Aragona. ARAGONIÆ Regnum habet à Borea Nauarram: ab Occasu utramque Castiliam: à Meridie Valentiæ Regnum: & ab Ortu Cataloniam. Regio ut plurimum aspera & sicca est maximè uersus Pyrrenęum, unde ad multum itineris spatium habitationes non reperiuntur: sunt tamẽ hic ualles nonnullæ feracissimæ optimi frumenti, & fructuum, quæ mirum in modum ab aquis adiuuantur. In regionis Meditulio est MOSON urbs satis famosa, quia in ea singulis tribus annis Hispaniæ Rex ad exigendum aliquot Regnorũ reditus transfertur. In hoc Regno Metropolis urbs, est CÆSAR AVGVSTA Ptolomęi, colonia Immunis, amne Ibero affusa, quę Salduba antea uocabatur, & uulgò nunc *Saragosa*.

Nauarra. NAVARRÆ Regnum intra montes conclusum est, cuius habitatores uolunt quidam fuisse Vardulos, Bardetes aliquando dictos, & nunc *Barduali*. Alij scribunt, Nauarrienses olim Ilergetes fuisse, alii uerò Vascones. Regni huius primaria urbs est POMPELON, quam Martuam etiam fuisse dictam nonnulli uolunt, hodie uerò *Pampelona* uulgò uocatur. Hoc Regnum habet annuum prouentum ducatorum aureorum circiter centum millium.

Biscaia. BISCAIA Cantabriæ pars Regio est montuosa, præsertim in finibus ipsius: magnis abundat arboribus ad fabricãdas naues idoneis, ex quibus magnæ & præstantissimæ Hispaniæ naues sunt compactæ: profert quoque resinam, castaneas, nuces, poma aurea, & pleraque alia in magna copia: uino tamẽ caret, cuius loco potionem ex pomis conficiunt, atque populo non æquè frequens est, ac Gallia. Prętera Regio hęc habet metallorum omnium uenam, ferri uerò largissimam in parte pręsertim maritima, ubi mons altissimus totus ex ea materia est: abundat etiam Regio nigro plumbo: in Mari uerò margaritę, sed ignobiles, in conchis gignuntur.

Flauobriga Est in hac parte FLAVIOBRIGA nunc uulgò *Bilbao* urbs celeberrima, & situ satis fęlici gaudens: nam distat duobus tantum milliaribus à mari, & posita est in planitie non procul à montibus. Gaudet hęc Regio temperatiori & clementiori cęlo, nec tam ingenti, & exurente, ac reliquę Hispanię

Panis optimus. partes, infestatur calore. Conficitur hic panis optimus sapidusque, qui in furnis minimè coquitur, uulgò *Pan del fuego* dicitur, quod nunquàm terrarum melioris saporis eo inueniatur; uino abundat, quod uili prętio uenditur. Præterea boum, ueruecumque carnes, pisces, uolatilia, arborumque fructus, & quęcunque ad uitam humanam necessaria habent incolę plùs satis. In hanc

Galli,

Galli, Belgæ; & Angli negociantur, & sua tractãt commercia, cum his tractandis sit apprimè conueniens; præstat maximè lana optima, cuius simul & semel mille aduehuntur sacci.

Guipuscoa. GVIPVSCOA, seu Lipuscoa, & Lepuisca altera Cantabriæ portio, Regno Nauarræ, & Pyrrenæis montibus contigua est, qui eam à Gallia separant: & ab Occidente Biscaiam habet. Huc insederunt Ptolemæi tẽpore Varduli, ut quidam putant. Regio est montosa (scribit Ortelius) ubique ferri & chalybis ferax, adeò ut nullibi terrarum ferri maior sit abundantia, seu præstantia: unde hinc omne genus ferramentorum utensilium in uicinas regiones magno incolarum emolumento exportatur: bellica quoque instrumenta, ut sunt bombardæ, arcubalistæ, sclopeti, loricæ, enses, &c. hic tanta copia & bonitate parantur, ut non tantum ab omnibus expectantur, sed & omnibus ubertim suppeditentur. Gens ipsa bellicosissima, qui maritimam tenent, nauigationi operam dant, & expiscium captura, quos *Baccalaos* uocant, & balenarum quæstum faciunt. Habet maris portus insignes, qualis est ad fanum *D. Sebastiani*, alijque plures; ubi naues multæ è Belgia, aliisque prouincijs appellunt mercibus onustæ, quæ per mõtana in Regnũ Castellæ transuehuntur.

Ferri fordinæ.

Gentis qualitas.

Portus insignes.

Vrbs Metropolis est TOLOSA, quæ olim Paladia dicebatur, & *Tolouse* hodie. Est etiam *Fonterabia* in littore Oceani, olim Ptolemæi FLAVIOBRIGA dicta satis mercibus præstans, & commercijs ob Mare commoda. Cæterum in Cantabriæ prouincia ortum habet IBERVS amnis nunc *Ebro*, qui per ingentes campos longissimo tractu fluit: amænus quidem, & qui nauigabili commercio diues appellatur, nam per 400. mill. fluens fertilissimos agros secat, per 260. nauium capax.

Tolosa Metropolis. Flauiobriga.

Iberi fontes.

Catellonia. CATELLONIA, seu Catalonia inter Aragoniam & Pyrrenæos montes ad Mare Mediterraneum est exposita. Quam sic dictam uolunt, quia in ea habitarunt populi ex Germaniæ finibus, qui dicti sunt *Gothi*, & *Alani* & cõposito uocabulo dicuntur GOTHI ALANI. Sed nunc *Catellani*. Regio ipsa ut plurimum sterilis est, ac magis fructuum, quàm frugum abundans, & arborum syluestrium, quàm domesticorum; unde quæstum potius ex mari faciunt accolæ, quàm ex terra. In hac est BARZELONA urbs olim Barcinon, colonia cognomento Fauentia, nobilissima quidem, cuius ager ex irrigatione amnis Bætuli lætissimus est. Barzelonenses olim *Læitani*, seu *Leletani* erant. In hac etiam præter plures alias ciuitates est TARRACONA, à qua Tarraconensis pars nomen sumit, quæ situ commodo gaudet.

Asturia. ASTVRIÆ Regio ab Occasu Galliciam habet: à Meridie Castellam uterem: ab Ortu Biscaiam Cantabriæ partem, & ab Aquilone Oceano Cantabrico abluitur. Regio hæc abundè præbet aurum, & minij, crisocolæ, & aliorum colorum ferax est: aspera tamen est, & malè habitata: unde incolæ ex uenatione, & piscatu maiorem utilitatẽ, quàm ex agris percipiunt. Metropolis urbs est OVIEDVM, unde originẽ trahũt *Idalghi* Hispanię. In hac regione exoritur MINIVS fluuius ore spatiosus, nunc *Migno* uocatus, cui nomen tellus, per quam serpit, minio uberrima dedit, magnitudine autẽ sua cæteros huius regionis superat, atque ad centum mill. nauigabilis est.

Minius fl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gallæciæ fines.

GALLÆCIÆ Regnum à Septentrione Oceano abluitur Cantabrico: ab Occasu Oceano Occidentali: à Meridie Minium habet amnem: & ab Ortu Asturiæ conterminum est. Regio aspera nimis, & aquis indigens; unde raras habet habitationes, quarũ maiores, & celebriores ad mare sunt expositæ, incolęque ex piscatu, uenatione, ac mercatura uictum sibi parãt: equos uerò numerosissimos profert, ut non immeritò fabulosè uento concepti dicantur. Fuerunt olim hic auri mineræ ditissimæ Plinio teste. Et Niger scribit in *Artabris* terram argento, stamno, & auro mixtam amnes ferre, solumque auri, æris, ac plumbi uberrimum esse, adeò ut & aratro glebas aureas frequenter excidant. At hodie hic mineras magni momenti non esse certum est.

Compostella.

Præclaræ urbes sunt COMPOSTELLA, vbi corpus D. Iacobi Apostoli Hispaniæ protectoris colitur, deinde BAIONA, RIBADEVM maritimæ urbes, & ORENS uino optimo maximè celebris. Habet porrò Regio hæc optimum portum *Corugnæ*, atque Nerium, seu Artabrum promontorium, qui hodie *Cabo de finis terræ* nautis dicitur.

Portus optimus Gallæciæ.

Castellæ ueteris fines.

CASTELLA Vetus à Borea Asturiæ & Biscaiæ: ab Occasu Portugalliæ: ab Ortu Nauarræ & Aragonæ contermina est: atque à Meridie à Castella Noua mõtium dorso, qui per medium penè Hispaniæ incedunt, diuiditur.

Durus fl.

DVERVS fluuius hanc interfluit, in quem tot amnes, & riuuli cõcurrunt, ut maior omnium Hispaniæ censeatur, licet parum sit nauigabilis ob eius rapidum cursum, obq; sui angustiã: magnis attamẽ nauigijs permeabilis est ad centum milliaria & amplius. Regio abundat magis animaliũ gregibus, quàm frugibus. Metropolitana urbs est BVRGOS antiqua sanè, & benè ædificata, tametsi uias angustas potius habeat, montibus etiam circumambitur: quo fit, ut breuiorem uideant lucem, quàm situs fert, magisq; persentiant frigus.

Burgos.

Salamantica. Valadolit.

Vrbs hæc ob præcedentiam cum Toleto Nouæ Castellæ contendit; continentur autem sub eius diœcesi 150. oppida. Est hic quoque SALAMANTICA olim Tacubis uocata, ac celebri studio ornata, & VALADOLIT, quæ olim fuit Regis Hispaniarum sedes, estque omnium non tam Hispaniæ, quàm Europæ pulcherrima, cuius ager fertilis est frugum, carnium, uini, ac omnis generis fructuum.

Castellæ nouæ finis.

CASTELLA Noua iacet ad Meridiẽ Castellæ Veteris inter Extremaduram, Granatam, & Murciam, hæc plures habet planities, quàm Vetus Castella; & aliquantò ualidior illa est, magisque tritico, ac aliarum segetum

Tagus fl.

abundans. TAGVS fluuius eam irrigat cum alijs amnibus, ac riuulis in eum concurrentibus, & in eã suos habet fontes ANAS fluuius nunc *Guadiana*. Caput Regni est TOLETVM perampla ciuitas, sed situ inæquali, nunc quidem altiore, nunc humiliore, eius ambitus est circiter 4. milliariũ, omnique ex parte montibus percingitur, præterquàm ubi *Vegam* aspicit.

Toletum.

Est autem Archiepiscopali dignitate ornata, eiusque Archiepiscopus, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus 17. terris murro percinctis moderatur.

Madrid. Regia.

Sunt etiam hic aliæ urbes satis præstantes, nempe MADRID Regum Hispaniæ nunc sedes, *Calatraua*, *Alcantara*, à quibus nomen sumunt duo equitũ ordines, & *Halcalà di Henares* celebris ob Theologiæ studium.

Cæte-

Cæterum Regna Aragoniæ, Valenciæ, & Cataloniæ multa libertate gaudent, & Reip. more gubernantur, nec Regem Hispaniæ agnoscunt, nisi ceu ipsorum Regnorum caput. Qui in singulis Proregem mittit, qui consilium pro statu Iustitiæ habet, in quo solum Magnates Regni interesse possunt. Rex paucum ex his Regnis reddditum suscipit, qui etiam ex parte alienatur: nec quod Regi relinquitur, ad substentandum officiales Regni sufficit. Vnde pro præsidio & fabricis Rex ex Castella prouidet. Solent tamen singulis tribus annis hæc Regna munus 600. millium aureorum Regi exhibere, hoc est Catalonia 300. millium, Aragonia 200. & Valentia 100. millium. Vnde dici potest, redditum eorum annuum esse circiter 200. mill. aureorum Hispaniæ Regi.

LVSITANIA.

LVSITANIA Tertia Hispaniæ pars, quæ & VLTERIOR HISPANIA dicitur, cum ad Oceanum Occidentalem sit exposita, nomen à Luso Liberi filio, ac Lysa cum eo baccante, vt Varo & Plinius tradunt, sortita est, qua si Lusi regionem, *tania* enim Græcis regionem significat. Martianus attamen, Lusitaniam putat dici ab eiusdem nominis fluuio, qui nunc fortè *Tagus* est. Habet autem ad Septentrionem Durium fluuium, nunc *Rio Duero*, qui Tarraconensem ab ea seiungit: ad Occasum, & pro parte ad Meridiem eam Atlantici, seu Occidui Oceani partem, quæ est inter ostia Anæ, & Durij fluuij: à Meridie Beticam ad Anam fluuium: ab Oriente autem Tarraconensi terminatur linea ducta ab Oretana ueteri usque ad pontem, qui habet è regione Septimancas.

Lusitaniæ unde dicatur.

Lusitaniæ fines.

Prouincia hæc, vt scribit Niger, satis felix est, & rerum copia abundans: non enim montes arduos habet, sed humiles passim colles amnibus magnis, ac paruis irrigua, qui ab Ortu pariter dilapsi maiori ex parte nauigabiles sũt. Hanc TAGVS fluuius mediam secat. Habentur hic tanti equi quemadmodum etiam & in Gallicia, vt non immerito fabulosè antiquitas eos uento conceptos dicat. LVSITANI, quos Belitanos uocat Stephanus, omnium sunt Hispanorum fortissimi, scrutatores, insidiosi, ueloces, agiles, atque uersatiles, in acie diutius perseuerantes, mobili corpore, leuique, vt facilè & fugiant hostem & insequantur. Vnicus illis est cibus, mundus quidem, & simplex. Montani etiam uictu simplici utuntur, aquam potant, humique procumbunt.

Regionis qualitas.

Equi uento concepti.

Lusitania porrò ipsa *Portugallia* nunc dicitur, licet nec tota Lusitania sit Portugallia, nec tota Portugallia in Lusitaniam incidat. Namque pars Lusitaniæ, quæ inter Tagum & Anam fluuium interiacet, sub Portugallia non cadit, sed Regno Castellæ cedit. Pariter etiam Portugalliæ pars, quæ est inter Durium & Minium fluuium, ad Lusitaniam nõ spectat, sed Tarraconensis iuris est. Cum autem de Portugallia in sequenti Tabula abundè pertractetur, hic Lusitaniæ finem imponemus, & per consequens toti Hispaniæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INSVLÆ HISPANIÆ.

HISPANIÆ nonnullæ adiacent Insulæ, quæ sunt BALEARES, quorum una dicitur *Maiorica*, alia *Minorica*: deinde PITVISSÆ, & aliæ paruæ minus celebres.

Baleares Ins.

BALEARES Insulæ Gymnesiæ olim à Græcis uocabantur incolarum nuditate, qui æstatis tempore absque uestibus incedunt. Ætate nostra à maioritate & minoritate earum una dicitur *Maiorica*, alia *Minorica*, quæ inter sese 14. mill. distant.

Maiorica.

MAIORICA uulgò *Mallorca* uicinior est Hispaniæ, quàm Minorica, nec nisi unius diei nauigatione ab ipsa Hispania distat. Huius ambitum nonnulli ponunt mill. 240. alii 300. quidam etiam 480. Longitudinem notat Strabo 600. stadiorum, quæ faciunt 75. milliaria, & latitudinem 25. mill. sed Moderni latitudinem multò maiorem deprehenderunt, vt pote circiter centum mill. Vnde multò etiam maior erit longitudo, quàm Strabo posuerit. Est autem populo frequens, cuius incolæ circiter 30. millia sunt, & unicam tantum modo habet vrbem eiusdem nominis in strictiori Insulæ parte fabricatam. Alij scribunt, hanc Insulam complecti 30. terras, in quarum unaquaque dicũt esse à 300. in 600. domus, seu habitationes. Metropolim aiunt esse PALMAM Viceregis huius, ac Insularum circumuicinarum sedes; in qua Gymnasium est publicum, vbi non Aristotelis; sed Raymundi Lulli Maioricani doctrina profitetur. Qui sanè vir ingenio, & inuentione mirabili polluit, ac multa edidit volumina; præcipuè autem in Chimica facultate. Ager ad mare asper est, sed alibi colles, planities, & ualles sunt satis uino, oleo, frumento, ac fructibus fertiles. Portuum etiam bonitate Insula præstat. Gens hæc, Diodoro teste, ad uini potum, qui rarus apud eos tunc erat, promptior est, & mulierum adeò præ cæteris appetens, ut unam à prædonibus captã tribus, aut quatuor redimant viris. Fundatores, seu fundorum optimi iaculatores olim habebantur; apud hos ranas è continente delatas mutescere dicunt, nullumque noxium animal hic esse, præter cuniculos, à quibus olim multa damna perpessi sunt. Non longè à Maiorica sunt *Dragonera*, & *Cabrera* paruæ Insulæ.

Qualitas eius.

Gens Maioricæ.

Minorica Ins.

MINORICA uulgò *Mellorca* Orientalior est, quàm Maiorica, & eius circuitus est mill. 150. latitudo mill. 60. distatque à continente Hispaniæ 160. mill. Fuerunt in ea Ptolemæi ætate duæ vrbes IANA, quæ nunc uulgò *Cittadella* dicitur, & MAGO, quæ nunc *Minorica* ab Insulæ nomine uocatur. Hæc autem Insula & si minor sit altera; bonitate tamen agri ei nihil cedit, imo hic maiora bouum & pecorum armenta nutriuntur, & muli admodum magni, uoceque sonora hic proueniunt. Duos autem habet portus satis commodos, nempè *Maon*, & *Fernellus*.

Ophiusa Ins.


PITYVSSÆ Insulæ olim à fructice pinæo cognominatæ fuerunt, quarum una Græcis dicitur OPHIVSA, Latinis Colubraria, nunc uerò *Frumentaria*, quæ 70. mill. complectitur, & à continente 80. mill. distat. Hæc maiori ex parte deserta est ob angues, qui in ea multi sunt hominibus infesti.

Altera

Altera est EBVSVS, uulgò *Euisa*, uel *Ieuiza* decem mill. ab illa recedens, & à continente 50. ferè absens, cuius circuitus est plusquàm 100. mill. Huius terra serpentes fugat, omniumque animalium nocentium expers est, præterquàm cuniculorum, qui sæpius Insulæ messes populantur, cum alioquin Insula hæc fructuum omnis generis, & frumenti fœcundissima sit. Principalis huius Insulæ urbs est *Yuica*. Hic abundè sal colligitur, quo non tantum Hispania, uerum etiam Italia ex parte sibi prouidet. Circa has duas Insulas sunt tres aliæ paruæ Insulæ, nempè *Vedran*, *Conirello*, & *Dragomago*. Supra uerò Erisam inter Maioricam, & Iberi ostia est *Moncolibre* Insula deserta, & in ipso Iberis ostio *Alfaques* Insula iacet, quam dictus fluuius unà cum mare efficit. Postremo non longè à *Cartagenæ* portu sita est Herculis Insula, quæ *Scombrariæ* uulgò à piscibus huius nominis uocatur, qui numerosissime circa ipsam congregantur.

Euisa Ins.

Universidad de Deusto
Biblioteca



IIII
PORTVGALLIAE REGNI
DESCRIPTIO.

PORTVGALLIA est unum ex maioribus Hispaniæ Regnis, quę adiacet mari occiduo extenta in longitudine à Gallętiæ finibus in fines usque Vandaliæ. Hanc nõnulli à Portu Gallorum deducunt, quidam uerò & rectius à *Cale* portu, qui olim piscationis gratia frequentari solebat, indeq; tanta hominum multitudo cõfluxit, ut in ciuitatem opulentissimam euaserit, & *Portogallo*, quasi portus *Cale* dici cępit; inde uerò totum Regnum nomen obtinuisse cõspicitur. Portugalliæ cur dicatur.

Fines Portugalliæ sunt, à Septentrione Gallætiæ Regnum ad Miniũ amnem: ab Occasu, & à Meridie Oceanus Occidentalis: ab Ortu autẽ Regnum Castellæ, & Andalusia cũ Extremadura. Ambitus huius Regni complectitur 880. milliaria, uel ut alij tradunt 850. longitudo eius est 320. milliarium, & latitudo 60. Quod quidem Regnum quàmuis nec amplum solo, nec diuitijs abundans sit, nihilominus ob opportunum ad nauigationes situm ualdè præstans est, cuius redditus est singulis annis Hispaniarum Regi duorum millionum aureorum. Portugalliæ fines. Mensura eius. Redditus eius.

Præterea Regio ipsa fructus fert perfectiores magis, quàm ulla alia Europæ pars, abuudatque uino, oleo, melle, cera: frumento tamen caret, quod ex Gallia, & Septentrionalibus regionibus nauigatione hùc affertur. Istic etiam sunt mineræ auri, argenti, aluminis, marmoris albi, & iaspidis lapidis tùm albi tùm uarij coloris. Sericum quoque optimum hic colligitur, præsertim in Comitatu *Bragantiæ* opulentissimo, cui tertia ferè Regni pars subdita est, Salem non solum quantum sufficit habet, sed eum quoque alijs locis communicat: pisces marinos profert optimos, præsertim balenas, ad litus maximè Algarbiæ. Regionis qualitas.

Fluuij regionem irrigantes sunt *Ana* seu *Guadiana*, *Tagus*, *Mondegus*, *Duerus*, & *Minius*. Sed *Tagus* fluuius præ ceteris huic regioni conducit, qui ab Orientalibus partibus delapsus recto cursu in Oceanum elabitur, cuius ostia in mari panditur 2050. passuũ latitudine: estq; pisciũ feracissimus, ostreorum præcipuè redundans, & qui ob arenas auriferas cæteris huius loci fluminibus maximè præfertur, cui ager bonitate conspicuus adiacet, & huic uicina oppida oppulentissima sunt. Fluuij Portugalliæ.

Portus

Portus duo celebres.

Portus huius terræ tractus insignes sunt duo, præter alios mediocres, quorum unus est *Setubal* ab Vlyxiopona 20. milliaribus distans, quem Tagus efficit, ex quo ad 15. uel 20. milliaria per Tagum ipsum magnis nauigiis nauigatur: alter est prope vrbẽ, quæ dicitur *Portus*, quem Duerus amnis efficit.

Portugalliæ diuisio.

In tres autem partes inclyti amnes Duerus, & Tagus regionem ipsam separant, inter se natura dissimiles. Quarum illa, quæ est inter Minium & Durium, persimilis est Gallætiæ regioni; est enim populosissima, sed parũ diues. Pars, quæ est inter Tagum & Minium, habitatoribus frequentissima etiã est, qui aliquantò sunt opulentiores, sunt́que in hac parte 470. circiter oppida, & Castella murris percincta. At uerò pars inter Tagũ & *Guadianam* intercepta, raras habet habitationes, pauciśque gentibus refertas: naḿque montibus exasperatur, ac sterilescit.

Algarbiæ Regnum.

Complectitur sub hoc Portugalliæ Regno ALGARBIÆ quoque REGNVM, quod ad Austrum ipsius regionis situm est, hoc autẽ minus celebre est, quàm ullus ex alijs Hispaniæ Regnis, seu prouinciis. In hanc Algarbiæ regionem *Ana* fluuio ex superioribus Hispaniæ partibus secundo anne uina aduehuntur Hispanica, uulgò *Siccum*, *Bastardum*, & *Romania* dicta, & portus huius regionis reddeunt oleum, suber, ficus, uinum, uuas passulas, aliosq́; fructus, ac pisces ingenti copia, quibus omnibus naues onerantur Belgicæ, & in Belgiam transuehuntur. Est hic promontorium Sacrum, quod uulgò *Cabo San Vincenzo* dicitur, in quo tuta est nauium statio.

Sacrum promon.

Portugallensium natura & mores.

Portugallenses sunt omnium Hispanorum fortissimi, ueloces, agiles, uersatiles, prompti, laboris patientissimi: nauigationũ peritissimi, & nauali classe inclyti: potentes, ac glorioſi: ad dominandum, atque ad acquirendum nati; & qui uirtute sua quàmplura loca Africæ, Asiæ, ac Indiarum satis fęliciter intra 90. proximè elapsos annos uirtute bellica, ac dexteritate sua acquisiuerunt. Naḿque ad Regnum hoc non tàm ipsa Portugallia cum Algarbia pertinet: uerum etiam ad Portugalliæ Regem spectant Insulæ *Terzeræ* numero septem, quæ maximè ad nauigationem Æthiopiæ, Indiæ, ac reliquorum locorum, & Insularum Asiæ conducunt; deinde Insula *Madera* aliarum Atlantici Oceani Regina; Insulæ *Portus Sancti*, *Capitis uiridis*, *D. Thomæ* cum circumuicinis. Præterea Portugalliæ etiam Rex dominium obtinuit per omnem littoralem Africè ferè partem ad Meridiem expositam, quæ protenditur à capite *Aguero* usque ad caput *Guardafuni* Regni *Adel* in quo tractu sunt multæ tutissimæ ipsius Arces, quarum præcipuæ sunt *Cefala*, & *Mozambiche*. Est etiã dominus omnium commerciorum & nauigationum Oceani Æthiopici, ac Indici, nec non etiam quàmplurium locorum littoralium Orientalis Indiæ, ut sunt *Ormus*, *Diù*, *Goa*, *Malacca*, & aliæ: Ac arces habet in Regnis *Canonor*, *Cochini*, & *Coulan*, in Insula *Zeilam*, ac alibi etiam. Verum nuper ob summam militum egestatem *Moluccarum* Insularum dominium amisit: imo Regnum ipsum Portugalliæ ob tot loca longè acquisita populo nimis infrequens reditum est.

Insulæ, & alia Portugallensium uaris.

Portugallia populo nudata.

Monda vrbs.

MONDA Regni huius primaria vrbs, & Metropolis est, nunc *Colimbria* dicta; in cuius campis, vt scribit Theophrastus, ebor fossile candido & nigro colore inuenitur; vrbs præterea hæc Gymnasio decorata est à Ioan-

Ioanne III. Portugalliæ Rege. Est etiam VLYXIPPONA nobilissima vrbs, sic dicta, quia ab Vlixe condita, FÆLICITAS IVLIA postea dicta, & nunc uulgò *Lisbona* uocatur: Regalis loci sedes, quæ sanè populo frequentior est quacunque alia Europę ciuitate, Lutetia tamen Parisiorũ excepta: complectitur nanque quinque colles, & circiter 20. millia domos in 25. parœcijs distributas. In hac uigent negocia Indiarum Orientalium, Æthiopiæ, Brasiliæ, Maderæ, ac aliarum Insularum, ac locorũ huic Regno subiectorum, ac insuper totius Septentrionis, ita ut ex hac sola redditus fiat maior, quàm ex reliqua Regni parte. In huius vrbis agro carbunculus lapis eruitur teste Plinio.

Vlyxippona.

Portugallia olim Comitatus.

Fuit olim Portugallia Comitatus, sed circa annum Domini MCX. iterum Regium sibi uendicauit titulum, habuit́que proprios semper Reges his paucis exceptis annis, quibus extincto Sebastiano, sub Hispaniarum Regis Imperio iacet.

Status Portugalliæ Ecclesiasticus.

Portugalliæ Archiepiscopi tres sunt, BRACARENSIS, VLYXIPPONENSIS, & FVNCHALENSIS. Episcopi autem his suffraganei sunt Eborensis, Visei, Guardensis, Colimbriæ, Porcensis, Lamecensis, Silues, & Ceppetensis.

Terræmotus insignis in Portugallia.

Tradunt quidam anno Domini MDXXXI. circa Ianuarij finem totam Portugalliam motu terræ concussam fuisse, & Vlyxipponæ 1050. corruisse ædes præter 600. ferè, quę ruinam minitantur, qui quidem terrę motus octo diebus perdurauit singulis diebus per interualla rediens, Vnde incolę relicta vrbe agros sub dio coacti inhabitarunt.

INSVLA CIRCA PORTVGALLIAM.

Berlingo Insula.

ADiacet Portugallię Insula BERLINGA, antea LONDOBRIS dicta, quæ 50. millia complectitur, & sita est inter promontorium Montis Lunæ & amnem Mondæ, uulgò *Mondego* dictum, non longè ab ipso continenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca



V
GALLIAE REGNI
DESCRIPTIO.

GALLIÆ appellatio perampla quidem est, cum sub ipsa non tàm Franciæ Regnum, quàm bona Germaniæ, ac Italiæ pars cadat. Etenim Galliam diuisere olim prisci in Cisalpinam, & Transalpinam. CISALPINA Gallia est ea Italiæ pars, quę *Lombardia* hodie dicitur, de qua suo loco pertractabitur. TRANSALPINA autem Gallia, quam *Comatam* Plinius cognominat, & Ptolemæus *Celtogallatiam*, ea pars dicitur, quæ inter Rhenum fluuium, Oceanum, Pyrrenæos Hispaniæ montes, Mediterraneum mare, & Alpes concluditur. Quam sanè Cæsar in suis Commentarijs in tres partes diuidit, in BELGICAM nempè, CELTICAM, & AQVITANIAM: sed Ptolemæus quemadmodum, & Augustus post Cæsarem Galliam quadripartitam proponit, nempè AQVITANIAM, LVGDVNENSEM, quę est eadē cum Celtica Cæsaris, BELGICAM, & NARBONENSEM, quæ etiam Bracata est. Ex his autem Belgica maiori ex parte ad Germaniam nunc spectare uidetur, ut in Belgij descriptione constabit. Quare hoc in loco de ea tantum Galliæ parte agere propositum est, quæ propriè *Regnum Franciæ* uocatur.

Galli. pell. Di. I

Alia diuisio.

Ptol. diuisio

Non ignorandum tamen est, Galliam hanc Græcis prius GALATIAM fuisse dictam à *Gala*, quod Lac significat, quia Lacteos, idest albos homines producit. Nonnulli tamen cum Diodoro opinantur, huic regioni Galatam Herculis filiam nomen dedisse. Alii etiam aliter de origine huius nominis tradunt; communis nihilominus opinio est, eos à *Gala* nuncupari. COMATÆ uerò Galliæ cognomen accepisse dicunt à cæsarie, quam incolæ (sicut olim) nunc quoque nutriunt. Hodie autem FRANCIA uocatur à *Francis*, seu *Franconibus* Germaniæ populis, à quibus olim ferè tota subacta est.

Galatia.

Comata cur dicatur.

Francia unde dicatur.

Huius itaque prouincię, quæ *Regnum Galliæ*, seu *Franciæ* propriè dicitur, fines hi sunt. Ad Septentrionem, & pro parte ad Occidentem Oceanus, quem peculiari nomine Britannicum ad Septentrionem, & Aquitanicum ad Occidentem uocant: reliqua pars ad Occasum, quę nonnihil in Meridiem flectit, Pyrrenæi montes, ad quos Hispania terminat: à Meridie Mediterraneum

Regni Franciæ fines.

mare,

mare,quod à se Gallicum uocatur.Et hi quidem ad has plagas antiquę etiam Galliæ termini fuere: ab Ortu autem habet Alpes in confinio Italiæ, & ad Septentrionem non parum reflectendo linea ab Argentorato ad Iccium portum,nunc *Cales*, finitur.

Situs cœlestis. Includitur autem Regnum hoc inter parallelum 13. & 19. à medio scilicet quinti Climatis, ubi dies longissima Æstatis est horarum 15. usque ad medium octaui,in quo longissima dies est horarum 16. cum semisse. At penes

Galliæ mensura. longitudinem accipit Meridianos omnes,qui sunt inter gr.15. & 29. Galliæ longitudinem nonnulli tradunt esse milliarium 520. ab Alpibus scilicet ad Occidentale Oceanum,latitudinem uerò milliarium 584.ab vrbe Marsilia ad Britannicum Oceanum.

Galliæ qualitas. Porrò Gallia in uniuersum,& si Septentrionalibus ventis obnoxia sit, aeris tamen salubritate,temperieque,ac agrorum fertilitate inter ubertissimas & fœlices Europæ prouincias connumeranda est. Cuius ager maiori ex parte planus est, amenissimis collibus,& uallibus ornatus: fœcunditate mirus: pluuiarum multitudine abundans: & nulla ferè ex parte otiosus: triticum enim,& alias segetes copiosissimè profert; unde bona pars Hispaniæ,& Portugalliæ triticum sibi parat. Prata,ac alia loca Galliæ compascua armenta numerosissima nutriunt; Vnde carnis, casei, lactis, butiri,lanæ, & similium hic ingens copia: vino quoque optimo supra modum diues est,adeò vt non tantum ad eam ipsiusmet Galliæ partem, quæ ad Oceanum Britannicum exposita est,mittatur;continens Britanniam,Normandiam,& Picardię partem,vbi ob frigidiorem aerem vuę ad maturitatem non perueniunt; sed etiam in Belgium, Angliam, & Germaniã copiosissimè aduehitur. Oleum,ficus,crocum, & similes fructus, qui calidiore aere gaudent, in Meridionali Galliæ parte abundè proueniunt; reliqua pars ad Boream his ut plurimum caret; alios nihilominus fructus generatim ad abundantiam fert. Sal hic conficitur non tantum ipsi Regno sufficiens,sed pro circumuicinis quoque regionibus: lini insuper & cannabis mirus hic prouentus, quem abundè in Hispaniam, & Portugalliam pro nauium, ac classis usu,& ornamentis mittunt: ex his etiam telas conficiunt, quæ in diuersas regiones exportantur. Nemora perampla hic non sunt; sed tamen frequentia,ex quibus ad omnẽ usum lignorum maxima copia ceditur,& in quibus aucupium,& uenatio magnopere exercetur, adeò ut plures altilibus, etiam si carius emptis, quàm alijs carnibus uescantur potius.

Iura mons. Cemeni montes. Sunt etiam hic montes,qui Galliam Narbonensem ab alijs diuidunt,nempe IVRA, nunc *Mons.S.Claudij* uocatus,& CEMENNI,hodie *Aluerniæ montes* uocitati,qui quidem omnes (præter herbas medicinales, quas ferunt optimas) pascua undique optima habẽt,ex quibus greges & armenta numerosa aluntur: vnde carnium,butiri,casei optimi,& talium ingens trahitur copia. Multos insuper, ac commodos habet maris portus,quorũ principalior,

Marsiliensis portus. & maximè famosus,ac tutissimus est MARSILIENSIS ad Mediterraneum mare,qui catenis ferreis clauditur.

Galliæ flumina. Fluminibus pręterea magnis,ac paruis prouincia hęc Galliæ mirificè lætatur,qui

tur,qui eam undique irrigant, & ad nauigationem, ac piscaturam sunt aptissimi; quorum celebriores sunt Garumna, Ligeris, Sequana, & Rhodanus.

Garumna. GARVMNA, vel Garyna hodie *Garonne;* qui ex Pyrreneo monte delapsus nonnullis amplificatur amnibus, æstate uadosus, hyberno uerò tempore liquatis niuibus augetur,stagnatque marino æstui obuius,atque adeò,ut freti similis appareat,qui interdum seuiente uento atrociter iactat.

Ligeris. LIGERIS hodie *Loire*, uel ut alij dicunt *Lecher*,amplior cæteris,perspicuitate aquæ inclytus,in quem alij plures fluuij concurrunt,ex quibus ad Ortum *Era* est ex Aluernis montibus proueniens.Hunc amnem Ligerim patrẽ fluuiorũ Galliæ uocant, & hi quidẽ ambo in Oceanum Occidentalẽ percurrunt.

Sequana. SEQVANA, nunc *Seyne*,qui in Alseti regione Ducatus Burgundiæ exoriens nõ longè à vico Monasterij S.Sequani,atque in sese Matronam,uulgò *le Marne* recipiens Lutetiam primum Parisiorum,uulgò *Paris*,deinde Rotomagum,uulgò *Roan*,bifariam diuidens in Mare Britannicum erumpit: ubi & æstuarium, & admiranda æstus maris ratio,non eadem cum alijs fluuiis,qui in Oceanum labuntur occiduum,seruans naturam: repentè enim, & inopinato quodammodo è mari adfluit, & ascendit horribili cũ sonitu ad hastę longę altitudinẽ & ultra: unde & plurimę naues,quę negligenter intro nauigant, naufragij subeunt periculum.

Rhodanus. RHODANVS, hodie *Rhosne*,Gallię rapidior,qui non longè à Rheni fontibus oriens prope montem, cui nunc *Briga* nomen est, & infra Lugdunum Arari uulgò *la Sone* sese immiscens, in Mare Mediterraneum se exonerat: Sola autem Britannia fluminibus insignioribus caret, quibus tamen non indiget, cum in sese mare undique recipiat. Lacus Gallia celebres non habet,sed in horum loco stagna quàmplura piscosissima succurrunt.

Gallorũ forma & mores. Gallorum temperatura frigidior & humidior,calor mollis,albicans color, grandioribus corporis, mẽbris muniti,ignea illis mens,mobile pectus,curiosi,& rerum sitibundi nouarum,ore libero,læti,alacres,& in cõuiuia proni,merum potant uinum, & apud eos aduenę humanissimè hospitijs excipiuntur, nullum eis denegatur officium,ad uictum omnia parata proponuntur,eorum sermo suauis,facundi potius quàm eloquentes: creduli, inquieti ac pacẽ fugientes: uoluptatibus, ac sensibus dediti: in primis motionibus uehementes sunt, sed in progressu lenti: pietatem & religionem summopere colunt: litigiosi admodum sunt, & causidicorum nomen olim & nunc tenent, ut qui forensia litigia pro re interim minima concitent,unde iuris peritorum, & foro litigantium magnus hic numerus,hypocrisim & grauitatẽ refugientes, ad rem bellicã prompti, sed impetuosi, & qui maiori ferocitate,quàm arte pugnant, & plùs virium quàm consilii in bella ferunt, Gallorum cataphracti equites sunt in pretio. Nobiles ut plurimũ liberales sunt,magnanimi, ac bellicosi: plebs autem tenax, abiecta, & imbellis,iis tamen exceptis,qui in Hispaniæ & Belgij confinibus positi sunt.Mulieres solæ,uel una tantum pedisequa domo egrediuntur.

Galli olim famosi. Gallorum nomen magno fuit olim Romanis,Grecis,& Asiaticis terrori capta, dirutaq; ab eis Roma, victis Macedonibus,& subacta ea Asię parte, quę ab eis *Galatia*,siue *Gallogræcia* dicta est. Mira Gallicarum fœminarum fuit &

est

Galliæ mulieres fœcundæ.

est fœcunditas, vt quę plurimas semper emiserit Gallia colonias, nec hodie potest Gallicum solum eos ferre, cum multa millia inferioris sortis homines in Hispaniam, Germaniam, ac alibi quotannis migrent. Nanque sunt in Gallia circiter 30. mill. populationes cum diœcesi, & habitatores quindecim milliones superant, inter quos sunt 18. millia nobilium.

Tota Francia sub uno Regno.

Tota autem Francia uni Regi subest, cuius sedes est LVTETIA PARISIORVM, eiusque primogenitus, seu qui Regi in Imperio succesturus est, vocari solet *Delphinus Franciæ* à primo natiuitatis die. Regno & coronę Franciæ octodecim subsunt Ducatus unà cum 35. Comitatibus illorum clientelaribus, tamquàm perpetuum patrimoniũ & hęreditas. Qui sanè Ducatus hi sunt. *Orleans, Burgundia, Narbona, Britannia, Aniou, Berry, Normannia, Auernia, Guienne, Tours, Barleduc, Valoys, Nemoux, Alencon, Reims, Laon, Langres*, & *Borbon*. Prętera subsunt etiam immediatè coronę Francię 14. Comitatus ipsi Regno patrimoniales, nempe *France, Dampmartin, Beaumont, Champaigne, Vermandois, Messy, Chartres, Montfort, Melun, Perche, Eureux, Estampes, Dunois, Tholouse*. Olim uerò Artesię & Flandriæ Comitatus sub corona Francię erant, qui tamen nunc ad Regem Hispanię pertinent.

Parlamenta Franciæ.

Senatorum ordines, quos *Parlamenta* vocant in aliquot huius Regni vrbibus pulchrè sunt instituti, ut Parisijs, Rothomagi, Tolosæ, Burdegaliæ, Gracianopolis, &c. quatuor cuiq; præsides, & consiliarii plurimi sunt, qui de rebus magnis, & appellatione remota sententias ferunt. Duodecim insuper uiros ex omni nobilitate electos, *Franciæ Pares* appellatos à Caroli tempore obseruant Galli, sex scilicet Ecclesiasticos, quorum tres Duces sunt, nempè Remensis Archiepiscopus, Laudunensis, & Lingonensis; Alij tres comites Episcopi sunt, nempè Bellouacensis, Nouionensis, & Catalaunensis. Reliqui Franciæ pares sũt sęculares, tres s. Duces Burgundus, Normanus, Aquitanus: & Comites tres Flandrensis, Tholosanus, & Campanus. Horum sex nullus hodie in Gallia extat, ipsomet Rege illos sibi titulos uendicante.

Pares Franciæ.

Archiepiscopi Galliæ cũ suis Episcopis.

Sunt in hoc Regno Archiepiscopi septemdecim, nempè Aquensis *Aix*, Auxitanus *Auchx*, Arelatensis *Arle*, Auinionensis *Auignone*, Bituricensis *Bourges*, Bisuntinensis *Besenzon*, Burdegallensis *Bordeaux*, Ebredunensis *Ambrum*, Lugdunensis *Lion*, Narbonensis *Narbona*, Rothomagensis *Rouan*, Remensis *Rhems*, Senonensis *Sens*, Tholosanus *Tholouse*, Turonensis *Tours*, Tarantasiensis *Tarantasio*, & Viennensis *Viennæ* in Delphinatu. Quibus quidem 108. circiter subsunt Episcopi. Etenim AVXITANO subsunt Auraiacensis *Aire*, Basensis *Basaz*, Bayonensis *Bayona*, Comnigensis *Comigne*, Conserenensis *Conserans*, Aquensis in Vasconia *Dax*, Lectorensis *Lectore*, Lescurien sis *Lescar*, Tarbiensis *Tarbe*. Sub AQVENSI Archiepiscopo est Segestensis *Cisteron*. Sub ARELATENSI Aurensicensis *Oranges*, Massilienſis *Marsilia*, Tricastinensis *Tricasie*, uel S. Pol. Tolonensis *Tolone*. AVENIONENSI subsunt Carpentoratensis *Carpentras*, Cabellionensis *Cauaiglion*. Sub BITVRICENSI Albiensis *Alby*, Claramontensis *Clarmont*, Caturcensis *Cahors*, Castrensis *Castres*, Ingolismensis *Angolem*, Lemouigensis *Lymoges*, Menatensis *Mende*, Ruthenensis *Rhodez*, Sancti Flori *San Flur*, Tullensis

lensis *Tulle*, Xantonensis *Xante*. Sub BISVNTINO Basilensis *Basilea*, Bellicensis *Beuges*, Lausanensis *Losana*. Sub BVRDEGALLENSI Agenensis *Aagen*. Sub EBREDVNENSI Dignensis *Digne*, Grassensis *Grasse*, Glautacensis *San Claude fort*, uel *Glandeue*, Nicensis *Niza*, Senetensis *Senez*, S. Pauli *S. Pol* in Delphinatu, Vancensis *Vence*, uel *Vap.* aut *Gap.* Sub LVGDVNENSI Caualonensis *Cialon* ad amnem *Saone*, Heduensis *Autun*, Lingonensis *Langres*, Matisconensis *Mascon*. Sub NARBONENSI Agathensis *Agde*, Electensis *Alect*, Bitterensis *Beziers*, Carcasonensis *Carcaßone*, Eluensis *Eaule*, Foroiulensis *Freius*, Lodouensis *Lodeue*, Magalonensis *Meguelone*, Nemausensis *Nimes*, S. Pontij Temeriarum, *San Pons da Tomeres*, Vticensis *Vzez*. Sub ROTHOMAGENSI Abricensis *Auranches*, Baiocensis *Baieux*, Ebroicensis *Eureux*, Lexouiensis *Lisieux*, Sessuiensis *Seez*. Sub REMENSI Ambianensis *Amiens*, Attrebatensis *Arras*, Belluacensis *Beauois*, Cathalaunensis *Cialon*, Cameracensis *Cambray*, Laudunensis *Laon*, Morinetensis *Terouana*, aut *Boulogne*, Nouiodunensis *Noyon*, Suessionensis *Senlis*, Tornacensis *Tornai*, Siluanectensis *Sanlis*. Sub SENONENSI Aurelianensis *Orliens*, Antissiodorensis *Auxerre*, Carnotensis *Ciatres* in *Beauße*, Meldensis *Meaulx*, Niuernensis *Neuers*, Parisiensis *Paris*, Trecensis *Troye*. Sub. TOLOSANO Lucionensis *Lußon*, Vaurensis fortè *Lauaur*, Lombe riensis *Lombres*, Melliacensis *Meilezais*, uel *Mailezay*, Montis Albanẽsis *Montalban*, Mirapicensis *Mirepois*, Pictauiensis *Poictiers*, Apamiarum fortè *Pamiers*, Riuensis *Rieux*, S. Pauli *S Paul*. Sub TVRONENSI Andegauensis *Angiers*, Briocensis *S. Brieu*, Carisopinensis *Corneuaille*, Cenomanensis *le Mans*, Dolensis *Dol*, Leonensis *S. Pol de Leon*, Maclouiensis *S. Malo*, uel *Alet*, Nanetensis *Nantes*, Reonẽsis *Renes*, Trecorensis *Tregoir*, Venetensis *Vannes*. Sub TARANTASIENSI Augustensis *Augusta*, Sedunensis *Setten*. Sub VIENNENSI Gebennensis *Gineura*, Gratianopolitanus *Granoble*, Mauriacensis *S. Iuan de Mouinna*, Valentinensis *Valenze*, Viuariensis *Viuiers*.

Gymnasia publica sunt, Lutetia Parisiorũ, Tolosa, Burdigala, Pictauia, Bourges, Aniers, & Dola. De Rege Galliæ duo memoranda ferunt. Primum quòd sit in Remensi Ecclesia uas Crismate perenni redundans ad Regis coronationem cęlitus missum, quo Reges omnes liniuntur. Alterum, quòd Rex ipse solo contactu strumas, siue scrofulas curet. Nunc autem ad particulares Prouincias describendas accedamus, diuisionem Ptolemaicam sequentes; ac ad unamquanque particulares Regiones, seu Comitatus & dominia huius temporis referentes: tametsi quædam sint, quæ duarum prouinciarum participes sunt: quas tamen ordinis gratia ad illas referemus, ad quas maiori ex parte pertinent.

AQVITANIA GALLIA.

Aquitania.

GALLIA AQVITANIA cæteris Galliæ partibus Occidentalior à Pyrenæis incipit montibus, & non ad Garumnam, sed ad Ligerim amnem iuxta Ptolemæum ad Septentrionem, Ortumque Solis terminat, ac à Lugdunensi separatur. Hæc autem nomẽ à Gentibus Aquitanicis, quæ plusquàm uiginti fuerunt, exiles autem & ignobiles (vt inquit Strabo) sortita est. Vel ut Iuoni Carnotensi uidetur, ab aquis deducitur, quasi ad aquas Regio diceretur: quo sensu olim *Aremorica* dicta fuit teste Plinio, idest ad mare, hodie *Guienne* uocatur Marliano. Gẽtes hę fortissimæ & procerissimæ sunt. Quarum nunc sunt hæ regiones. *Bearnia, Bigoruia, Guienna,* sub quo nomine cadit *Guasconia,* cum Comitatibus *Commingiæ, Armeniaci, Foix,* & *Albreti* præter *Biscaiæ* partem ad Galliam spectantem. Deinde ultra Garumnam *Pictauia, Xantonia, Perigort, Querci, Limosin, Aluernia, Berry, Turena, Salonia, Borbonium, Foreſt, Vellay.* De quibus singulis nonnihil dicemus.

Vnde dicta.

Eius regiones.

Biscaia Baiona.

BISCAIÆ pars ad Galliam spectans ad Occidentalem Oceanum est exposita, cuius caput est *Baiona* arx nimirum satis præstans. Et hæc quidem à reliqua Biscaiæ parte, de qua in descriptione Hispaniæ diximus, non differt.

Bearnia.

Eius diuisio.

BEARNIÆ Principatus inter Pyrenæos ponitur montes, possidens ualles *Salti,* & *Aspæ* populosissimas. Diuiditur autem ipsa Bearnia in ALTAM, seu superiorem, quæ in ipsis iacet mõtibus, cuius est Metropolis *Oleron* urbs: & in BASSAM, seu inferiorem, quæ ualles ipsas complectitur, in qua est urbs *Lescar,* & oppidum *Pau* parlamento ornatum, & præter alia est hic *Nauarrin* arx munitissima ab Henrico Bearniæ Principe, qui intitulatur Rex Nauarræ nostris temporibus extructa. Gens ipsa hilaris est, agilis, libertatem amans, ad arma prona, ac nimium de se præsumens, cuius quidem opes sunt milium, & capræ, quæ hic numerosissimæ aluntur ob situs commoditatem; præter fera animalia, quæ in nemoribus adinueniuntur, ex quibus etiam rasa pini, termentina, pix, & subur colliguntur. Hic primogenitus solus omnium bonorum fit hæres.

Nauarrin arx.

Bigoruiæ.

BIGORVIÆ Comitatus agrum habet superiori non dissimilem; in eo sunt duæ ualles omnium Aquitaniæ fertilissimæ, ut pote tritici, uini, fructũ, & fęni. Metropolis urbs est *Tarba* ad fluuium Adurrum sita. *Lorde* arx hic munitissima est ob situm, & *Bagineres* oppidum aquis calidis famosum est. Gentes terribiliores sunt, & manu promptiores, quàm Bearnenses.

Tarba urbs.

Guienæ Comitatus.

GVIENNA, seu GVASCONIA complectitur Comitatus *Commingæ, Foix, Armeniaci,* & Ducatum *Albret.* Regio ipsa ad occiduum Oceanum inter Baionam, & Burdigalam, uulgò *Bordeaux,* non admodum habitationibus frequens est, ob sui sterilitatem, obque importuosum situm; atque uersus Curianum promontorium, quod *Diuæ Mariæ caput* uocatur, ager humilior magis est; ob idque paludosus, lacunosus, ac innundationibus obnoxius: sed in Mediterraneis quidem magis culta est: toti autem ipsi regioni locustæ infestissimè interdum sunt. In hac est DAX quadrata urbs mẽnibus fortissimis, ac fossis munita, in qua extant fontes aquæ calidæ, & extra urbem ipsam fontes sunt aquæ salsæ, & mineræ ferri, ac bituminis. BAZAS etiam urbs satis bona est. BVRDIGALA, seu *Bordeaux* Guasconiæ caput, celebre emporiũ, & munitissima, ac tutissima est urbs, quæ optimo situ, ut quæuis alia non tam Galliæ, quàm uniuersæ Europæ gaudet: namque Garumnę fluuio apposita est, à quo multis ex partibus abluitur, qui quidem tutissimum ibi, ac pulcherrimum efficit portum, satisque capacem: in hac *Parlamentũ* residet, vbi tota Guienna concurrit, uniuersitatem habet, ac Archiepiscopali dignitate claret. *S. Seue* etiam caput Guasconiæ faciunt.

Burdigala.

S. Seue.

COMINGES, quæ Comitatus est, diuiditur in ALTAM, seu superiorem, quæ in ipsis sita est montibus, cuius capitales urbes sunt *S. Bertrandus,* & *Conserans;* & in BASSAM, seu inferiorem, in qua est *Lombres* parua sanè urbs, sed optimo situ ob tritici, ac uini copiam gaudens. Est *Samatam* oppidum tutissimum, & *Mucret,* cuius ager est fertilissimus. Commingenses simplices natura sunt, laborioſi, taciturni, & paucis contenti.

Comminges duplex.

Foix Comitatus.

FOIX nobilis Comitatus continet *Pamier* Episcopalem sedem, & *Foix,* vbi forum est, & à qua Ducatus nomen sumit. Regio ut plurimum aspera, ac saxosa, in qua ferrifodinæ sunt optimæ.

Armeniacus Comitatus.

ARMENIACI Comitatus, uulgò *Armaignac,* alicubi agrum habet fertilem, nempe uersus *Languedoc* & *Comingiam;* alicubi uerò sterilẽ, vt pote uersus *Bordeaux,* vbi inutilis ferè est, ac desertus. In hoc Comitatu est AVCHX ciuitas Archiepiscopalis, quæ Cathedralem habet ecclesiam pulcherrimam, ac ditissimam, cuius Archiepiscopus Auxitanus dicitur. Est etiam hic *Lestore* vrbs triplicatis percincta murris, quæ fontem habet nobilem.

Auchx. vrbs.

PICTAVIA uulgò *Poictou* prouincia, & Comitatus duplex est, superior & inferior. INFERIOR dicitur, quæ uersus Occasus in Oceanum Aquitanicum desinit. SVPERIOR uerò, quæ Orientem respicit. Huius regionis ager non solum ferax, sed etiam amęnus; nam frumenti, ac frugum, pecoris, & uini fertilissimus est, & piscium abundans: sed auium & ferarum in primis hic ingens copia, eoque uenatio hic, & aucupium frequẽs. Tres hic sunt Episcopi, qui Tolosano Archiepiscopo subsunt, Pictauiensis uulgò *Poictiers,* qui sub se habet 27. Abbatias: Lucionensis uulgò *Lucon,* siue *Lusson,* qui 10. Abbatiis imperat; & Mallacensis, siue Maliacensis, uulgò *Mailezay,* qui habet sub se quatuor Abbatias, sub quibus Episcopatibus in uniuersum sunt 1200. paræciæ. Primaria urbs & Metropolis totius Pictonum regionis est PICTAVIA, quam Ptol. AVGVSTORITVM uocat, & uulgò *Poictiers,* antiquitate insignis, & omnium Galliæ post Lutetiam ampliſſima quo ad circuitum, licet populo non ita frequens sit, ut olim; ob ciuiles discordias: in ea studium est celebre, quod secundum locum post Parisinum tenet. Huius Episcopus Tolosano Archiepiscopo subest.

Poictou & uisio.

Episcopi tres.

Pictauie urbs.

SANCTONIA uulgò *Xanctoigne* prouincia est multũ pinguis, ac fertilis, ac à Pictauia Canẽtello fluuio diuisa, cuius Metropolis est SAINCTES, in qua uestigia cõspiciuntur antiquitatis, ut amphiteatri, acqueductus, & arcus triumphalis. Sunt in ea alia loca satis nobilia, nempe *Bourg, Blay, Marennes,*

Sanctonia.

Oppida eius præcipua.

Universidad de Deusto Biblioteca

nes, S. Ian dangely, Angouleſme, & alia. Regionē ipsā *Charente* amnis, qui Pictauiam Cauentellus eſt, abluit. Inter Pictauiam & Xanctoniā iacet ROCELLA arx, uulgò la *Rochelle*, omnium nō tam Franciæ, quàm ipsius Europæ munitiſſima, ac tutiſſima ob eius ſitum inter mare & paludes, & ob fortiſſima mœnia. Incolæ tanta fruuntur libertate, ut paulatim à Rege deſciuerint. Rocella arx.

Perigort. PERIGORT Regio eſt montuoſa, aſpera, ac ſaxoſa, quæ potius caſtaneis, quàm frumento diues eſt: uinum fert, ſed debile, ac auſterum: piſcibus abundat, quia ſex fluminibus abluitur. Aer hic ſubtilis, ac ſalubris eſt, unde incolæ agiles & longæui ſunt, horum mercatura circa ſues & ferrum eſt. Duæ ſunt in hac regione urbes præter oppida, nempe *Sarlat*, & *Perigueux* totius regionis Metropolis, ac in eius meditulio poſita ſupra fluuium *Ila*.

Quercy. QVERCY Regio poſita inter Dordonam & Garonam amnes, amœniſſima eſt ob ſitus uarietatem. Nam alicubi ualles & planities habet: alicubi colles uirentes, quæ armentis, piſcibus, & aquis peroptimis diues eſt. Producit lapideos carbones, qui ad fouēdum ignem aptiſſimi ſunt. Caput regionis eſt *Cahors* colli appoſita, & in theatri oualis formam extructa, urbs ſane pulchra, ampla, ac diues. Eſt etiā in hac regione præter plura oppida urbs *Montauban* colli etiam & Garumnæ adiacens, cuius ager ditiſſimus eſt.

Cahors urbs. Montauban.

Aagen. Non longè à Quercy eſt territorium AAGEN opulentiſſimum, cuius caput eſt ipſa urbs *Aagen* ſatis præſtans, & commercijs affluens.

Limoſin duplex. LIMOSIN prouincia nomen ſumit ab urbe *Limoges*, quæ diuiditur in altam, ſeu ſuperiorem, & in baſſam, ſeu inferiorem. *Alta Limoſin* ſita eſt partim in uallibus, partim in collibus, quæ longa eſt & anguſta, & amni *Viennæ* uicina. Ad eius caput fons eſt copioſus, unde tota hæc pars proinidetur. Huius caput eſt LIMOGES, in qua commercia ſatis uigent, tritico caret, unde incolæ ex ſiligine, hordeo, panico, caſtaneis, & rapis uitam ſubſtentant. *Baſſa Limoſin* continet urbem *Tullæ*, & oppida *Vxerca*, & *Briua*.

Limoges urbs.

Aluernia duplex, ALVERNIA uulgò *Auuergne* diuiditur in Altam & Baſſam. ALTA ALVERNIA mōtuoſa tota eſt, & animalibus, caſeo, butyro, ac huiuſmodi lactarijs magis, quàm tritico & ſegete copioſa. Huius caput eſt S. FLORVS uulgò *S. Flour* inexpugnabilis ferè ob ſitum. BASSA ALVERNIA ditiſſima eſt, & tritici, uini, croci, mellis, ac omnium pene fructum feraciſſima. In hac ſunt fluuij piſcoſiſſimi, lacus, ſtagna, nemora, & oppida innumera, in quibus quàmplures ſunt nobilium familiæ. Capitalis in ea urbs eſt CLAROMONTIVM, uulgò *Clermont*, & olim Gergouia, ſeu Gergobinia uocata, quæ optimo ſitu in excelſo monte omni ex aditu difficili poſita eſt. Reliquæ urbes, ſeu oppida inſignia ſunt 13. ex quibus *Rion*, *Monferrat*, *Iſſoire* cæteris præſtant.

S. Florus.

Clara montium.

Berry Duc. BITVRIGVM Regio, ſeu *Berry* Ducatus ſegetum fertiliſſimus eſt & compaſcuus, unde plura armenta animalium domeſticorum nutrit, ex quibus lanam copioſiſſimè recipiunt: & omnium inſuper rerum feraciſſimus eſt, quæ in Galliam proueniunt. Primaria urbs eſt BOVRGES Archiepiſcopalis, & totius regionis Metropolis, *Auaricum* Cæſari uocata, & ſecundum alios *Auguſtonemetum*, quæ in paludoſo loco ſita eſt, & magnitudine ſua excedit

Bourges urbs.

omnes

omnes ferè Galliæ urbes. Hæc etiam mercatura & nundinarum frequentia celebris eſt, atque Academia publica in omni diſciplinarum genere ornatur. Huic Ducatui fidē præſtant Comes *Sancerre*, *S. Aignan*, *Montis Falconis* Barro, & plures Caſtellaniæ. Sunt etiam in hac regione *Iſſoudum*, *Dun le Roy*, *Vierzon*, *Mehon*, *Concreßault* Regiæ ciuitates & Diœceſes, quarum unaquæque Baronias & Caſtellanias ſub ſe habet: plures tamen *Iſſoudum*: & in uniuerſum hæc Regio complectitur 33. urbes, & oppida murris percincta. Comitatus ſubiecti.

TVRENA, uulgò *Touraine*, Turonum Cæſaris Regio poſita eſt iuxta fluuium Ligerim inter *Blois* & *Saumur* urbes; nec admodum lata eſt. Hæc ob ſui amœnitatem *Hortus Franciæ* uulgò dicitur. Nam optimam habet aeris temperiem, peroportunum ſitum, fructuum copiam miram, & aquarum affluentiā. Metropolitana urbs eſt TOVRS ſupra fluuiū Ligerim; ſed *Saumur* reliquis tutior eſt. *Bloys* amœnior, in qua Hēricus III. Rex, anno MDLXXXVIII. occidit Henricum Guiſæ Ducem, & Aloyſium Cardinalem eius fratrem. *Amboiſe* quoque urbs amœnitate ſuperiori minimè cedit, ex qua quidem hæreſis *Vgonotorum* pullulare cēpit tempore Franciſci II. Galliæ Regis. Turena. Hortus Frāciæ. Tours vrbs. Bloys. Amboiſe.

SALONIA, uulgò *Salloig*, inter Bituriges, & Ligerim amnem ponitur. Eſtque parua Regio, arenoſa, ac ſterilis, in qua ſunt oppida *Gergean*, *Sully*, *la Ferte*, *Clery*, & *San Lorens*. Salonia.

BORBONIVM territorium, uulgò *Bourbonnois*, nomen ab oppido id nominis ſumens, Metropolim habet urbem MOLINS opulens ſuper fluuium *Elauer* ſita, quæ ob ſitus commoditatem, & thermarum oportunitatem à Principibus frequentatur. Borboniū.

FOREST inter Aluerniam & Ligerim iacet, cuius territorium lignorum, & foſſilium carbonorū fertilis eſt, ac ferri. Segetes autem, ac uina parcè mittit: ſed animalia domeſtica, & lactaria permulta præbet: aer ſubfrigidus eſt, & incolæ ſimplices ſunt, parum loquētes, cauti, & lucro dedit.i. Caput Regionis eſt MOMBRISEN, poſt quam digna ſunt oppida *S. Germani*, *Rouane*, & *S. Ramberti*. Foreſt. Mombriſen.

VELLAY territorij caput eſt urbs, quæ dicitur *la Puy*, celebris ob Diuæ Mariæ Virginis cultum. Vellay.

LVGDVNENSIS GALLIA.

LVGDVNENSIS Gallia, quæ & CELTICA dicitur, inter amnes Ligerim, nunc *Loire*, & Sequanam, nunc *Seyne* iacet, & ad Cemenum uſque montem porrigitur. Atque nomen à Lugduno clariſſima eius urbe deducit. Cuius Occidentalis ora aſpera, & importuoſa eſt. In hac autē hodie utraque *Britannia* continetur, *Normandia*, *Anion*, *Maines*, *Beauſſe*, *Gaſtinois*, *Niuernois*, *Francia*, *Campania* cum *Bryc*, utraque *Burgundia*, & *Lugdunenſe* territorium. Lugdunenſis, ſeu Celtica. Regiones ſubiectæ.

BRITANNIA prouincia nomen hoc ſortita eſt poſt annum 387. quo à Rege Maximino Angliæ bello capta fuit, cum prius *Armorica* uocaretur, Britannia.

idest ad mare sita. Dicitur tamen MINOR BRITANNIA respectu ipsius Angliæ. Hæc autem Ducatus est, nam diu, plurimisque annis proprios habuit Duces, qui aspera cum Gallis bella gesserunt: sed sub Carlo VIII. Galliæ Regno Britannia ipsa unita fuit. Sola autem hæc prouincia inter alias Galliæ fluminibus insignibus caret, quæ tamen paruos aliquot amnes habet, & mare undique adeò in sese recipit, ut nec eis ob nauigationem indigeat; nec minus ob agrorum irrigationem, cum maximè compascua & uirens sit. Regiones qualitas. Nam inter fertiliores, amenas, & gratiores Galliæ regiones numeratur. Tritico siquidem, uino, lino, & piscibus affluit, tametsi uinum non adeò delicatum sit, vt excusentur incolæ abitinere Andegauensi melioris uini causa Agris, & pratis pro uoto abundat, ericetis ad pecorum pabulationem aptis, quibus diues admodum est; unde butiri, casei, & lanæ satis trahunt, atque ipsum quidé butirum salitum per totum Regnum distrahunt. Syluis & nemoribus usui proprijs, & mari ad mercaturæ exercitium gaudet; equos, & canes celebres mittit; ferri, plumbi, & aliquibus in locis argenti fodinæ habet. Britanni agriculturæ operam imprimis nauant, deinde nauigationi, suntque bello fortissimi, & sæpe Gallorum Regibus formidolosi. Triplici autem idiomate loquuntur, Britannicè scilicet in urbibus *Cornoualiæ*, *S. Pauli*, & *Treguiers*, quæ lingua paulò rudior est, quàm Gallica. Gallicè autem in *Renes*, *Dol*, & *S. Malò*. Mantes. Sed mixtim in *Nantes*, *Vannes*, & *S. Brio*. Præcipuæ urbes sunt NANTES Renes. ad Ligeris amnis ostia commerciis satis frequens. RENES, ubi est Parlamentum, & Dinam. DINAM amenum oppidū, quod *Rausa* fluuius abluit, vbi Duces deliciæ causa commorabantur.

Britannia duplex. Est autem ipsa Britannia duplex, SVPERIOR scilicet, quæ uersus Ligerim accedit, quæ altera est præstantior, & INFERIOR, quæ uersus Angliam porrigitur, & *Ripiensis* uocatur, quarū unaquæque sub se nonnulla habet dominia. Duo sunt portus Britanniæ satis præstantes, *S. Malò*, & *Brestæ*, Portus eius. qui celeberrimus totius Galliæ est, ac profundissimus.

Nortmannia olim Neustria. NORTMANNIA, siue Normandia, olim *Neustria* uocata, magnus ac potens est Ducatus, quem Sequana fluuius abluit; unde totus in Galliam Lugdunensem non cadit; sed aliqua eius pars ad Belgicam spectat. Incipit autem ab amne *Cenon*, qui Ptolemæi Tetus uocatur, nō longeque ab oppido *Fugeres* ortum ducit, & ad *Some* amnem, qui Ptolemæi Phrudis est iuxta mare Britannicum extenditur. Regio hæc marinis, & fluuiatilibus piscibus dues est: armento, pecore, & frugibus abundans: arborumque pomiferarum tanta gaudens copia, ut ex pomis conficiatur potus, cuius non exigua pars ad alias transfertur regiones: solo uino caret, quod communiter ibi non crescit, in agro tamen *Caense* nonnihil legitur, ac magis in *Argencense*, vbi bonum est. Cæterū ager *Auge* parū utilis est, namq; lutosus est ob nimiā maris humiditatē. Constantium. Ad regionē hanc territoriū CONSTANTINVM pertinet sic ab Constantia. vrbe CONSTANCIA, & uulgò *Constances* antiqua sanè, & littori apposita, uocatum; quæ & si murro uel aquis uallata non sit, pulchra tamen & benè disposita est, ac externis aquis per acqueductum fruitur. Hæc Amiano *Castra Constantina* dicitur, & superioribus seculis *Moritonium*. Huius districtus.

mul-

multas terras, ac oppida complectitur, præcipuè mare uersus. Quarum præcipuè sunt, AVRANCES supra montis iugum forma circulari extructa, Aurances. quam mare abluit, BAIVSA seu *Bayeux*, FALESA in ualle posita, & Falesa. montibus circunsepta, cuius ager fontibus abundat, ac stagnis. Plures præterea, ac celebres ciuitates, & oppida habet ipsa Normandia, quæ omnia circiter 80. sunt, inter quas ROTHOMAGVS uulgò *Rouan* Metropolitana, ac Rouan. Archiepiscopalis est, situq; peramæno gaudet, quam abluit ex una parte Sequana fluuius: agro potitur fecundo, & læto in circuitu ferè, qui urbis situm reddit delectabiliorem: ob fluuiorum autem oportunitatem maximè mercatura celebris est, & inter præcipua Europæ emporia numeranda. In hac est Parlamentum à Ludouico XII. institutum. Sub Rothomago est territorium *Caux*, cuius incolæ feroces sunt, & inter eos primogenitus omnium bonorū fit hæres. Vrbs DIEPA maris est portus, & emporium, ac una ex muni- Diepa. tioribus maritimis Belgiæ urbibus in *Calletensi* territorio sita, cuius incolæ mari celebres sunt. Sic quoque CAEN munitissima arx est in *Lugdunensi* Caen. portione. Ad ipsam Normandiam nonnulli quoque territorium *Perche* referunt, quod plura complectitur oppida. Cæterum Normandiam duplicem Normandiæ diuisio. faciunt, SVPERIOREM, & INFERIOREM. In SVPERIORE sunt tres Ducatus *Alencon*, *Aumalle*, & *Longueville*, præter septem Comitatus, & Baroniam unā. In INFERIORE nonnulla sunt dominia. Est autem in hac prouincia Archiepiscopus Rothomagensis, cui subsunt Episcopi, quos supra recensui.

De Insulis, quæ Normanniæ prætentæ sunt, dictum fuit in Britannicæ descriptione, eæ si quidem Anglici iuris sunt.

ANDEGAVENSIS Regio vulgò *Anion*, olim Comitatus fuit, sed Anno Anion. MCCCL. Ducatus factus est. Quæ sanè & si nō adeò ampla: fertilissima tamē est, ut quæuis alia Gallię: namq; multis fluminibus, torrētibus, fontibus, piscinis, paludibus, & stagnis irrigatur, adeò ut circiter 40. amnes in hoc tractu confluant. Inter quos præcipuus est Ligeris accolis *Loyre*, in quem permulti ex his amnibus confluunt: deinde sunt in ea montes, nemora, & prata; unde frumento, pecude, armentis, & piscibus fœcunda est: atque uinum profert generosissimum, nulli ferè huius Regni uino cedens. Montes marmora habent, & lapidem quendam cæruleum, & fissile, quo templorum, ædiumq; tecta contra cœli iniuriam muniuntur, quem vulgus *Ardoises* uocat. Primaria huius regionis vrbs est ANIERS, quā Ortelius *Iuliomagum* Ptol. esse Aniers. putat, in vtraque Meduanæ fluuij ripa extructa, ponteque lapideo coniuncta, quæ præter uestigia antiquitatis plurima, Academia publica insignis est. Homagium, siue fidem clientelarem præstant huic Ducatui hi quatuor Comitatus *Maine*, *Vendosme*, *Beaufort*, *La Val*. Vnus tantum in eo est Episcopus Andegauensis Turonensi Archiepiscopo subiectus.

MAINES territorium quàmuis tribus abluatur amnibus, nihilominus Maines. nemoribus, ut plurimum, saltibusq; refertū est, unde animalibus, & uenationibus magis affluit. Huc Ptolemæi tempore Cenomani insederunt. Caput regionis est urbs MANS, quæ & si ampla debilis tamen est, ac ad Regem Mans urbs.

ipsum spectat. Est hic *Mayne*, quæ Ducis Lotenæ iuris est, & *Vendosme*, quæ regionem *Beausse* attingit.

Beausse. BEAVLSE, seu *Beausse* Regio in montium dorso posita, tota ferè equalis est, quæ nullum habet fluuiũ, atq; æstatis tẽpore putei ipsi aquis destituuntur. Eius oppida parua sunt, ac nullius æstimationis: fertilis nihilominus ipsa Regio adeò est, ut neque Apuliæ, neque Siciliæ cedat. Non longè ab hac est

Orleans. ORLEANS, quæ *Aurelianẽsis* Villanouano est, antiquissima olim Cenomanorum vrbs ad Ligerim amnem, populo frequens, ac situ optimo gaudẽs, cuius ager fertilissimus est præcipuè tritici, & uini generosi. Hæc olim sub Ducatus titulo Secundogenitis Regis Franciæ tribuebatur, sed à Carolo IX. Regno ipsi incorporata est.

Beausę diuisio. Nonnulli attamen *Beausse* prouinciam tripartitam faciunt, eamq; ampliorem redũt, hoc est uocant Altam Beaussam, Bassam, & Mediam. In ALTA BEAVSSA sunt *Chartrain*, *Chartres* Ducat. & Comit. qui duos Comitatus *Dreux* & *Montfort* continet; deinde *Anjou* Ducatus, & sub illo *Maine* Comitatus, atque *Perche* Comitatus. In BASSA BEAVSSA locant territorium *Orleans*, *Salogne*, & *Lorris*. Sed IN MEDIA BEAVSSA comprehendunt Comitatus *Blois*, sub quo *Dunois* Comitatus, deinde *Vendosme* Comitatus, & *Touraine* Ducatus. Est in hac Beausse prouincia Archiepiscopus Turonensis *Tours*, qui sub se multos habet Episcopos. Sunt etiã hic Episcopi Carnotensis *Chartres*, & Aurelianensis *Orliens*, qui subsunt Senonensi in Campania.

Turon. Archiepiscopus.

Gastinois. GASTINOIS territorium arenosum est, & malè habitatum, cuius caput est

Milly. MILLY, suntq; in eo *Nemoux*, *Morer*, *Fontebellean*, & alia oppida.

Niuernois. NIVERNOIS territoriũ nemoribus abundat, & pascuis magis, quàm tritico ac uino; nec ibi ferri mineræ desunt, ac lapidicinæ ad ædificia conducentes. Huius caput est

Neuers. NEVERS in ripa fluuij Ligeris, cui ponte 20. arcuum adnectitur.

Frãciæ, prouincia. FRANCIA prouincia in Lugdunensi tota non est, sed ex parte in Belgica Gallia incidit, quæ quidem sub se habet *Preuostè & Vicontè de Paris*, quę in quatuor ditiones partitur, *le Parisis*, cuius Metropolis PARIS: *la Goelle*, in qua Comitatus *Dammartin: l'Isle de France: & Vulpin le Francois*. Deinde habet *Valois* Ducatum, cuius Metropolis est *Senlis Preuostè*, & *Balliage*, sub quo est Comitatus de *Beauuois*, ac insuper *Hurepois* comprehendens *Vicontè*, & *Balliagè de Melun*. & *Gastinois* comprehendens duos Ducatus *Estampes*, & *Nemoux*. Cæterũ PARISIVM Metropolis LVTETIA PARISIORVM etiam dicitur, quæ urbs insignis ualdè est, populoque frequentissima; nam sunt in ea circiter 500. millia habitatores, & 18. millia domus. Est autem florentissima totius Europæ Aula Regia, & summa totius Galliæ curia, uulgò *Parlamentum* dicta, ac insuper inclytam & totius uniuersi florentissimam Academiam habet 55. collegijs illustratam.

Parisium.

Campania. CAMPANIA uulgò *Champaigne*, sub quo nomine BRYE quoque continetur, partim sub Lugdunensi, partim sub Belgica cadit: Quæ quidem Ayno fluuio à Picardia seiungitur. Fertilis autem est omni tritici genere, & uino,

uino, maximeque compascua est, ipsamq; prę cæteris abluit Sequana fluuius, uulgò *Marne*, qui prope Tullensem agrum in finibus Lingonum oritur. Habet autem sub se multas amplas ciuitates, quæ sunt REIMS Archiepiscopalis, *Troies* ex amplioribus & munitioribus Galliæ urbibus, *Sen* seu *Sans* Archiepiscopatus antiquissimus, quæ à fonte è lacu emanante abluitur, cuius territorium amenissimum & opulentissimum est: *Auxerre* olim Antisiodorum uocata; & *Challons* præsidium munitissimum, quæ ad Sequanam fluuium iacet, & optimo agro ad segetes producendas fruitur. BRYE diues est fœno ac pecore, cuius caput est *Meaux* monti apposita apud Sequanam fluuiũ, uulgò *Marne*. Suntq; etiam in ea *Chateautierri* ampla urbs, & *Prouins*.

Rems. Troies

Bryc.

Burgundiæ diuisio. BVRGVNDIA celebris prouincia ob antiquorũ eius Regum, & Ducum potentiam, in duas diuiditur partes Arari fluuio, nunc *Saona* seu *Sone*, interfluente, scilicet In INFERIOREM, quæ ad Occidentem est & Regia uocatur, ac Ducatus Burgundiæ communiter dicitur, ubi olim Ædui insederunt: & In SVPERIOREM, quam olim tenuernut Sequani, & hęc Imperatoria appellatur, & proprièComitatus Burgundię dicitur, estq; ad Orientem posita.

Superior Burgun. COMITATVS autem, seu SVPERIORIS BVRGVNDIÆ fines sunt à Septentrione Lotaringia, Germaniaque superior: ab Occidente Ducatus Burgundiæ: ab Ortu Heluetia: à Meridie Allobroges, & Secusiani. Cuius longitudo est 90. mill. & latitudo 60. Fertilis Regio admodum est omnium frugum genere adeò, ut semper uilissimo prętio frumenta, uina, olea ibidem ueneant: carnibus & omnibus ad uictum necessarijs superabundat: ac aere potitur ameno, & salubri. Incolæ proceres, & pulchro corpore sunt, ac uirtute clari. Diuiditur hodie in tres Diœceses, seu Prefecturas: in Superiorem, Inferiorem, & Dolanam. SVPERIOR habet has ciuitates & oppida. GRAIVM *Gray* in Araris fluuij (nunc *Saone*) ripa sita, quæ huius partis caput est, ac reliquas opibus, ædificijs, & fecundissimo agro præcellit. Vesulium *Vesoul*, cuius fortissima sunt mœnia, & uitiferum solum. Mombosium, Iussum, Palmam, Portuzonam, Cromarum *Cromay*, Montem Iustini, & Facogneium. INFERIORIS sunt Salinæ *Salns* ampliſſima ciuitas, & huius partis caput, à salsis denominata fontibus, ex quibus sal candore præstans conficitur, quod ad finitimas regiones curribus exportatur. Arbosium *Arbois* peramœno loco situm, cuius ager omnium rerum copia affluit, præsertim uino generoso & ad uetustatem perdurante, Polichnium *Poligny*, Pontarlum *Pontarlier*, Nazarethum *Noseroij*, Castrum Caroli *Castel Chalon*. S. Anna, Orgelium *Orgelet* mercimonijs florens. DOLANÆ vrbes & oppida sunt DOLA, uulgò *Dole*, caput huius regionis, celebertrima quidem, amœna, ac omnium scientiarum præsertim Iuris prudentiæ Gymnasiũ, Quingium *Quingey*, Ornatum *Ornans*, Loya, Rochafortis, & Vercellæ. Est in hoc Comitatu Vesontio, seu Visontium vulgò *Besanzon* urbs Imperialis, & utriusque Burgundiæ Metropolis, quæ natura, ac arte fortissima est. Sed olim Arelatum Sextanorũ colonia fuit Burgundiæ Regia, hodie dicitur *Arles*, quæ urbs ad Rhodanũ undiq; sepia est paludibus, in quibus hodie præferoces aluntur boues.

Diuisio.

Grayum.

Vesulium.

Salinæ.

Arbosium.

Dola vrbs.

Arelatum.

DV-

Inferior Burgundia.

DVCATVS BVRGVNDIÆ, seu INFERIOR BVRGVNDIA initium habet à finibus *Langres*, quæ urbs in apice Vogesij montis situatur, & usque ad Lugdunense territorium protenditur. Et hic quidem Ducatus post defunctum Carolum, qui Audax cognominatur, à Ludouico XI. occupatur: cum antea uniuersa Burgundia sub Ducibus permaneret. Huius ager fertilissimus est, quemadmodum & superioris Burgundiæ. In ea sunt

Oppida eius.

quàmplures urbes; oppida, ac munitissimæ arces; vt sunt *Authun*, olim Augustodunum cæteris antiquitate præstans, quæ & si ampla satis adhuc sit, malè tamen habitatur. *Digion* amœna in planitie posita non longè à collibus, hæc olim antiquorum Ducum fuit sedes, & nunc in ea *Parlamentum* totius prouinciæ residet. præterea *Aussunne, Verdun, S. Ian de Lanc, Chaulon, Mascon*, sed miranda est arx *Talant* in colle posita, & tutissima sunt præsidia *Beona*, ac *Semur*.

Lugdunū.

LVGDVNENSE territorium ex parte ditionis Sabaudicæ est. Vrbs hæc LVGDVNVM, uulgò *Lion* antiquate clara est, ad confluentia Rhodani & Araris sita, emporium celebre, & commerciorum totius Europæ centrum; hanc Gregorius Turonensis finisse Nobilissimam nominatam tradit ex eo, quòd Martyrum sanguine illustrata fuerit.

NARBONENSIS GALLIA.

Narbonnensis olim Braccata.

NARBONENSIS Prouincia, BRACCATA ante dicta Plinio teste, hodie *Prouenza* corruptè dicitur (licet non tota) quemadmodum Romanis tunc Prouincia dicebatur. Hæc à Septentrione Cemeno monte, ab Ortu autem Adula monte, nunc *S. Gottardi*, & Alpibus usque ad Vari amnis fontes ab Italia separatur: & ad Occasum ad

Fines eius.

fines usque *Armeniaci*, & *Cominges* extenditur: ab Austro uerò Gallico mari, & partim Pirenæis montibus terminatur. Huic autem vrbibus, agrorum cultu, uirorum, morumq; dignatione, amplitudine opum nullam prouinciarum præferendam esse, ait Plinius: breuiterq; Italiam, uerius quàm Prouinciam inquit; siquidem fertilitate, & fœcunditate sua florentissimæ Italiæ non

Regiones sub ipsa.

cedit. Regiones uerò continet hodie his nominibus appellatas *Languedoc*, *Prouence*, *Delphinatum*, & *Sabaudiam*.

Languedoc.

LANGVEDOC, prouinciam Garumna fluuius secat. Hæc autem à finibus *Armaignac*, & *Comminges* Comitatuum ad mare usque Mediterraneum expanditur, cuius caput est

Tolosa.

TOLOSA vrbs omnium Galliæ antiquissima & Archiepiscopalis, quæ post Parisiū dignitate, opibus, & populo reliquas præcellit, in hac est *Parlamentum*, & Gymnasium iuris florentissimum, cuius incolæ ingenio, grauitate, seueritate, & audacia præstāt. Sunt hic

Alby. Narbona.

quoque aliæ vrbes satis celebres, nempè ALBY Episcopalis, NARBONA à qua hæc Narbonensis Gallia nomen sumit, antiquitate clara, & prima omnium Europæ Romana colonia, quam Decumanorum Plinius nuncupat, quòd decimæ legionis milites in eam deducti sint: hæc autem & si non adeò

adeò ampla sit, ut olim, est tamen ob eius arcem famosa, ac ob Archiepiscopalem titulum. MONS PESSVLANVS, vulgò *Mompelier*, quod op

Mompelier

pidum olim Agathopolim fuisse nonnulli contendunt; celebre autem nunc est ob magnitudinem, agri amœnitatem, aeris salubritatem, & ob studium rei medicæ; præcipuè uerò ob D. Rochum eius loci principem. *Aigemortes* arx præstantissima: *Nimes*, in qua permultæ antiquitatis extant reliquiæ.

Nimes.

Ad Rhodanum uerò amnem ciuitas est, quæ *Pons S. Spiritus* uocatur à mirabili ponte supra ipsum amnem ex 18. arcubus constante.

Pons S. Spiritus.

PROVINCIA, vulgò *Prouence* ad Alpium pedes inter Rhodanum, & Varum iacet, cui à Septentrione Delphinatus ponitur. Huius solum aptissimum est ad mittendum segetes absq; cultura ulla, & paruo cum labore cultum profert nobiles fructus: vuarum passularum, & ficuum tanta hic colligitur copia, ut eis bona Europæ pars subueniatur. Rosmarinum, mirtus, gineprus hic abundantissimè crescunt: castaneæ quoque hic maiores sunt, quàm ulla alia in parte Europæ: citria mala, mala cotonea, mala granata, crocum, oriza, palmæ, quæ dactylos maturos ferunt, abundantissimè isthic prouenium: atq; aliquibus in locis cannæ saccari plantantur: vites hic generosissimum ferunt uinum, qui Basileæ pro Corsico æstimatur.

Prouence

Diuiditur ipsa Prouincia in ditionem Pontificis, & in ditionem Regis.

Prouinciæ diuisio.

Ad PONTIFICEM spectat AVENION urbs Archiepiscopalis, quā Clemens V. à Ioanna Ruberti Neapolis Regis nepote Anno MCCCLII. emit, atque etiam Comitatus VENIESSINVS, qui sub Ecclesiæ tutela ob Raymundi Comitis Tolosani hæreses peruenit, in quo quidem comitatu sunt urbes *Carpentras*, *Cauailon*, & *Veson*, & octuaginta circiter loca murrata. Auenion autem urbs clarissima est ob Pontificium in ea sedes quam pro

venieſſinus Com.

Auenion

pè LXX. Annos ibi tenuerunt. Ad GALLIÆ uerò Regem reliquum ipsius Prouinciæ attinet, & in urbe quidem AIX, olim Aquæ sextiæ, & colonia Iulia cognominata, *Parlamentum* residet, quę sede Archiepiscopali Aquensi nuncupata ornatur. Cęterum ARLES, & MARSILIA superiorem non agnoscunt, sed ex se ipsę gubernantur. Marsilia autem antiquissima est urbs, & tempore Tarquini Romani condita, quę Phocensium olim fuit Colonia; ubi portus, templaq; Ephesię Dianę, & Delphici Apollinis, ac studium Græcarum literarum nobile fuerunt.

Aix urbs.

Arles, & Marsilia.

DELPHINATVS, vulgò *Daulphine*, Allobrogum Regio diuiditur in superiorem, & inferiorem. SVPERIORIS caput est EMBRVM ad Druentium amnem in amœna valle positum, ac à montibus circumseptum, in quibus agaricum, & manna colligitur cętera loca sunt VALENCE, cuius ager dicitur *Valentinois*: DIA, ad quam spectat ager *Dioys*: GAP, & alia. INFERIORIS Delphinatus caput est GRENOBLE *Parlamenti* sedes ad Isaram amnem mirabili ponte annexa. Sed in spiritualibus capitalis est VIENNA Archiepiscopatus nobilissimus, quam Burgundici cancellarii sedem olim fuisse ferunt. Sunt etiam hac in parte *Romans*, *Briancon*, *Emoneſtier*, *Casteau Daulphin*, & alia plura.

Delphinatus diuiſio.

Valētinois. Dioys. Grenoble.

Vienna.

SABAVDIA, vulgò *Sauoye*, inter Delphinatum, & Rhodanum clauditur.

Sabaudia.

tur. Quę Regio partim montibus: partim uallibus amęnissimis, & compascuis: partim uerò planitiebus fertilissimis, quę segetes abundè ferunt, ornatur. Vinum quoque aliquibus in locis optimum producit, pręsertim in agro montis Meliani, uulgo *Mommelian*. Lacus hic sunt diuersi, & perampli, inter quos *Lemanus*, *Nicienſis*, & *Bourgenſis* prȩcipui sunt, ac satis piscosi. Sabaudię metropolis est CHAMBERINVM, in qua Senatorius ordo, quem *Parlamentum* uocant, sedem habent, quę quidem inter medios montes in ualle quadam sita est. Alię urbes sunt *Bele* non longè à Rhodano, *Monstier* caput de *Tarantaiſe*, *S. Ioannes* caput de *Morienne*, *Nicy*, in qua Geneuę Episcopus sedem suam transtulit Geneua apud Lemanum lacum. Sabaudia uerò proprium habet ducem, qui Pedemontanam etiam regionem, & Allobroges sub se habet, & Sabaudię quidem Duces è Saxonum Ducibus, ac stirpe Augusta originem ducunt annos propè quingentos. Ad ipsam Sabaudiã BRESSE Regio spectat plano in situ posita, quę omni tritici genere, canabe, piscibus, fluminibus, ac stagnis abundat. Capitalis urbs in ea est BVRGVM, uulgò *Bourg*, quam olim Forum Secusianorum nonnullis dictam fuisse placet.

Lacus Sabaudiæ.
Chamberinum.
Aliæ urbes Sabaudiæ.
Sabaudiæ dux.
Bresse regio.
Burgum.

BELGICÆ GALLIÆ REGIONES ad Regnum Franciæ attinentes.

AD Regnum Francię Picardia, Cãbrense territoriũ, & Bononię ac Guinneę Com. quę sunt Regiones Belgij, attinent.

Picardia.

PICARDIA pars Gallię Belgicę mari adiacet Oceano, & inter Artesiam, & Francię Prouinciam clauditur. Olim uerò ab Ambianis, Belluacis, & Veromanduis habitata est, a Somonaque fluuio irrigatur. Vnde fertilis frumenti, & omnium frugum est, uinum tamen non fert. Prȩclaras urbes habet, & plurimis munitis ornatur oppidis; quę omnia sunt circiter 32. Sed AMBIANVM vulgò *Amiens*, metropolis est urbs totius Picardiæ, Episcopali sede nobilis, & præsidium munitissimum. In hac autem prouincia continentur quędam regiunculæ, hoc est THIERACHE, seu *Terrache* Ducatus, in quo metropolis est *Guiſa* propugnaculum, unde *Guiſianorum* familia nomen ducit. VERMANDOIS Comitatus, cuius caput est *S. Quintini fanum*, & Comitum aliquando domicilium, quem quidem tractum olim Veromandui inhabitarunt, in coque duo amnes *Soma* & *Schaldis* ortum sumunt. Hic etiam olim Augusta Veromanduorum extabat, quæ nunc dirupta est, relicto tantum cœnobio, ubi sedes olim Episcopalis, quæ Nouiodunum translata est. RETELOIS comitatus, in quo metropolis *Retel*. TARTENOIS, in quo est *La Fere*. & PONTHIEV comitatus, qui à multitudine pontium nomen ducit: nam regiuncula paludinosa admodum est, & multis in locis stagnis inuia, nec nisi pontibus peragrari potest. Primaria huius comitatus ciuitas est ABBATIS VILLA, uulgò *Abbeuille*,

Amiens.
Thieracle.
Vermãdois
Reteloïs.
Tartenois.
Ponthieu.
Abbeuille.

Abbeuillæ, quę ex Abbatia primum in urbis magnitudinem & formam excreuit. Picardię incolę sunt magnanimi, uirili animo, & militaris rei peritissimi.

Cambray.

CAMBRENSE territorium nomen capit ab urbe CAMBRAY ad Scaldim amnem sita, quæ Antonino est *Camaracum*, teste Ortelio, & Teutonicè *Cameryck* dicitur. Hub. tamen Leodius putat, eam esse *Samarobrinam* Antonini & Cæsaris. Sed de Samarobrinæ situ ualdè auctores discrepant. Nam Diuæus & Becanus putant, eam esse Ambianum uulgò *Amiens*: Bouillus & Chassanæus *S. Quintin*. Ortelius uerò *Bray* ad Somonam fluuium. Vrbs autem CAMBRAY ampla est, pulchra, magnificis ædificijs, tùm publicis, tùm priuatis ornata, populo frequens, ac tutissima. Hæc olim Episcopo Cambrensi tàm in spirituali, quàm in sęculari iurisdictione parebat, qui Princeps est Imperii: atque in ea Arx fabrefacta est sub Caroli V. auspicijs, quæ tamen tumultuorum Belgicorum tempore per proditionem in potestatẽ Ducis Alenconij peruenit, qui eam postea Reginæ matri post eius mortem reliquit, nunc uerò sub dominio D. de Balanio est.

Bolougne.
Guinnes.

In confinio Picardiæ uersus Angliam porrigitur BONONIÆ Comitatus, uulgò *Bolougne* multa habens oppida & pagos; & GVISNEA, seu Guinnes Comitatus, qui ambo olim ad Artesiæ Comitatũ attinebant, in quibus quidem Morini antiqui populi olim insederunt. Ager nemorum multitudine impeditur, & ad mare sabulosus est, unde ut plurimum sterilescit. Hic duo nominatissima fuisse naualia, GESSORIACVM scilicet, & ICCIVM, seu Itium ex antiquis constat; vnde Cæsar commodissimum è Gallia in Britanniam traiectum esse prodidit. ICCIVM portum Cæsaris, vnde è Belgio in Britanniam soluerit, esse quod nunc Caletum, & uulgò *Cales* dicitur, permulti cum Lhuydo tenent. Alii uerò censent, *S. Odomari* vrbẽ olim Iccium portum fuisse, persuasi tùm ex loci situ, qui cũ ualdè humilis sit prærealtis tamen littoribus, quæ vrbem quodammodo cingunt, & Sinum maris olim capacissimum fuisse indicant: tùm ex uetusto vrbis nomine, *Sithieu*, quod sonare uidetnr *Sinus Ithij*. Addit Ortelius, distantiam ab hoc oppido ad proximum Britanniæ Insulæ continentem adamussim cum ea, quam illi Strabo tribuit hodie quadrare. Camdenus uerò Itium portum putat esse *Vitſan* inferius propè *Blaneſt*, quod Angli *Vuhitſan* uocant, verbo ab Itio non abludẽte.

Iccius portus.

GESSORIACVM autem maritimum illud esse oppidum, quod nunc BONONIAM uocant, & Galli *Bolougne*, Belgæ *Beunen*, & Angli *Bolen* omnes ferè consentiunt. Cæterum Caletum, quod inter cætera Europæ fortissimum est propugnaculum, annos prope CCXII. sub Anglorum potestate permansit, quibus Franciscus Guisæ Dux bello paucis ab hinc annis arripuit. Bononiam etiam Angli Gallis extorserunt, sed hæc pacta pecunia post octennium illis reddita fuit.

Gessoriacũ.

INSV-

INSVLÆ AD GALLIAM PERTINENTES.

IN Oceano Occidentali Galliam abluente, qui propriè Galli cum Mare dicitur, nonnullæ Insulæ dispersæ sunt, inter quas præcipuæ sunt hæ.

Inſ. D. Mariæ. Insula D. Mariæ Bouinę, uulgò *N. Dame de Bouin*.

Inſ. Dei. Insula Dei, uulgò *l'Isle de Dieu*, cum duobus, uel tribus pagis satis cultis.

Insula MARMOTIER, uel *Noir*, vbi salis magnus prouentus, & vbi est Abbatia uulgò *Blanche*.

Inſ. Regis. Insula Regis, uulgò *de Rex*, è regione Rupellarum, quæ uini ferax est, quod inde nomen fert, ubi est oppidum D. Martini, & hęc titulo Ducatus hodie insignita est.

Oleron Inſ. OLERON Insula, quæ *Vliarus* est Plinii, Canentello fluuio apposita; qui hodie *Charente*, salis factitii copia nobilis, ex quo insignem quæstum Rex singulis annis capit.



Universidad de Deusto
Biblioteca

VI
BELGII, SEV GERMANIAE INFERIORIS, DESCRIPTIO.

IN Tabula hac ea BELGICÆ GALLIÆ pars descripta est, quæ Hispaniarum Regi maiori ex parte hæreditario iure subest; ac dimidia circiter est ipsius Belgicæ pars. Quæ quidem uocatur per uniuersam Europam FLANDRIA, sumpto nomine à regione Flandriæ, quæ in ea cæteris præstat. Hanc BELGIVM propriè nonnulli uocãt. Neque enim Belgium pro una urbe accipi debet ex Cæsare, cum in eo scribat ipse Cæsar, se quatuor legiones collocasse, & una quidem urbs tot legionum capax esse nequit: neque sub nomine Belgij tota Belgica contineri putandum est, cum Cæsar à Belgio nonnullos Belgicæ populos libro quinto distinguat; sed eam potius esse Belgicæ partem cum Ortelio tenendum est, quæ mari uicinior est, & uersus Septẽtriones exporrecta, complectens nimirum hodie Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Brabantiam, Gheldriam, & Cliuiam. Dicunt uulgò hãc partem Belgicæ *ipaesi Bassi*, uel *Alemagna bassa*, & Latinè GERMANIAM INFERIOREM: tùm ab eorum humilitate uersus Oceanum Mare: tùm etiam, quia harũ gentium sermo ab alijs Germanis non multum differt, & si maior pars huius Belgij sit in Galliæ prouincia numerata.

Flandria, quæ & Belgium.

Germ inferior.

Belgii fines.

Sunt autem fines eius hi. Ab Aquilone Oceanum Mare: à Meridie Lorenum, Campania, & Picardia: ab Occasu tũ mare, tũ illa Artesiæ pars, quæ Picardiam intuetur. Circuitus eius teste Guicciardino est mílliarium Italicarum circiter 1000. vel 340. leucarum Belgicarum, complectitur uerò gr. 7. cum dimidio in longitudine à grad. scilicet 22. & semis usque ad 30. At pẽnes latitudinem gradus habet quinque, idest à gr. 48. & semis, usque ad gr. 53. & semis. Vnde locatur Belgium inter medium septimi Climatis & initium noni, ubi fit uarietas diei maximi æstatis ad horæ dodrantem. Nam ad medium quidem septimi Climatis maior dies est horarum 16. & ad initium noni horarum 16. cum tribus quartis. Continet uerò omnes parallelos, qui inter 16. & 21. includuntur.

Situs cœlestis.

Terra

Terra hæc aerem plùs æquo humidum habet, sed tamen qui incolarum sanitati, nec non digestioni conducit: æstas iucunda & peramæna est, non feruens, neque muscarum generibus abundans: tonitrua audiuntur pauca: terræmotus fiunt rari ob aeris humiditatem, & soli humilitatem: hiems longa & uentosa est, & spirantibus uentis *Borea, Græco, Leuante, & Scirocco* frigida & rigida est; sed spirantibus uentis his oppositis, frigus in pluuiam conuertitur, quod ut plurimum euenit. Ager planus est paucos habẽs colles, & montes (exceptis regionibus Lutzenburgi, Namurci, Leodij, & ex parte etiam Hannoniæ, quæ his abundant) in multisque locis sabulosus: sed in uniuersum bonus est, & fertilis (licet magis in una parte, quàm in alia) frumenti præsertim, hordei, siliginis, & aliarum segetum: saggina tamen, milio, & panicio exceptis, quæ tamen frumenta serius ad maturitatem perueniunt, quàm apud nos: linum, canabum copiosè; & fructus etiam multos fert, ut sunt pira, poma, cerasa, nuces, auellanæ, & cætera huiusmodi; quæ tametsi saporosa gustui, ut nostratia nõ uideantur; nihilominus toto integro anno cõseruantur. Ficus, & amygdalas difficulter nutrit; nec ullo pacto oleas, mala medica, citrea, malagranata, & alias nobiliores plantas, ac fructus fert, quæ tamen omnia suis tẽporibus copiosè ex Hispania hùc afferuntur: Vites hic paucæ, præterquàm in urbibus & uicis, quæ tamen debile, & immaturum reddunt uinum. Arborea materia satis ibi pro quotidiano usu, & pro ædificiis habetur; præsertim tiliarum arborum, quæ incolis *Linde* dicuntur: desunt tamen pinni, & abetes, atq; etiã pauci sunt lauri, & cupressi. Non sunt hic herbæ medicæ uirtute admodum præstantes; sed hortenses morbidiores, & gustu gratæ magis sunt, quàm apud nos. Animalia nocua, serpentesve terra hæc non præbet, nec nisi in Hollandia, Zelandia, ac in syluis magnis serpẽtes nascuntur aspidibus persimiles, quos *Adre* accolæ dicunt. Sed animalibus domesticis omnis generis maximè diues est, quæ mansuera magis quàm alibi sunt; quinimo boues Frisiæ, & Hollandiæ insolitæ magnitudinis, & ponderis sunt, quorum aliqui librarum 2000. nostratium pondus excedunt. Equi etiam magni sunt, fortes, & ad bellum aptissimi: lanæ huius regionis asperiores sunt Hispanicis, & Anglicis: rubia tinctorum abundè colligitur, quam magno lucro per omnem Europam distrahunt. Mineras alicuius momenti Belgium non habet, nisi ferri, & paucæ quantitatis plumbi, ac æris: nec fontes aquæ uiuæ, nisi montuosis in locis. Habet tamen lacus, stagna, & paludes permultas piscosissimas, & à permultis nobilissimis fluuiis irrigatur, inter quos sunt magni & Regales in mari sese exonerantes Rhenus, Mosa, & Schalde, præter alios nobiles satis, vt Mosella, Lisa, Aa, Sambra, Dele, Seine, Dese, Demere, Nethe, Ruer, Berkel, Niers, Vidrus, Scarpe, Dentre, Haine & alii. Præstantior omnium est RHENVS, qui non tàm in Germania, quàm in uniuersa Europa secundum tenet locum, & suos habet fontes in monte Adula, qui à Modernis dicitur *Vogel*, seu *S. Gothardi*: amnis is mediam hanc regionem secat, abluens multas urbes & oppida. MOSA in monte *Vogeso* oritur in finibus *Lingonum* & miscetur Rheno circa Nouiomagum. SCHELDA, seu Scaldis suum habet initiũ in Picardia in agro *Vormandois*, qui duo fluuii piscosissimi sunt, præ-

Terræ qualitas.

Oleæ hic nõ proueniũt.

Serpentes hic ut plurimum non sunt.

Pauca metalla hic.

Fluuii Belgii.

Rhenus.

Mosa.

Scaldes.

K sertim

sertim sturionum spectatæ magnitudinis & bonitatis, salmonum, lampredarum, truttarum, qui ex mari percurrunt in eos, præter innumeros alios pisces omnis generis, qui tùm in mari tùm ibi nascuntur.

Aduena syluа.

Haber præterea hæc Regio syluas, & nemora permulta lignorũ munificentissima, & animalium ferarum, & uolucrum omnis generis refertissima; inter quas est *Arduenasylua*, quæ Cæsaris tẽpore 500. milliaribus secundũ longitudinem protendebatur. Sed hodie multo minor facta est, neque 90. milliaria superat. Mare Oceanum, quod ab Occidente & Septentrione hanc terram abluit; & si multa incommoda, & damna sæpè Frisiæ, Hollandiæ, & Zelandiç præsertim afferre soleat; nihilominus magnopere huic prouinciæ conducit, ob nauigationem ad hæc loca ex omnibus mũdi partibus: quo fit, ut uelut emporium uniuersæ Europæ sit hæc Regio: in eo etiam piscium optimorũ ingens copia expiscatur, quæ nõ solum toti prouinciæ sufficit, sed etiam magnã eorum sale, & fumo conditorum quantitatem in Galliam, Hispaniam, Germaniam, ac in alia loca mittunt; præcipuè Salmones, & Haleces, quæ uulgò *Arenghe* dicuntur, ac in hoc tantum mari reperiuntur.

Haleces hic tantum reperiuntur.

Incolarum forma & mores.

Incolæ ipsi formosi, & proportionati sunt, & ut plurimum mediocrẽ excedentes staturam; pulchrasque habentes tibias; frigidi natura, quieti, parum colerici, parum ambitiosi, parum superbi: non admodum inuidi, nec Veneri dediti, sed potius Baccho, cum sint bibacissimi: suntque ciuiles, aperti, ad omnia prompti, & faceti; licet interdum nimis: creduli ualdè sunt, unde facilè decipiuntur: & suspicione pleni, ac obstinati interdum: nimis loquaces; & beneficiorum immemores, licet & iniurias etiã facilè obliuiscantur: aliorum parum sunt amantes, parumque odentes: laborioſi præterea sunt, diligentes, ingenio mirabili pollentes; unde & multarum rerum fuerunt inuentores, &

Belgæ perfecti Mutici. Bellicosi.

Musicam instaurarunt, ac perfecerunt: nam uix ulla est principum Europæ aula, quæ perfectis Musicis Belgicis careat. Bellicosi sunt tàm pedestri, quàm equestri certamine, ac etiam nauali classe: artem nauigandi optimè callent: uaria addiscunt idiomata: mercaturam solertissimè exercent, & artificia nobilissima: nam præter cætera contextores sunt pannorum ex serico, lana, & lino diuersorum generum, ut sunt saiæ, tripæ, grogranæ, bombesini, siue fustanæ, nec non etiam tapeta & alia præstantissima opera, quibus triclinia, cænacula, & cubicula Principum & nobilium ornantur, quæ non tam in uniuersam Europam mittuntur, sed in utranque Indiam & Africam. Panem ex siligine ut plurimum conficiunt, & potus illi est ceruisia, & uinum quoque, quod ex Anglia, Hispania, & Gallia habent: uestitus illis sumptuosus & comptus est, atque etiam domus mirificè ornant, & magis quàm aliæ Europæ gentes: ædificiis plurimum incumbunt, quæ quidem magnificè extruunt.

Cæterum mulieres Pulchræ sunt ac formosæ, promptæ, audaces, & liberè cum hominibus uersantes: sed tamen sobriæ sunt, ac honestatem summopere colunt: solæ per ciuitatem discurrunt: rem familiarem optimè gubernãt; & interdum etiam mercaturam exercent, & contractibus immiscentur. Gentes etiam hæ primæ fuerunt ex Gallia, & Germania, quæ Christianam fidem susceperunt, licet nunc inter eas multæ uigeant hæreses.

Com-

Complectitur hæc pars Belgicę 17. ditiones, quæ sub Hispaniarũ Regis Imperio sunt, hoc est Ducatus quatuor, ut *Brabantiæ, Limburgi, Lutzemburgi, & Gheldriæ*: Comitatus septem, nempe *Flandriæ, Artesiæ, Annoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ*, qui tamen sub Ducatu Gheldrę cecidit; Marchionatum *Sacri Imperij*, qui nunc sub Brabantiæ Ducatu comprehenditur: & dominia quinque, hoc est *Frisiæ Occidentalis, Mechliniæ, Vltraiectensis, Transisulanæ, & Groeningæ*, quod nunc sub statu Frisiæ Occidentalis comprehenditur. Et hę quidem regiones cultissimę sunt, in quibus numerantur 208. urbes murris, aggeribus, aut fossis munitę: & plusquàm 6368. pagi templis turrigeris insigniti, pręter uillas castella, & arces, quorum in his non exiguus est numerus. Residuum uerò Belgii possident Dux Lorenę, Dux Cliuę & Iuliç, Archiepiscopi Treuerensis, Moguntię, & Colonię, Episcopus Cambrensis, Leodiensis, & alii nobiles & potentes uiri. Quatuor sunt in hac inferioris Belgii parte Episcopatus, Cameracensis scilicet, Tornacensis, Atrebatensis, qui Archiepiscopo Rhemensi subsunt: & Vltraiectensis Episcopus Archiepiscopo Colonienſi subiectus. Academiæ, seu publica Gymnasia tria sunt, Louanium, Duacum, & Lugdunum Batauorum, uulgò *Leiden*. De regionibus autem particularibus Belgii separatim aliqua dicemus, pro ut collegimus ex Guicciardino & aliis, sicut etiam superiora.

Regiones Belgii.

Episcopatus Belgii.

BRABANTIÆ DVCATVS
Cum Marchionatu Sacri Imperij, & cum Ducatu *Limburgij*.

IN hac regione sederunt olim *Aduatici* populi teste Cęsare in Comm. & alij etiam, quos *Tungros* uocat Niger. Habet à Septentrione Mosam fluuium separans eam à Gheldria, & Hollandia: à Meridie Hannoniam, Comitatum Namurci, & Episcopatum Leodiensem: ab Ortu etiam Leodiensem diœcesim: & ab Occasum Schaldim, seu Scaldum diuidens eam à Flandria, & ex parte Principatum *Aloſt*. Huius circuitus complectitur 80. milliaria Germanica. Regio ipsa gaudet undique aere salubri, ager planus est, & maiori ex parte frugum, & fructuum feracissimus: tametsi uersus Septentrionem territorium, quod dicunt *Campaniæ*, seu *Campiniæ*, sit paulò sterilius, & arenosius magis: attamen armẽtis, & ouibus gratissima pascua affatim suppeditat: pulchris, & utilibus irrigatur fluuijs, quorũ præcipui sunt *Mosa*, & *Schaldis*; præter lacus, stagna, & alias aquas. Ornatur latis syluis, & nemoribus ad uenationem oportunis. Plinius hic scribit esse fontem insignem, cuius aqua purgat corpora, tertianas febres discutit, & calculorum uitia tollit. Gens hilaris est adeò, ut uix grauem senectutem sentire uideatur. Sunt uerò in hac regione 26. urbes murris, ac uallis munitæ, quarũ præcipuæ sunt *Louanium, Bruxelles, Antuerpia*, & *Bolduc*, seu *Busçum Ducis*, quæ dicuntur capitales. LOVANIVM ampliſſima, & amęniſſima est

Brabantiæ fines.

Regionis qualitas.

Louanium.

Universidad de Deusto Biblioteca

Bruxelles.

Antuerpia

urbs emporio nobili gaudens,& publico gymnasio Anno MCCCXVII. decorata,in qua sunt circiter 20.Collegia, seu Vniuersitates, in quibus omnes scientiæ, & facultates profitentur. BRVXELLES vrbs duplici murro munita fontium perennium scaturigine, principis sede, nobilium frequentia,ac populorum numerositate celebris est. ANTVERPIA præclara,& famosissima,& aduersus hostiles impetus tutissima est in loco,ubi olim Taruania ciuitas fuit,quam Morini tenuerunt teste Nigro : emporium est totius Europæ celeberrimum,in quo bis in anno ex omni penè mundi parte negociatores ad nundinas opulentissimas conueniunt : Metropolis est etiam totius Brabantiæ, & Marchionatus sacri Imperij,habet 212. uias publicas,&

Bolduc.

22. plateas. BVSCVM DVCIS vulgò *Bolduc* incolas habet ciuiles satis, & negociationi deditos, qui tamen plùs antiquæ fortitudinis retinent, quàm reliquæ gentes. Præter has MECHLINIA concilio Regio,quod *Parlamentum* uulgò uocant, nobilis est. Sunt præter urbes supra memoratas

Terræ liberæ.

octodecim oppida libera,quæ uulgò *Terre Franche* dicuntur,in quibus nundinæ fiunt,& vrbium priuilegiis potiuntur. Pagi uerò sunt circiter 700. tem

Quæ continentur sub Brabantia.

plis turrigeris, & campanis decorati. Continet autem hæc Regio Marchionatum *Sacri Imperij*,cuius Metropolis est Antuerpia,deinde etiam Marchionatum à *Bergis*, Ducatum *Arschotanum*, Comitatum *Hoochstratanum*, & *Megem*, Baronatum *Bredę*, Statum *Mastricht*, nec non etiam Ducatum *Limborgij*, de quo nunc dicemus.

DVCATVS LIMBVRGENSIS.

Limborgii Duc.

LIMBORGII Ducatus Regno Aquensi uicinus,Brabantia totus quasi continetur,qui extinctis proprijs Ducibus sub Brabantiæ cecidit Ducatu circiter Annum Domini MCCXCIII. Paret tamen Leodiensi Episcopo quo ad Ecclesiasticã administrationem. Ager omnium rerum ad humanæ necessitatis usum feracissimus est (vino tamen ob cęli inclementiam excepto) nam optimum profert triticum,& Zeam,ex qua panem albedine præstantem conficiunt : pascua hic saginando pecori optima sunt,unde casei delicati saporis copiam habent : herbas colligunt efficaces,tàm morbis curandis,quàm esui accommodas. Præterea sunt etiam hic plumbi,ac ferrifodinæ præstantes,& cadmiæ, seu calami

Lapis calaminaris.

naris lapidis mira copia : atra quoq; carbonaria, sulphuris particeps terra fabris ferrarijs,& igne conseruando admodum utilis. Sunt etiam hic lapicidinæ diuersorum marmorum,ex quibus multa ædificia exornantur. Non desunt in hoc etiam agro scaturientes aquæ,quæ tùm uolùptati, tùm sanitati recuperandæ mirificè inseruiunt. Præcipuum huius Ducatus oppidum est

Lymburgũ.

LYMBVRGVM, à quo Regio ipsa nomen habet, munitissimum quidẽ ob situm montosum,& ob arcem,ac turres,& murros,quibus clauditur: hoc

Vuesã flu.

oppidum fluuius VVESA uulgò *Vuesdo* abluit,& totum eius territorium irrigat antequàm sese in *Mosam* exoneretur, qui sanè fluuius præterquàm quod

quod multis,ac uarijs conducit usibus,maxima etiam nobilium piscium copia affluit,nimirum trutis immensæ magnitudinis,umbris,anguillis,mustelis,cancris, & id genus alijs.

DVCATVS LVTZENBVRGI, Seu Lucenburgi.

Augusta Romandue rum.

HIc Ducatus nomen obtinet à ciuitate primaria eiusdem nominis,quę Ptol. est AVGVSTA ROMANDVORVM. Termini eius sunt à Septentrione territorium Leodiense,& Namurcense: à Meridie Lorenum: ab Ortu Mosella fluuius cum Episcopatu Trierensi: ab Occasu Mosa fluuius cum Arduena silua. Regio montuosa est, ut plurimum,& nemoribus partim obsessa : attamen bona, & fertilis, multaq; utilia producens,& plerisq; in locis vinum proferens,tametsi non satis prę-

Lucenburgum.

stans : siluæ etiam quotidie excinduntur, & solum in fœcundissimos agros uertitur : attamen cum in Galliæ confinio sit,multa perplexa fuit incommoda,irrigatur à diuersis amnibus,inter quos dignior est Mosella : habet in circuitu 70. milliaria Belgica,& continet 23. urbes,& oppida murris percincta,præter alia multa ob bellorum furias murribus denudata. Primaria uerò urbs est LVCENBVRGVM partim montosa,partim uallosa, satisque munita,quam Alisontia fluuius, uulgò *Alsitz*, interluit. Hic consilij supremi

Theõ uille.

sedes est,& tribunal,à quo prouocatur Mechliniam. THIONIS VILLA uulgò *Theon uille* in ripa Mosellæ præsidium totius regionis tutissimum est.

Bastonacũ.

BASTONACVM oppidum emporium totius ferè regionis est. Possidet præterea 1168. uillas, seu pagos ; præter arces multas non parui nominis : habet etiam sub se 7. Comitatus, multos Baronatus,& alia dominia.

DVCATVS GHELDRIÆ, in quo etiam est Ducatus ZVTPHANIÆ, vulgò *Zutphen*.

Gheldria.

GHELDRIÆ regionem tenuerunt olim Cæsaris tempore *Menapij*, alij dicunt *Sicambros*, sed Guicciardinus putat utrumq; populum ibi inhabitasse: Marius Niger scribit *Menapios*, & *Gellios*. Regio hæc à Rheno fluuio per medium diuiditur, & à Septentione habet Frisiam : à Meridie Brabantiam, & Iuliacum : ab Ortu habet Rhenum, &

Eius fines.

ex parte Ducatum Cliuiæ: ab Occasu uerò Hollandiam habet, cum territorio Traiectensi. Regio campestis est cum paucis montibus,sed passim nemoribus multis,& utilibus ornata,& tribus celeberrimis fluuijs, *Rheno* nempe,

Qualitas.

Mosa, & *Vahali* irrigata. Fertilissima est præcipuè tritici ; pascua habet opti

ma, adeò ut ex ultima Dania emacerata armenta hùc saginanda mittantur.

Zutphaniæ Comitatus. Continet sub se Comitatum ZVTPHANIÆ, & alios status, & habet sub se 22. urbes murris, & fossis munitas, quarum quatuor sunt capitales, & principales supra quatuor diuersos amnes sitæ, & quatuor diuersis Episcopatibus subiectę, nempè NOVIOMAGVM, uulgò *Nimega* ad *Vahalim* sita, una olim ex tribus sedibus Imperialibus, ciuitas libera, & Metropolis totius Ducatus Gheldrię, quę suo cum territorio Episcopo Colonienſi subest. RVEMVNDA, seu Ruremonda, ubi *Rura* fluuius se in Mosam exonerat, extructa, quę Leodienſi Episcopo subiacet. ZVTPHANIA ad Ostium *Berchelì* amnis monasterienſi Episcopo subiecta, & Comitatus nomine clara, & ARENACVM, seu Arnhemium, uulgò *Arnen* in ripa Rhęni supremum huius regionis Ius, & Cancellaria, sed in spiritualibus est subditione Episcopi Traiectenſis. Sunt prętera alię urbes, & oppida, quę olim fuerunt murris munita, & nunc priuilegijs aliarum urbium gaudent; ultra 300. circiter pagos, seu uillas turribus insignitas. Hi populi ultimi fuerunt, qui ex Gallia Cęsaris quo sub Romani Imperij iugo peruenerunt, & qui primum in Imperij declinatione liberati fuere.

Noniomagum.

Ruermunda.

Zutphania.

Arenacum.

FLANDRIÆ COMITATVS.

Flandriæ fines.

FLANDRIÆ Comitatus termini hodie hi sunt: à Meridie Artesia, & Hannonia cum Picardiæ parte: ab Ortu Hannonia similiter, & Brabantia: ab Occasu partim mare quod Angliam respicit, deinde amnis Aa, & partim Artesia: à Septentrione Oceanum. Longitudo (Guicciardino teste) itinere trium dierum metitur, hoc est milliaribus Germanicis 33. latitudo itinere duorum dierum, nempè milliaribus 20.

Mensura.

Qualitas regionis. Aer clemens est, sed uersus Meridiem purior. Regio ut plurimum cāpestris, multa utilia nemora habens, sed paucis montibus prędita, ac satis fertilis, cōpascuaque, pręsertim uersus mare ac Galliam: triticum abundè profert: boues multos, ac equos prestantissimos, belloque aptos: lini, casei, & butiri etiā copia. Abluunt regionem *Schalde*, *Liza*, *Tenera*, ac alii amnes, & riuuli, unde piscibus omnis generis maximè dies est: quatuor sunt in ea principales maris portus. Habet prętera 28. urbes murris percinctas, quarum sex magnę sunt & nobilissimę, nimirum tres capitales, quæ sunt GANDAVVM, uulgò *Gant*, urbs nobilissima: BRVGAS, seu Burges ornatissima & opum dies olimq; Gesoria dicta: & YPRA: deinde alię tres dignitate has sequentes, nempe LILLA, TORNACVM, & DVACVM. Sunt etiam alię 30. satis nobiles & frequentes, quę murris non sunt uallatę, & insuper 1154. pagi, quorum aliqui magni sunt, & populo frequentes, pręter arces, castella, & nobilium ędes. Incolę sunt ciuiles, armis strenui, ingeniosissimi, ac excellentes artifices, maximè in contextendis pannis: tum ex lino, cuius hic magna fertilitas & bonitas; tum ex lana, quam ex Hispania, Anglia, & Scotia accipiunt: tum etiam ex serico, quod hic ex diuersis mundi partibus abundè defer-

Fluuii Flandriæ.

Gandauū.

Bruges.

Ypra.

Incolarum mores.

fertur, quos pannos latissimè distrahunt.

Diuiditur hodie Regio ipsa in tres partes, seu regiunculas, nempe in TEVTONICAM, quam Guicciardinus *Flandriam Flandricantem* uocat, quæ proprium seruat idioma: in IMPERATORIAM, in qua etiam loquitur *Flandricè*, & in GALLICAM, in qua *Gallicè* loquitur. Flandriæ diuisio.

Flandria Teutonica agrum habet sterilem & sabulosum, qui paucam producit tritici copiam, at segetes alias, linum atque canabum abundè profert. In hac sunt tres illæ urbes capitales, ut superius diximus, Gandauum scilicet, Burga, & Ypra, præter alias multas. GANDAVVM nobilissima, pulcherrima, & amenissima, ac inter maiores Europæ urbes numerata, sita est supra tres amnes *Schaldim*, *Lisam*, & *Liuiam*, quæ arce munitissima, ac superbis & magnificis ædificijs ornata est, & intra mœnia 20. paruas Insulas habitatas à fluuiis & riuulis effectas continet, ac insuper 98. magnos pontes præter multos paucos; hæc autem totius Flandriæ Metropolis est. Flandria Theutonica. Gandauū.

Partem Flandriæ Imperatoriam Guicciardinus ait, sic appellari; quia multo tempore sub Imperatorum potestate permansit; hanc uerò Ortelius Proprietariam uocat, quòd nunquàm superiorem præter Flandriæ principem agnouit. Est autē parua, ac inter amnes *Schaldim* & *Teneram* contenta in Brabantiæ finibus, nuncque Comitatus *Alostì* uocitatur, & habet sub se has urbes & oppida. ALOSTVM, HVLST, quæ cæteris principalior est, ASSELE, BOVCHOVT, ASSENEDE, TENERAMVNDAM, GERARDIMONTIVM, uulgò *Grandmont*, BORNHOAM, RVPELMVNDAM. Flandria Imperatoria.

Flandria Gallicans parua etiam est, sed pulchra tamē & optima: nā agrum habet pinguem & fertilissimum, qui optimum gignit triticum. Sunt autem in hac hæ urbes. LILLA caput illius, DVACVM, uulgò *Douai*, ORCIANVM, siue *Orcies*, & TORNACVM, seu *Tornai*. Vnum habet Episcopum Tornacensem Archiepiscopo Remensi subiectum, cui Episcopo subest una diœcesis ex quinque Episcopalibus, in quibus diuisa est tota hæc Regio Flandriæ, reliquæ uerò quatuor Episcopis Traiectensi, Cameracensi, Atrebatensi, & Taruanensi subsunt. Flandria Gallicans. Duacum. Tornacū.

ARTESIÆ COMITATVS, uulgò *Artois*.

ARTESIÆ populos Cæsar *Atrebates* uocat, & non ignobiles quidem, ab urbe ATREBATVM, quæ nunc Gallicè *Arras* uocatur, & totius regionis Metropolis est. Marius tamen Niger regionem hanc putat incoluisse *Ambianos*. Habet Regio ipsa à Septentrione Flandriā fluuio *Liza* diuisam: à Meridie Picardiam: ab Ortu Flandriam quoq; cum agro Cambrai: & ab Occasu similiter Picardiam. Ager amenissimus & optimus, fruitur clementissimo aere; producit omnia præter quàm uinum, Artesia. Artesiæ fines.

quod incolarum potius negligentia euenit: tritico optimo feracissimus, tantaque in quantitate, ut ad exteros etiam mittatur. Sunt hic duodecim vibes murris percinctæ, & 854. pagi. Ciuitates principales, ac oppida sunt

Atrebatij.

ATREBATVM quondam ipsius Flandriæ primaria ciuitas, uulgò *Arras*, à qua denominatur panni illi uariis figuris cõtexti, qui uulgò dicuntur *Panni d'arazzo*: atq; etiam

S. Homer.

FANVM S. AVDOMARI, uulgò *S. Homer*: deinde Lentium, uulgò *Lens*: Bethumia, uulgò *Bethune*: Bappalma, uulgò *Bappames*: fanũ S. Pauli, uulgò *S. Paul*: Lilletium, uulgò *Lillers*: & Pernel, uulgò *Pernes*, oppida sanè satis tuta, & munita. Incolæ olim diuites & mercaturæ dediti erant, sed hodie pauperes facti ob continua bella sunt, unde militiæ tantum incumbunt, in qua strenui sunt. Duos habet Regio hæc Episcopos, Atrebatensem scilicet, qui uni ex quinque diecesibus Flandriæ præest; ipseque Rhemensi Archiepiscopo subest: & Audomarensem.

HANNONIÆ COMITATVS, uulgò *Hainault*.

Hannoniæ fines.



VÆ nunc HANNONIA dicitur, olim Pannonia dicebatur, & deinde Saltus Carbonarii, atq; etiam Picardia Inferior. Quæ quidem à Septentrione habet Brabantiam & Flandriam: à Meridie Campaniam & Picardiam: ab Ortu Comitatum Namurræ, & Episcopatũ Leodiensem: ab Occasu Flandriam & Artesiam. Longitudo est 20. Germanicorum mill. latitudo mill. 16. Istic Neruios populos bellicosissimos olim habitasse nonnulli censent. Ager felix est, bonoque potitur aere, & diuersis fluuiis irrigatur, qui sunt *Schaldis*, *Sambra*, *Tenera*, & alij: lacubus, stagnis, & fontibus copiosus satis; nemoribus, pratis uiridissimis, & pascuis optimis: fructibus item, atque arboribus abundat: frumenti optimi feracissimus est; nec non etiam mineris ferri optimi, plumbique, ac lapicidinarum uariorum marmorum diues est, inter quæ habetur index lapis. Calcem uiuam, & profundissimas foueas lapideorum carbonum, quibus in extruendo foco utuntur, adeò habet hæc Regio, ut opus sit ea ad exteros etiam mittere. Cõflantur hic quoque uitreæ laminæ, quibus fenestræ clauduntur, & omne item uitreorum uasorum genus. Gens bellicosa & erga principẽ fide & officio incomparabilis. Sunt urbes seu oppida 24. murris munita, & 950. pagi, aut uillæ præter arces, & alia huiusmodi innumera. Habet sub se Principatum *Chimay*: octo Comitatus, seu decem, ut scribunt alii: duodecim *Pares*, ut hodie appellant: 22. Baronatus: 26. Abbatias, aliosque dignitatis titulos.

Qualitas.

Incolarum mores.

HOLLANDIÆ COMITATVS.

HOLLANDIA & si parua sit Regio, ac talis, ut ex quacunque eius parte etiam ex ipsius meditullio trium horarũ spatio egredi liceat: nihilominus præstantissima est, & admirabilis. Iacet autem in Insula olim Batauia nuncupata, quam Nigro teste Batani incoluerunt, & habet quidem à Septentrione, & Occasu Oceanum: à Meridie Mosam amnem, & Brabantiam: ab Ortu Sinum habet *Zuiderzee*, ideſt maris Germanici, & Geldriam: unde re uera Peninsula est, quæ præcipuè à fluminibus Rheno, & Mosa irrigatur. Ager paludosus est, multis stagnis, multisque maris sinubus copiosus, qui in eo quàmplures efformant Insulas: aer clemens & bonus est, tametsi tantæ ibi sint aquæ, & humiditates. quod ob uentos salubres, obque maris salsedinem, & ob frequentem hominum habitationem contingit: solum ipsum humile adeò est, vt pluribus in partibus aqua altior sit; unde ageribus manufactis undique munitum est: pauci sunt ibi arbores & fructus: frumentum ac alias segetes parcissime mittit, quæ tamen ex Dania, ex aliisque locis copiosè ibi deferuntur: neque uinum etiam producit, quamuis hic maior uini quantitas absumatur, quàm illis in locis, vbi nascitur; adue hitur enim ex multis locis, & præcipuè uinum Rheni. Linum non producit, sed ex Flandria & aliunde copiosè habent, ex quo panni subtiles linei hic conficiuntur tanta in copia, ut in uniuersam Europam, inque Asiam, & Indiam distribuantur, ubi maximè commendantur. Abundat præterea Regio ipsa pascubus optimis, quibus animalia egregiè nutriuntur, quæ ibi numerosissima sunt, præsertim equi & boues: lactis, butiri, & casei uberrima adeò est, ut ex his in diuersis locis distributis unius millionis aureorum emolumentum quotannis recipiant: piscibus quoq; fluuiatilibus, & maris mirũ in modũ refertissima est. Sunt autem in hac regione urbes uallibus, & mœniis munitæ 29. (præter alias, quæ murris ob ciuiles discordias & bella destitutæ sunt) & plusquàm 400. uici (præter nonnullas Insulas) ut mirum sit in tàm arcta regione tantum inueniri oppidorum & pagorum numerum, atque adeò eam esse populosam. Magis uerò mirum est, nullum uix eorum oppidorum, & pagorum esse, quo non liceat terra & aqua proficisci. Inter ciuitates sex primariæ sunt, nempe DORDRECHT Metropolis totius Meridionalis Hollandiæ, *Harlem*, *Delft*, *Gonde*, *Amsterdam*, quæ post Antuerpiam primum quo ad mercaturam tenet locum, & LVGDVNVM BATAVORVM, uulgò *Leyden*, quæ Gymnasio publico celebris est.

Hollandia, olim Batauia.

Qualitas.

Vrbes Hollandiæ.

Dordrechè.

Incolæ.

Incolæ proceri formosi, & feroces sunt; sed ciuiles tamen, humani, politici, ingenioſi, diuites, potentes, & bellicæ laudis clari, ut olim. Subest Regio hæc Episcopo Traiectensi.

ZELANDIÆ COMITATVS.

Zelandiæ olim Arboricæ.

ZELANDIÆ Insulæ diuersæ sunt, proprijsq; nominibus insignitæ, quæ antiquitus *Arboricæ* dicebantur, & sitę sunt inter Mosæ, & Schaldis fluminum ostia in illa Oceani parte, quæ Lebecium, & Occasum respicit. Has Schalde fluuius à Flandria Meridiem uersus segregat: à Septentrione Hollandiam habent: & ab Ortu Brabantiam. Insulæ hę ob maris tempestates magnam passæ sunt mutationem: si quidem aliquæ maiores; aliquæ minores factę sunt: nonnullæ penitus à mari absorptæ sunt; & nonnullæ de nouo emerserunt: Verum inter has, septem principaliores, & à maris impetu tutiores sunt; cum quo continuo luctantur, atq; aduersus ipsum immensis sumptibus, & labore ęgrè sese tuentur. Ager & si inclementissimo potiatur cęlo: pinguissimus nihilominus, & tritici præstantissimi, ac aliarum frugum feracissimus: coriandrum, & tinctorum rubeam optimam mittit, quæ per totam Europam copiosè distrahitur. Pascua sunt hic optima, & piscationes infinitæ: sed ligna pauca, & nullæ dulces aquæ. Sunt autem in his Insulis decem urbes murris percinctæ præter 102. pagos, quarum quidem Insularum aliæ Orientales sunt, & aliæ Occidentales. Tres quidem Orientales sunt, nempè SCHALDIA siue *Scannua* primaria, & præcipua, cuius circuitus septem Germanicorum milliarium est, licet maior olim esset, antequàm ab inundatione maris uastaretur, in hac *Ziriczea*, & *Brouuershauia* vrbes sunt. DVVELANDIA circuit quatuor tantummodo Germanica milliaria, neque nisi uicus, & pagos habet. TOLANA vulgò *Tolen*, duo habet oppida satis laudata *Tolam*, & *D. Martini aggerem*. Occidentales uerò sunt VALACRIA, seu *Vualcheria* cęteris principalior, & tutior, decẽ milliaria in ambitu tenẽs, quæ urbes habet tres satis dignas, nempè *Veram*, *Vlissingam*, & *Migdelburgum*, seu *Metelli castrum*, quæ capitalis est, & Metropolis totius Zelandię, ubi curia est ipsius prouincię; estq; omnigenum uinorũ, quę ex Gallia, Hispania, & Anglia nauibus aduehuntur, nobile forum, & emporium celeberrimum. ZVIDBEVELANDIA Insula aliarum maior est, licet iam dimidio angustior à mari facta sit. Hęc tres continebat urbes principales, sed una illarum, quæ *Borsule* uocabatur cum toto eius territorio submersa Anno MDXXXII. fuit. NORTBEVELANDIA fertilis olim, & amęna fuit, antequàm Anno MDXXXII. pœnitus inundaretur. VVOLFERSDYCK, seu Vuolfarsi agger minor cæteris est, nam in ea duo tantum pagi, seu uillæ sunt. Harum omnium Insularum incolæ cęteris Belgis ferociores sunt, ac uiribus, ingęnio, fallatijs, captionibus, negociandi peritia, ac conquirendi industria superiores: nauigationem, & piscaturam exercent, & plurimis in locis salem excoquunt, & ad albedinem purificant maximo cum lucro.

Vines eius.

Agri qualitas.

Schaldia Insſ.

Duuelãdia Inſ

Tolana Inſ.

Valacria.

Zuidbenelandia.

Northeuelandia.

Vuolfersdyck.

Incolæ Zelandiæ.

NAMVRCI COMITATVS.

Namurci Regio.

SITVS est hic Comitatus inter Brabantiam, Hannoniam, & Leodiensem dioecesim, nec admodum patet. Estque montuosus, aut potius collibus consitus, & conuallibus, amœnus, & utilis: nemoribus, & siluis refertissimus. Nam præter alias siluam habet maximam, & mirabilem, quæ *Maligne* uocatur, seu *Marlaigne*: sunt hic miperæ ferri, & marmoris nigri, ac etiam rubei cum alijs lapidibus permixti: salnitrum hic copiosè colligitur: & nuper inuenta est magna carbonorum lapideorum copia, qui adignem ardent: fluuiis *Mosa*, & *Sambra* perfluitur; & quatuor urbes murris ornatas habet ultra 182. pagos, quarum urbium NAMVRCVM capitalis est, à qua Comitatus hic denominationem capit. Gens armis dedita, ciuilis, & ingeniosa, sed paucos habens mercatores, ac artifices: gallica lingua utitur, eaque degeneri.

Maligne silua.

Namurcum.

MECHLINIÆ DOMINIVM, vulgò *Malines*.

Mechliniæ fines.

MECHLINIÆ dominium unicam tantum ciuitatem huius nominis habet, inter Louanium, Bruxellem, & Antuerpiam positam, ac eodem penè interstitio ab unaquaque illarum distans: In ea autem magnum resident consilium Regium, ad quod potest fieri appellatio omnium causarum, quæ in maiore Belgii parte aguntur. Et ad hoc etiam consilium equites *Toſoni Aurei* conuocari solent; in hoc enim iudicia diffinitiua proferuntur, de quibus nulla datur appellatio.

Consilium ubi equites Toſoni conuocantur.

DOMINIVM TRAIECTENSE, vulgò *Vtrecht*.

Traiecti fines.

DOMINATVS VTRECHT circunscribitur à Septentrione, à Meridie, & ab Ortu Hollandia, & ab Occasu Gheldria. Potitur agro bono, ac fertili, qui magis cultiuatur, & seminatur quàm Hollandia, quia non adeò humilis, ac humidus est, sicut illa. Quatuor sunt in hoc ciuitates capitales cum alijs quatuor satis dignis, omnes murris percinctæ, & cum 70. & amplius pagis. Primaria urbs TRAIECTVM est, à qua dominium nomen sumit, quæ talem situm obtinet, ut unius diei itinere commodissimè ad quemlibet è sexaginta oppidis, & urbibus circumuicinis murro percinctis proficisci potest, quod mirum est.

Traiectum vrbs.

In hac residet Episcopus Traiectensis, cui tota Hollandia in spiritualibus subijcitur. Regio hæc Episcopis suis olim parebat, sed se sub Carolo Quinto Imperatore Hollandiæ gubernationi dedidit.

TRANSISELANA REGIO, seu dominium Ouueriſſel.

Ouueriſſel.

TRANSISELANA Regio Incolis *Ouuerißel* dicitur, & habet à Septentrione Occidentalem Frisiam: à Meridie Gheldriam: ab Oriente Vuestfaliam: ab Occidente Sinum Maris Germanici, qui *Zuiderzee* dicitur cum fluuio *Issel*. Regio ut plurimum campestris & fertilis, optimumque triticum producens. Hanc percurrit *Vidrus* fluuius cum aliis amnibus: parua quædam nemora habet, sed utilia satis. Partitur tota Regio in tres status *Iselant*, *Drent*, & *Tuent*, in quibus octo sunt urbes murris munitæ, & alia oppida decem principalia, quæ amplissimis fruuntur priuilegiis; suntque plusquàm centum pagi, ac uillæ. Caput totius regionis, & Metropolis est urbs DEVENTERIA perampla, populo frequens, ac bene prouisa. Tota Regio Episcopo Traiectensi in spitualibus paret.

Deuenter urbs.

FRISIA OCCIDENTALIS, cum Dominio Gruninghæ.

Frisiæ Occidens. sues.

FRISIÆ Regio, quæ dicitur OCCIDENTALIS, ac etiam *Vuestfriesia*, ab Orientali Frisia Amisio fluuio partitur, habetque à Septentrione, & ab Occasu Oceanum: à Meridie Transiselanam: ab Ortu Amasium habet fluuium, qui Germanis *Ems* dicitur, & eam à Vuestfalia seiungit. Hæc quasi Frisiæ sola nomen antiquissimo iure uendicat, semperque præstantior fuit habita: paruas sub se habet Insulas, quarum digniores sunt SCHELINGIA, & AMELANDIA cum nonnullis uillis. Terra plana est; stagnis & paludibus copiosa, unde inculta est seminum; sed pascua optima suppeditat: ex Dania autem & mediterraneis locis frumenta recipiunt: uinum ob frigus nequaquàm profert, quod qui dem ex Hispania, Gallia, & alibi petunt; lignorum paucam prębet materiam, quorum loco turbam copiosè habet, quæ quædam materia est facilè ignem recipiens, & tantisper perdurans, donec tota fuerit consumpta, & in cinerem redacta; ex hac etiam magnum recipiunt incolæ quæstum distrahentes eam in uicinas regiones: Animalia domestica numerosissima habet, quales sunt boues, equi, & reliqua huiusmodi. Duo tantum fluuii per hanc terram percurrunt, Amasius nempe, uulgò *Ems*, & *Lauue*. Sed Oceanus perpetuo eam infestat inundando, alluendo, & lacerando. Gentes ipse frequentes sunt, & ab antiquo bellicosæ, seue-

Inſ. Frisiæ

Incolæ Frisiæ.

reræ, & superbæ: nunc mercaturam & nauigationem exercent: adulteria odiunt: libertatem in primis amant, quam ad mortem usque defendere conantur. Sunt in hac urbes digniores numero 13. inter quas LEVVANDRVM, seu Leuuardum est totius regionis Curia, seu Senatus supremus, & Cancellaria. Pagi uerò sunt prope 490. quorum nonnulli priuilegiis dotati, colonis, & diuitiis affluunt. Diuiditur nunc in tres Comitatus principales, scilicet *Oestergoe*, *Vuestergoæ*, & *Seuen Vuoldem*, qui Latinè Septem Syluæ dicitur, ex quibus Vuestergoyensis clarissimus est. Episcopo Traiectensi tota paret. Huic uerò subest dominium *Gruninghæ*, cuius caput est GRONINGA, Phileum Ptolemæo uocata, quæ sanè urbs dominium, statum, & leges proprias habet cum iurisdictione, & confederatione plurium uicinorum uicuum, & princeps huius dominii titulum accipit.

FRISIA ORIENTALIS.

ORIENTALIS FRISIA ponitur inter Amasium, & Visurgim amnes, & Ducatus titulo ornata fuit Anno MCCCCLXV. Quæ sanè diues adeò est, ut equos, boues, pecora, carnes porcinas, lanas, butyrum, caseum, hordeum, auenam, frumentum, fabas, pisas, & salem ad regiones longè distantes uberrimè mittat. Sunt autem duæ tantum in hoc comitatu urbes murro percinctæ, nempè EMDENA vulgò *Emden* ad Amasij fluuij ostium sita totius regionis emporium celebre ob optimum, ac peramplum portum; & ASELINGA, vel Aurichum, quæ ob syluas, ac nemora ipsi undique imminentia à nobilibus maiori ex parte habitatur, qui quidem uenationibus, & aucupio operam, ut plurimum nauant. Pagi hic sunt adeò frequentes, ut alter alterum interdum contingat, qui cultu, ac splendore suo urbibus æquiparari meritò possunt. In hac etiam regione sal excoquitur magno ciuium emolumento. Habet autem in ea Hispaniarum Rex *Linghen* exiguum oppidum, quod tamen tutissimam habet arcem, statum, ac territorium.

Universidad de Deusto
Biblioteca



VII
GERMANIAE MAGNAE
DESCRIPTIO.

GERMANIA Europæ ampliſſima Regio, & Romani Imperij decus à Ptolemæo MAGNA cognominatur. Et ALEMANNIA olim dicta fuit non à Limago fluuio, aut à Lemano lacu, ſed uel à nomine uetuſti gentis huius Dei Manni uocitati, prioribus additis literis (conſtat.n. ex Tacito has gentes carminibus antiquis Thyſtonem, ſeu Tuiſconem Deum terra editum celebraſſe unà cum eius filio Manno) uel ab Alanis gentibus, quas ex Sarmatia in Germaniam quondam migraſſe legitur: Hi porrò populi non *Alemanni* tantum, ſed *Teutoni* uocati etiã fuere, uel à Teutonis gente Saxonica, uel à Teutone nono illorũ Rege. *Tedeſchi* omnes Alemani uulgò dicuntur à Teutiſcis populis, quos in Norico fuiſſe ſcribit Strabo. GERMANI autem ab exteris nationibus præſertim Gallis, & Italis dicti ſunt, eo quia belli tempore fraterno animo communia cum illis tulerint pericula, & ſucceſſus. Quod ſanè nomẽ latinum à Romanis inuentum in uſu magis apud ſcriptores permanſit, ac uniuerſa hæc Prouincia Germania uocitata eſt, priſco illo nomine Alemanniæ tamquàm barbaro ab eruditis in uulgum reiecto.

Germ. olim Alemannia dicta.

Teutoni.

Tedeſchi.

Germani.

Hæc autem prouincia, quę inter totius Europæ maxima ſemper ad ætatem uſque noſtram habita eſt, à Gallis olim uerſus Occaſum Rheno fluuio diuiſa fuit; à Rhetis, & Pannonibus ad Meridiem Danubio: à Sarmaticarum gentibus ad Ortum limite confuſo; nam Tacitus metuo metu, & montibus Germaniã ab illis ſegregat: Pomponius uerò Mela, & Ptolomæus ad amnem Iſtulam, ſeu Viſtulam ipſam terminant. A Septentrione autem omnes Oceano immenſo eam claudunt. Sed undiq; tantum Germaniæ acceſſit, ut duplo hodie maior ſit, quàm Strabonis, Melæ, Ptolemæi, aut Plinij temporibus fuerit; nec amplius intra inclytos amnes Rhenum, & Danubium continetur. Germani ſi quidem omnes regiones, ac populos Teutonica lingua utentes iure ſibi uendicant. Ab Occaſu itaq; Rhenum tranſgreſſa uſque ad Picardiam, & Burgundiam Gallię partes extenditur: nam tota hęc pars ultra Rhenum Germanicè loquitur, ac Germanorum Principum Imperio paret. A Meridie ultra Danubium ad Alpes uſque, quæ in confinio ſunt Italiæ.

Germaniæ fines antiqui.

Germaniæ nunc maior quam olim

Fines eius recentiores.

Quo

Quo fit, ut Heluetiam, Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, Superiorem Pannoniam, imo alpes ipsas, partemque Illyriæ, & usque ad Tridētina clausta Germania obtineat. Ab Ortu quoque Prussiæ regionem ferociſſimam & idolatriæ deditam ex infidelium manibus milites Teutonici ui, & armis intra trecentesimum annum eripuerunt, vbi Germanicum idioma in usu est.

Situs cœlestis.

Occupat igitur uniuersa hæc Regio secundum longitudinem magnum tractum, nempe à Meridiano ducto per gr. 23. vsq; ad Meridianum, qui per gr. 46. incedit: secundum uerò latitudinem protenditur circiter gr. 10. nam Australiſſimus parallelus est gr. 45. cū dimidio. Borealiſſimus uerò gra. 55. cū dimidio. Vnde comprehenditur inter medium sexti Climatis, & decimi initium iuxta recētiorum partitionem cōprehendes omnes parallelos, qui sunt inter 15. & 22. quo fit, ut uariationem maximi diei æstatis hic ad horam integram cum duabus tertijs accidat: nam maximus dies in Australiſſimo parallelo est horarum 15. 36. & in Borealiſſimo est horarum 17. cum quadrante.

Qualitas eius secundum antiquos.

Germania olim, ut Mela, Tacitus, & alij scripserunt, inhabitata fuit, & deserta; & in uniuersum aut syluis horrida, aut paludibus fœda, aut fluuiorum discursibus præpedita, aut montium anfractibus exasperata, ob idque maximè inuia; humidior quà Boream, uentosior quà Austrum respicit: frugiferarum arborum impatiens, omnisque culturæ sterilis: pecorum nihilominus fœcunda, sed quæ plerunque improcera fuere: auro & argento immunis, ac proinde uilis, despectaque ab omnibus. Verum quod hi scripserunt, non de tota Germania, pro ut nunc accipitur intelligendum est, sed de ea tantum ueteri, quam Rhenus & Danubius includunt.

Qualitas eius iuxta recētiores.

Nunc autem satis amœna, cultiſſima, & habitatoribus frequentiſſima sese offert, & urbibus pulcherrimis, oppidis, arcibus, pagis, ac uillis passim exornata; nanque referunt quidam plusquàm octoginta urbes amplas continere, seu ciuitates, præter innumera oppida. Cœlum satis clemens est, & temperatum, licet frigidiusculum aliquantò, quod tamen ad sanitatem, & corporum ualiditatem confert: nullus hic ager iacet incultus, nisi qui suaptè natura pro ferendis fructibus non est idoneus, adeò ut Hercinæ syluæ uastiſſimæ paucæ nunc reliquiæ superſint, (tametsi 60. dierum olim occupabat iter)

Sylua Germaniæ.

quæ necessariæ sunt pro hominū usibus; exceptis Nigra sylua, Ottonica sylua, & Bohemiæ syluæ, quæ pro maiori parte hominibus usui non sunt: attamen illæ horrendam non adeò præ se ferunt faciem, ut olim, nec amplius inuiæ sunt; sed habitationibus, pagis, uillis, & monasteriis sunt refertiſſimæ. Est itaque hic agriculturæ magna cura (scribit Vadianus) neque iis, qui hodie habitant, ea est inertia, quæ ueterum fuit, neque pascui solum, ut quondā agri, sed & frumenti in totum feraces. Et locis non paucis, maximè autē contra Rauricorum oram sub Martiana sylua, quā *Nigram* hodie uocant, longo Rheni decursu uinetis amœniſſimis consita. Præterea & ad Nicri (uulgus *Necarum* uocat) & mœni amnis ripas maximè uitifera. Illo autem latere, quo in Ortum Æquinoctialem excurrit, & ubi Norico & Pannonię superiori, interfluo Danubio cōtermina est, non modo uinum ædit optimum, sed & crocum omnium præstantiſſimum gignit. Frugiferarum insuper arborum patiens:

Vises in Germania.

minus

minus autē fertilis, quà in Oceanū, & Vistulam porrigitur, quanquàm abunde frumenti ferax. Habet & fontes, & fodinas salis: & præter eas, quæ in *Carpati* saltibus sunt; non uno in loco auri, argenti, æris, ferri, plumbi albi & nigri fodinas fertiles. Nullas porrò, aut raras habet superior Germania paludes, nec minus montibus adeò exasperatur: nam quos habet superior Germania plurimos montes, ij fœcundi nihilominus sunt: quinimo alpes ipsæ, quarum cacumina perpetua candent niue, subtus pascuoſiſſimæ sunt. Sic quoque montes *Nigræ syluæ* pulcherrimis abundant abietibus, ex quibus immēsa trahitur picis quantitas, ita ut quidam pagi ex sola huius collectione uictū sibi parent: quinetiam limites eorundemmet montium optima proferunt uina, quæ alibi importantur: sericum non mittit oleo sterilis est. Fontes dulcis aquæ pluribus in locis scaturiunt, & thermæ calidæ ad sanitatem præstantes. Sed flumina Germaniæ maximè nobilia totam terram irrigātia piscosa, & ad nauigationem oportunia sunt Danubius, Rhenus, Amasus, Mœnus, Nicer, seu Neccarus, Albis, Odera, & multi alij amnes, & riui limpidiſſimi totam terram irrigātes, ac in Oceanū, uel in Danubiū, & Rhenum, principales ue alios sese effundentes, de quibus nonnihil in particularibus Germaniæ regionibus paulò infra suis locis dicemus. DANVBIVS fluuiorum omnium Europæ maximus *Ister* Plinio, Straboni, & alijs uocatur, & hodie uulgò *Done*, & *Donaun* ab undarum sono, uel strepitu appellatur. Hic aurem ex Monte Rauraco teste Amiano exoritur: uel ut alii dicunt, ex monte Pyrrenæo Germaniæ, qui uulgò dicitur *Brenner* altius ex iugo Hercinę syluæ: cuius quidem fons insignis & perpetuus est iuxta uillam *Doneschingen* in loco plano ab omni monte semoto, qui hodie quatuor paruis murris includitur. Longitudine 26. circiter pedum, & latitudine circiter 18. scaturigo autem ipsa effluens habet pedis unius profunditatem, & duorum pedum latitudinem. Amnis hic insignis sexaginta alios recipere amnes Plinius & alii tradunt, eosque ferè omnes nauigabiles, quorum alii ex alpium longo tractu, alii ex Bohemię montibus scaturiunt, in Ponto autem Euxino nonnullis ostijs exoneratur.

Paludes in Germania raræ.

Oleo Germania sterilis.

Flumina celebriora.

Danubius fluu.

RHENVS nobiliſſimus Germanię fluuius *Rhijn*, uulgò dicitur, orituque in summis alpibus, in quibus duos habet fontes, anteriorem scilicet, & posteriorem; ac olim tres habebat, quorum unus hodie obstructus est: amnis is post suum exortum efficit primo duos lacus, Acronium nēpe, & Cellensem, indeque in se plures alios fluuios recipit, nempe *Vram*, *Vrsam*, *Limagum*, *Arolam*, *Birsam*, *Viesam*, *Illam*, *Brusium*, *Neccarum*, *Mœnum*, *Naham*, *Mosellam*, *Lauam*, & *Lippiam*; deinde in duas scinditur partes, quarum una uersus Occidentem currens *Vualis* dicitur, cui Mosa miscetur; altera in duos ramos iterum scinditur, in Isellam, & Rhenum. Per hunc igitur fluuium à Francfordia usque ad Oceanum Germanicum, ubi exonerat, merces innumerę, & uina quotidie feruntur. AMASVS, uel Amisius hodie *Ems* dicitur, insignis apud Frisiones fluuius Vueſtphaliam alluens, & in Oceanum Germanicum erūpens. MOENVS non nullis MOGONVS dicitur, & uulgò *Meyn*, & est Franconię regionis amnis in Bohemię montibus fontes habens, atq; eis Rhenum superiores Germanos ab inferioribus diuidit, à Francfordia autem

Rhenus fl.

Amasus flu.

Mœnus flu.

L usque

Universidad de Deusto Biblioteca

usque ad Germanum Oceanum, ubi erumpit, mercibus & uinis ferendis potissimè inseruit. Nonnulli tradũt, huius amnis nomen Græcè scriptum numerum dierum totius anni continere sic M 40. E 5. N 50. O 70. Σ 200.

Neccar⁹ flu. NICER, hodie NECCARVS, & uulgò *Nechar* in Ducatu Vuertembergensi exoritur, cuius fontes à Danubii fonte distant itinere circiter duarũ horarum, hic multis amnibus auctus in Rhenum exoneratur, sed præter ligna igni destinata & ędificiis apta nihil mittit.

Albis flu. ALBIS fluuius celeberrimus à nonnullis ex Latinis Albia barbarè dicitur, Germanis *Elbe*, uel *Eluer* Bohemis *Iabe*, apud quos originem ducit in tractu Hercine syluę ex undecim fontibus simul conflatis.

Odera flu. ODERA, uulgò *Oder*, Ortelio *Viadus* est, & Plinio Guttalus, hunc Niger *Sueuum* falsò uocat: nam Sueuus nunc *Spre*, uel *Spree* dicitur, nec in mari sese exonerat, sed in fluuium Albim.

Germanorũ mores. Germanos olim alios, quàm hodie habuisse mores ex Cęsare, Tacito, ac aliis satis constat, quos longum esset nimis hic recitare. Nunc uerò necuirtute, nec dignitate priscis Germanis ullo pacto cedunt: par robur inest corporibus: animi longè ornatiores, postquàm enim cum exteris nationibus commercia tractare cęperunt, feritatis illius antiquis opprobratæ non parum remiserunt. Cumque olim in totum litteras ignorassent, omnique doctrinę studio caruissent; nunc mirificè in omni scientiarũ genere proficiunt, linguasq; Græcam, Latinam, & Hebraicam optimè calent, atque mirabili ingenio, inuẽtionibus que sunt prædití: nam instrumenta bellica, machinas bombardarias, & imprimendi artem eorum nuper inuentũ omnes facilè norunt. Circa æris, ferri, & omnium metallorum officinas, nec non circa horologiorum constructionem miro, ac calido ingenio uersantur. Sunt autẽ ut plurimum pulchro corpore, ac formosi, mediocrem potius excedentes staturam, colore candido rubedine intermixta, flauis capillis, & crispis, laborioſi, constantes, fortes, audaces, bellicosi, fideles, suspicione pleni, ad Dei cultum dediti, licet permultæ inter eos uigeant hæreses: misericordes, parum uenerei, sed tamen luxui, & commessationibus nimium dediti, lautè enim epulantur, & bibacissimi sunt, inter quos mos parum laudandus uiget, quòd ad combibendum effusissimè alios tùm proprios, tùm etiam exteros, ad idque parum idoneos nõ tàm hortantur, quàm quodammodo porrectis poculis cogunt: & si quempiã sæpius ab illis inuitatum compotare recusauerit, pro inimico habent. Hoc autẽ omnibus Germanis commune non est, nam multi inueniuntur satis continentes: uinum attamen uniuersa Germania non habet, sed plerisque in locis factitiã conficiunt potionẽ, quam Birram, & Ceruisiam dicunt, quæ nõ minus quàm uinum inebriat: uitam ut plurimum traducũt usq; ad 50. annos, at in aliquibus locis, hoc est in Sueuia, octuaginta etiam attingunt.

Germani ingenioſi.

Germanorum forma.

Germani bibacissimi.

Antiquæ Germaniæ diuisio. Ipsa porrò Germania in duas olim partes diuisa fuit mediante Męno, seu Mogano fluuio, in SVPERIOREM scilicet, quam ut alpibus propinquiorem *Altam Germaniam* uocant, & in INFERIOREM, quæ ad Septentrionem, & Oceanum dispòsita *Germania Bassa* uulgò dicitur. Sunt autẽ

Regiones superioris Germaniæ. in SVPERIORE Germania hæ regiones, seu prouinciæ *Alsatia, Vuittembergum, Franconia, Sueuia, Bohemia, Morauia, Bauaria, Austria, Tirolum, Stiria,*

Stiria, Carinthia, Carniola, de quibus singulis agemus, ac insuper *Hungaria, & Heluetia*, de quibus in propriis tabulis pertractatur. Sed INFERIORIS Germaniæ regiones sunt hæ. *Vuestfalia, Cliuia, Iuliacum, Leodium, Treuerensis ditio, Hassia, Turingia, Saxonia, Marchia Brandeburgica, Luzatia, Masfeldia, Silesia, Misnia, & Holsatia*. De quibus singulis nonnihil dicemus; præter reliquas regiones Belgii, quas in Belgii Tabula descripsimus, & præter *Daniam, Pomeraniam, & Prussiam*, quas sub Tabulis regionum Septentrionalium, & Regni Poloniæ absoluimus.

Regiones inferioris Germaniæ.

Principes Germaniæ. Multos præterea, ac præclaros habet principes Germania, nempe IMPERATOREM, quem Romanorum Regem ante coronationem uocant: & REGES duos, BOHEMIÆ nempe, & DANIÆ: ARCHIDVCEM insuper unum Austriæ: & DVCES multos, sed maximè illustres tres ex totidem familiis tota Germania nobilissimis, SAXONIÆ uidelicet, AVSTRIÆ, & BAVARIÆ: præterea Duces *Pomeraniæ, Branſuuick, Gheldriæ, Cleuis*, & similes: MARCHIONES item plures habet, ut *Brandeburgensem, Morauiæ, Misniæ*, &c. COMITES quoque multos, ut *Palatinum Rheni, Bauariæ, de Nassau, de Vuirtemberg, de Scomburg, Tiroli*, & alios. Suntque etiam in Germania ciuitates liberæ, quas uulgò *Francas* dicunt numero circiter 84.

Imperatoris electio. Ius uerò eligendi Imperatorem pendet à Germaniæ Principibus, & institutum fuit à Gregorio X. Pont. anno MCCLXXIII. & à Rodulpho Primo Augusto in hodiernum usque diem perduravit, & adhuc cõstanter perdurat. Electores autem Imperii sunt septem, nempe ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS Imperii Romani *Archicancellarius* per Germaniam. ARCHIEPISCOPVS TREVIRENSIS Imperii Romani *Archicancellarius* per Galliam & Regnum Arelatense. ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS Imperii *Archicancellarius* per Italiam. REX BOHEMIÆ Imperii Romani *Archipincerna*. COMES PALATINVS Rheni Imperii *Archidapifer*. DVX SAXONIÆ Imperii Romani *Archimarscalcus*. & MARCHIO BRANDEMBVRGENSIS Imperii *Archicamerarius*. Qui quidem septem Electores primum constitutum Imperii membrum: Nam secundum membrum sunt Principum virorum, & nobilium, in quibus sunt Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Palatini, Comites, & alii nobiles, ac Prælati magno in numero. Tertium autem membrum Imperii constat ex ciuitatibus *Franchis*, seu liberis, quæ sunt circiter 84. Atque præter hanc trium membrorum ordinationem ad uitanda schismata in Imperio, ad mutuam Principum Germanię defensionem, ac pacem communem seruandam, diuisæ sunt prouinciæ Imperii in ditiones aliquot, quas *Circulos* appellant, & sunt numero decem, uidelicet primus *Circulus* est *Franconiæ*, secundus *Bauariæ*, tertius *Austriæ*, quartus *Sueuiæ*, quintus *Rheni*, sextus *Electorum Rheni*, septimus *Germaniæ Inferioris*, siue *Vuestphalicus*, octauus *Saxoniæ Superioris*, nonus *Saxoniæ Inferioris*, decimus & ultimus *Burgundiæ*. Sed de Imperii Romani ordine, ac administratione, cum nominibus Principum, & nobilium, ac ciuitatum liberarum uide doctissimum

Electores septem Imperii.

Secundum membrum Imperij.

Tertium membrum Imperii.

Circuli Imperii decẽ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Archiepiscopi Germaniæ cum Episcopis subiectis.

mum ac diligentissimum Mercatorem, à quo hæc accepimus.

Sunt autem Archiepiscopatus in uniuersa Germania septem, Moguntinus, Colonienſis, Treuirensis, Magdeburgensis, Saltzburgensis, Bremensis, & Rigensis, quibus subsunt suffraganei Episcopi permulti. Nam MAGVNTINO subsunt Episcopi Curiæ, Constantiæ, Argentinæ, Spiræ, Vuormacię, Herbipolis, Augustæ, Aystett, Hildeshaim, Paderborn, Haberstatt, & Ferden: COLONIENSIS suffraganei sunt Monasterienſis, Traiectensis, Leodienſis, Mindenſis, Osnaburgenſis. TREVERENSI subsunt Metenſis, Tullenſis in Lotharingia, & Verdunenſis. MAGDEBVRGENSI, qui est Primas Germaniæ, subsunt Morsenburgenſis, Naumburgenſis, siue Ciczenſis, aut Mammillenſis, Brandeburgenſis, & Hauelburgenſis. SALTZBVRGENSIS suffraganei sunt Tridentinus, Brixienſis, Patauienſis, Frisingenſis, Viennenſis, Secouienſis, Gurcenſis, Lauentinenſis, & Chiemenſis. BREMENSIS habet sub se Lubecenſem, Suerienſem, Lebussinenſem, Schlesuuicenſem, Ratzemburgenſem, Hamburgenſem olim Archiepiscopū. RIGENSIS tandem præest Reualienſi, Curiēſi, Oeselienſi, & Derptenſi. Liberi & exempti Episcopi sunt Misnenſis, Babembergenſis, & Ratisbonēſis.

Gymnasia publica.

Publica Germaniæ Gymnasia sunt Basilea Heluetiæ, uulgò *Basel:* Colonia Agrippina, uulgò *Coln: Dilligen:* Moguntia, uulgò *Mentz:* Marpurgum: Lipsia: Misniæ uulgò *Liptzich:* Inglostadium: Heidelberga: *Grifswuald:* Friburgum Brisgoiæ: Francofurtum ad oderam: Erphordia Turingiæ: Praga Bohemiæ: Rostochium: *Konigsperg* in Prussia: Treueris: Tubinga: Vienna Austriæ: Vratislauia, uulgò *Breslauu,* Vuittemberga Saxoniæ, Herbipolis Franconiæ, uulgò *Vurgspurg.* Nunc autē ad particularē regionū descriptionē deueniamus.

REGIONES SVPERIORIS, seu Altæ Germaniæ, & primo ALSATIA.

Alsatia duplex.

ALSATIA vulgò *Elsas* in confinio Heluetiæ diuiditur in Superiorem, & Inferiorem. Superior Landtgrauiatus est, & in ea sunt *Suntgoia,* & *Brisgoia.* Totum igitur hoc tractum urbis, oppidis, pagis, & uillis admodum frequens est, omniq; ex parte habitatur, & frumento diues maximè in planitie, ubi sunt etiam optimi fructus, adeò ut fertilitate reliquas Germaniæ regiones facilè excedat: in montibus, & collibus optimum conficiunt vinum, quod multis in locis circūuicinis defertur. Sunt etiam ibi syluæ castanearum, & montes mineris refertissimi; præcipuè autem argenti, æris, & plumbi. Pascua in montibus, & uallibus sunt optima pro pecoribus. Ciuitates insignes sunt RVBEAQVVM antiquissima à Rubeaquū. Selestadiū. Friburgum. Argentina. condita, vulgò *Rufach*, & SELESTADIVM vulgò *Schletstadt* in superiore Alsatia, FRIBVRGVM in Brisgoia, & ARGENTINA, quæ vulgò dicitur *Stasburg* in inferiore Alsatia, quæ tutissima omnium Germaniæ

maniæ urbium est, continetq; turrim mirandæ magnitudinis inter mundi miracula octauum tenens locum: siquidem ad altitudinem 574. passuum Geometricorum producitur.

VVIRTENBERGA.

Vuuirtēbergensis Duc.

VVIRTENBERGENSIS Ducatus habet ad Ortum, & Meridiem Sueuiæ partem: à Septentrione Frāconiam: ad Occasum Palatinatum Rheni. Regio ipsa, quam Neccarus mediam diuidit, partim subaspera, & uitibus inimica, pecoribus tamen idonea: partim lapidosa, & arenosa, sed frugum ferax: partim uerò campestris, & ad agriculturam aptior. Quæ quidem amnibus piscosis, lacubus, fontibus, nemoribus, & pascuis admodum læta est. Sunt hic oppida, urbes, & arces frequentissimæ, præter pagos, & uillas innumeras. Metropolis regionis est STVTGARDIA, Regia Vuirtembergensium principum. TVBINGA hic quoque Gymnasio publicò celebris est: & VVIRTEMBERGA, à qua nomen Regio ipsa sumit.

Stutgardia. Tubinga. Vuirtēberga.

FRANCONIA.

Franconia Regio.

FRANCONIA Regio *Francia Orientalis* etiam dicitur, & vulgò *Franckenlandt.* Hęc autem Sueuiæ, & Bauariæ à Meridie uicina est: ab Occasu Rheno contigua: ab Ortu Boemię, & Turingiæ: & à Septentrione eidem Turingię, & Hassiæ iungitur. Est autem Regio hæc partim plana: partim collibus leniter strata, cuius ager, & si in aliquibus locis non admodum pinguis, sed arenosus potius sit, attamen satis fertilis frumento, & leguminibus est: cępas, & rapa maiora, & copiosiora, quàm ulla quæuis alia prouincia gignit, & caulis capita. Est etiam undecunque terra cultissimis pomarijs, & pratis amęna; omnigenis pecoribus abundans; ac multis in locis consiti colles uineis gratum producunt vinum, maximè uerò apud Herbipolim, quod ob sui præstantiam ad remotissimas gentes transportatur. Multas syluas habet uenationibus aptas, inter quas quædam insignes sunt, regionem ipsam quasi claudentes, propugnantesve, quales sunt *Ottonica, Speshartica,* & *Thuringica.* Prouinciam hanc amnis MOGANVS, qui etiam *Męnus* dicitur, illabitur, & alii etiam amnes, ut *Sala, Tuberus,* & *Necarus,* unde ex eis multa piscatio.

Qualitas eius.

Syluæ Franconiæ.

De Franconis autem Ioannes Aubanus sic habet. Gens ipsa laboris patientissima: uinum, quod colligit, ob domesticam egestatem uulgò uendit, ipsa aquam bibit, ceruisiam contemnit, nec facile ad se deferri permittit, insolens est, superbaque, multum sibi arrogans, multum pręsumens, alias nationes cōtemnit, cauillisque adeò plerunq; prosequitur, ut qui cum ea morantur; nisi lingua prodat, patriam suam non dicant. Eos, qui hæc patienter ferunt, facilè

Gentes Franconiæ quales.

secum morari patitur,& ueluti pro hoc approbatos coniugijs admittit; unde multi Sueui, multi Bauari, Hassiq; in Franconia habitant. Ad Dei insuper cultum propensa est, &c. Hæc ex illo. Illustres vrbes duæ sunt Episcopales

Herbipolis. HERBIPOLIS, olim Pœonia uocata, & vulgò *Virtzburg*, cuius Episcopus Dux Franconiæ dicitur; non tamen totius, sed maioris partis. deinde

Bamberga. BAMBERGA, cuius etiam Episcopus habet in ea ditionem. In huius urbis agro colligitur mellea illa radix, quam *Glycerchysam* uocant, tantaque copia, ut ingentes currus ea onerati in diuersas abducuntur regiones. Subest tota ipsa prouincia quinque Principibus Herbipolensi, Bambergensi,& Maguntinensi Episcopis: deinde Burgrauio Norinbergensi, & Comiti Palatino Rheni ambobus sæcularibus.

Spira. Non longè à Franconia ad Rhenum fluuium iacet SPIRA urbs, in qua

Vuormatia. est *Camera* Imperialis: VVORMATIA, quę celebris est ob Dietas, MA-

Maguntia. GVNTIA nobilis ob electoratũ Imperij, eius enim Archiepiscopus unus est ex septem Imperij electoribus: est autem urbs ipsa fortis situ, mœniis, & populo, sitaque est supra Rhenum, & Mœnum: & eius ager uinum præstans

Francofurtum. mittit. FRANCOFVRTVM ad Mœnum famosa est, ob nundinas, quę in ea bis quotannis celebrantur, in hac etiam fit Imperatoris electio.

SVEVIA.

Suenia unde dicta. SVEVIA suprema est totius Germaniæ portio à Sueuis populis ex Septentrionali parte digressis, qui huc consederunt, dicta. Cuius fines sunt ab Ortu Boemia: à Septentrione Franconia: ab Occasu Alsatia, & Rhenus fluuius: à Meridie uerò Bauaria, & Alpium iuga. Hanc uerò sic

Sueuiæ qualitas. describit Ioannes Aubanus. Regio est partim plana, partim montosa: ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter quam aut lacus, aut montes, aut syluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti uenatio frequens, aucupium peculiare: frumentorum abundantia: pecorum magna uis: conualles plurimæ perennibus uicis clarissimæ: undiq; amnes procurrunt, qui se uniuersi in Rhenum, & Danubium exonerant. Tota insu per prouincia salubritate gaudens, celebratissimis urbibus, uicis, & castellis referta, arces excelsæ natura & arte munitæ, circa montes ferrum, argentum,

Sueui populi. & metalla procreat. Gens populosa, fortis, audax, & bellicosa, procera corpore, flauo crine, uenusta facie, & decora, ingenio singulari prædita: Præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta, cuius gloria eo usq; creuisse memoratur, ut uirtute & armis imperium orbis meruerit, illudque ultra unius sęculi spatium magnificentissimè tenuit. Hodie potentiores Sueuorum ferè omnes mercaturæ uacant, & priuati nulla a ia re, nullo artificio magis occupantur, quàm lini operatione, ex quo panni elaborantur, & ad remotissimas nationes transuehuntur; sunt uerò in Venerem supra modum proni. Hæc ille.

Danubius Ortus. In Sueuia oritur celeberrimus totius Europæ fluuius DANVBIVS, qui mediam regionem irrigat. Hæc porrò Regio olim Regnum fuit, deinde Ducatus,

catus, hodie uerò sub multis Principibus manet, neque ullus eius Ducatus titulo ornatur. Inter hos tamen Dux Vuirtembergensis plurimam partem sibi uendicat. Præcipuæ in ea urbes sunt AVGSPVRGVM, uulgò *Augspurg*, præclarissima urbs ad Lycum amnem, uulgò *Lechum*, uel *Lech*, ac splendidissima olim Pop. Romani colonia, Augustaque Vindelicorum, vel Rhætorum dicta, tametsi Auentinus Augustam Vindelicorum hodie non extare affirmet, quem egregiè doctissimus vir Marcus Velserus confutat, qui de Rebus AVGVSTAE VINDELICORVM octo peramplos conscripsit libros, qui mihi dum hæc imprimerem à Fabio Paulino Medico, & Philosopho, viro quidem omni cognitione ornatissimo, manuscripti ostensi sunt, nuncque typis committuntur. Hodie etiam ampla & opulenta est, quæ licet territorio careat; ciuibus tamen insignibus ornatur, qui ob mercaturam ad optimum statum peruenerunt, atque dominia nonnulla obtinuerunt, qui opibus etiam nullis Europæ cedunt. VLMA super Danubium iacens, quę non adeò ampla est, sed tamen diuitiis & mercatura affluens. NORLINGA, quæ in planitie pulchra & ad 30. milliaria ampla posita est, præter alias, inter quas multæ sunt Imperiales, ac liberæ, seu *Frache* uulgò uocatæ.

Augusta Vindelicorum.

Vlma.

Norlinga.

BOHEMIA.

Boemiæ fines. BOHEMIA Regio Germanicè *Behen* dicta, in quam Boij migrarunt, & Germaniæ limitibus incluśa, habet ad Ortũ Morauiam & Silesiæ partem: à Meridie Austriam & Bauariam: ab Occasu Noricum agrum: à Septentrione uerò Saxoniam & Misniam. HERCINA autem sylua uniuersam cingit, claditque circum undique ad amphitheatri faciem: rotundam habet formam, cuius diameter trium dierum itinere expedicto absoluitur. Alij tradunt, longitudinem habere 36. milliarium Boemicorum. Solum ipsum hordei, & tritici ferax admodum est, & copiosum, ut

Qualitas. & horum non paucam copiã uicinis gentibus suppeditet: olei tamẽ sterilis, & uina fert pauca, eaque languida ob Aquilonares uentos, quibus tota exposita est. Vnde ceruisia pro uino utitur, quam optimam facit, eaque Viennam usque Austriæ uehitur, Crocum mittit succo, colore, & odore optimum. Argenti autem adeò affluens ac beata est, ut uenæ nihil ferè extra argentum habeant. Sunt uerò argenti fodinæ in agris *Cromelauu*, *Budunciſs*, & *Kuttenberg*. Aurum quoque in puteis optimum effoditur, cuius interdum frustra denum librarum Regi allata sunt, præter reliqua metalla ignobiliora, stamnum scilicet, plumbum, æs, & ferrum, quibus satis affluit. Et præ cæteris in oppido *Beraun* sunt optimæ ferrifodinæ: carbuncula, calaim, amethystum hic etiam inueniuntur. Percurrunt hic multi amnes, ut ALBIS cæteris præstantior, qui

Albis fl. ipsis *Labe* dicitur, magnamque, ac meliorem partem abluit; MVLTAVIA,

Multauia. qui incolis *Vltauua*, & Germanis *Molda* est: deinde *Egra*, *Sassaua*, *Giſera*, *Miſa*, seu *Mieſs*, & *Vuatto*, qui in ipsum Albim Salmonibus fęcundũ profluunt. Ex his nonnulli ramenta auri ferunt ciceris magnitudine, quæ nullo

egent purgamento: alii uerò conchas ferunt, è quibus uniones eruuntur. Sed incolæ præcipuè ex cyprinis piſcibus, quos piſcinæ alunt, magnam trahunt utilitatem. Sunt hic fontes calidi aliquot in locis tùm ad uoluptatem, tùm ad medicamina apti.

Boemi quales ſint.

Boemi in uniuerſum proceri ſunt, lato & ualido pectore, ſuluis comis, ambitioſi, glorioſi, arrogantes, alios contemnentes, & in cæteris moribus nõ longè à reliquis Germanis diuident. Soli uerò inter Germanos illorũ lingua non utuntur, ſed propria, quæ Sclauonica eſt. Ioannes Aubanus Boemus ſcribit, hos orthodoxæ fidei cultum parum hodie integrè cuſtodire, ſed *Vualdenſiũ*, & *Huſſitarum* ſectarum ueneno eſſe infectos, & aliorum etiam. Addit́que Picardum quendam ex Gallia, gentem hanc hoc inſigni delirio infeciſſe: iis non paruam uirorum, mulierumque plebem contractam nudam incedere iuſſit. *Adamitas* uocauit, autor omnis licentiæ Venus publica & mixta, reliqua horrenda auditu crimina hoc Duce cęperant, & in quibuſdam locis adhuc durare, ſed occultè, à multis dicitur. Nam ſubterraneos Boemorum quidem (qui ex hoc *Gruebenhaimer* appellantur) ſacra operaturi ſubeunt, inter quæ cum à ſacerdote pro more illud Geneſis pronunciatur. Creſcite & multiplicamini, ac replete terram: lumina, quæ ibi habentur, continuò omnia extinguuntur, & tunc neque ætatis ulla, neque ſanguinis attenta reuerentia promiſcuè uiri, & in quam per tenebras quiſque incidit mulieres cognoſcunt; Peracto ſcelere cum in locum ſuum ſe quiſque receperit, luminaria rurſus incenduntur, & ſacrum peragitur. Quam quidem Boemorum impietatẽ, nefandamque hæreſim quatuor Reges Veneeslaus, Sigiſmundus, Albertus, & Vladislaus extirpare non potuerunt, quàmuis ſæpius totis uiribus attentarunt. Hucuśq; ille. Sunt tamen, qui hãc hæreſim non in Boemia, ſed in Morauia eſſe aſſerãt. Regnum hoc à Carolo Rege & Imperatore fuit in duodecim regiones diuiſum. Regia uerò ciuitas eſt PRAGA olim *Bubienum*, quondam etiam *Marobudum* à conditore dicta, ſplendidiſſima quidem, ac omnibus præſtans, quæ tanta magnitudine eſt, ut unà tres ampliſſimas urbes complectatur, ueterem ſcilicet, nouam, & paruam, quæ à cæteris duabus Vultauia fluuio ſeparatur. In quibus ſanè ſingulis ædificia magnificentiſſima ſunt, Archiepiſcopali autẽ dignitate decorata fuit ſub Carolo Rege Bohemiæ, & Imperatore, cuius ſuffraganeus Epiſcopus eſt Litomiſlenſis. Huius Regni titulo ſubſunt Morauia, Sileſia, & Luzatia regiones.

Praga.

MORAVIA.

Morauia unde dicta.

MORAVIA ueteribus *Marcomania* uocata, & nunc uulgò *Marherem*, nomẽ habet ab *Morana* fluuio. Hanc paruam regionem *Marſci* ſuperiori ætate poſſederant, atque tribus è partibus iuga montium, aut ſyluæ, ſaltuśque, aut fluuij limitant ad Ortum ab Hungaris, & Polonis: ad Occaſum à Boemis: ad Septentrionem à Sileſiis: ad Meridiem uerò Auſtriam reſpicit, qua parte plana ſolummodo eſt. Hanc uerò ſic Ioannes Dubra-

brauuius deſcribit. Regionis poſitio, quatenus interius patet campeſtris, campíque ſunt molli & pingui ſolo, ideoque ſegetibus ualdè idonei, ſicut colles uinetis propter terram uineis magis, quàm in Bohemia amicam; itaque & bonitate & ubertate uini antecellit. Culta uerò tota, cultoribuśque adeò referta eſt, vt nullum gregibus armentorum, quæ niſi in ſolitudinibus commodè paſci nequeunt, locum reliquerit. Morauorum ſermone, ritibus, moribuśque perinde morati ut Bohemi ſunt. Germanica tamẽ lingua in urbibus inter optimates in uſu eſt. Hoc uerò iam mirabitur aliquis (inquit ille) ut eſt profecto admiratione dignum, inueniri in Morauia Thus, & myrrham non ex arbore deſudante, ut alibi lectam, ſed è ſolo terræ erutam uno tantum in loco, cui *Gradiſco* nomen, in quo ad hunc diem thus non ſolum, quod maſculum uocant à ſimilitudine teſtium, ſed quod alia præterea uirorum, mulierumq́; membra oſtentat, effoditur, &c. Hæc ex illo. Amnes, qui Morauiam abluũt, ſunt *Morana* cæterorum præſtantior, deinde *Nigra*, *Suitta*, *Thayſa*, *Igla*, *Haua*, *Suarta*, & alij. Sunt autem in Morauia Comitatus duo cum aliis nonnullis dominiis. Principalis ciuitas eſt OLMVNZIVM vulgò *Olmutz*, & Boemicè *Holomatz* Epiſcopalis, quam *Morana* fluuius interfluit: huic dignitate proxima eſt PRVNNA, quæ Germanicè *Brin*, & Bohemicè *Brno* dicitur.

Qualitas.

Morauí quales ſit.

Fluuii Morauiæ.

Olmuzium.

Prunna.

BAVARIA.

BAVARIA vulgò *Bayerne*, quę etiam BOIARIA dicta fuit à Boiaris populis, uel potius, ut alij uolunt, ab Auaribus è Pannonia ejectis, qui hùc inſederunt. Eum autem continet terræ tractum, quem tenuerunt olim NARISCI qui hodie *Nardge* dicuntur, ac Danubio fluuio à reliquis ſeparatur: NORICI, qui ab Oeno fluuio ad Orientem & Auſtrum ad Italiam, & Hungariã uſq; pertingunt: Et VINDELICI, qui *Licatij*, ſeu *Lechrainer* vulgò dicuntur, ac inter lacum Brigantinum, ſeu Acronium, Lycum, Iſaram, Oenum, & Danubium concluduntur. licet non æquè. Habet ad Septentrionem Franconiam: ad Occidentem Sueuiam: ad Meridiem Alpes: ad Orientem Auſtriam, & Boemiam. Duplicem uerò Bauariam Danubio intercurrente faciunt, ſuperiorem, & inferiorem. SVPERIOR BAVARIA citra Danubium ad Alpes, & Auſtrum iacens montibus, uallibus, & ſyluis impedita, ac lacubus ingentibus occupata, & à fluminibus rapidis irrigata; ob idq; parum habitata, ac pecuariæ rei magis apta: pomiferarumque arborum fęcunda. At ubi in campis ſe aperit, trimeſtris frumenti, non tamen omnis, maximè ferax eſt. Præclaræ autem urbes ſuperioris Bauariæ ſunt MONACHIVM, vulgò *Munchen* ad ripam Iſaræ fluuij, uulgò *Iſer*: præclariſſima quidem urbs, & Ducis ſedes, quę nulli pulchritudine cedit. INGLOSTADIVM, vulgò *Ingolſtat* publicò Gymnaſio nobilis. FRISINGA uulgò *Freinſing* Epiſcopalis. In uniuerſum autẽ iſthic ſunt circiter 34. oppida, quæ cum urbibus æquiparari merito poſſunt.

Bauaria.

Nariſci.

Vindelicia.

Bauariæ duplex.

Monachium.

Ingloſtadium.

Friſinga.

IN-

Universidad de Deusto Biblioteca

INFERIOR autem BAVARIA trans Danubium fertilior multò magis altera est, frequentibus q́ue habitationibus ornata, uitium q́; ferax propter Danubium, alios q́ue amnes, à quibus abluitur. In uniuersum autem tota regio feracissima est frumento, pecore, piscibus, uolucribus, feris, ac aliis ad humanæ uitæ usum necessariis. Sues etiam tantos hæc Regio glandibus, & syluestribus pomis alit, ut præter proprium usum in alias etiam Europæ regiones non pauci mittantur; ita etiam pecudes, frumenta, & salem, cuius fontes abundat, alijs suppeditat: uino attamen ut plurimum indiget; unde ex Italia, Histria, Rheno, & ex alijs locis hùc exportatur. Hinc multa æris, & ferri quãtitas per parua flumina in Danubium hebdomatim mittitur, quod in permultas partes distrahitur. Continet autem hæc prouincia 34. urbes, 46. oppida, præter innumeros pagos, arces, & nobilium ædes, Tenet q́; DVCEM BAVARIÆ, qui præest superiori Bauariæ: & PALATINVM Bauariæ, qui præest inferiori Bauariæ ultra Danubium, quæ pars nunc *Nortgoia* dicitur, cuius Metropolis est NVRENBERGA, urbs quidem celebratissima octo milliarium ambitu & in arenoso solo sita, magnificis q́ue ædificiis publicis, & priuatis ornata & duplici murro cincta: sed incolæ artificiis, & negociis uictum, & diuitias potius sibi parant, quàm ex terra ipsa. Quæ nisi maceretur, pastinetur, & stercoretur aliquid uix producir. Sunt in inferiore Bauaria insignes urbes RATISBONA, seu Reginoburgum, uulgò *Regenspurg*, olim AVGVSTA TIBERIA, priusq́ue *Artobriga* dicta, & Danubio apposita. PATAVIVM, uulgò *Passaw* ad Ostium Oeni fluminis (uulgo *Inn* dicitur) in Danubium, cuius ager montium, uallium, syluarum, & amnium uarietate maximè amœnus est. LANSVTVM supra Isaram amnem. SALBVRGVM Archiepiscopalis supra fluuium *Saltz*, cuius ager cæteris Germaniæ metallorum, ac mineralium copia præfertur, licet frumenta & fructus parcè ferat. Est autem in tota prouincia Archiepiscopus Saltzburgensis: cui Patauiensis, Frisingensis Episcopi subsunt, & Ratispo nensis Episcopus liber & exceptus. Populi (ait Ortelius) agri & pecoris magis quàm belli cultores, neque mercaturæ multum dediti; tantum Baccho, & & liberis operam dant: rarò natale solum relinquunt.

Qualitas regionis.

Dux Bauariæ. Nortgoia. Nuremberga.

Ratisbona.

Patauium.

Lansutum. Salburgũ.

AVSTRIA.

AVSTRIA, uulgò *Ostenreich*, *Austorlich*, vel *Osterlant*, hoc est terra Orientalis dicta, quoniam Sueuis, & Boiaris ad Orientem uergere uideretur. Hæc autem olim PANNONIA SVPERIOR dicebatur. Habet q́ue ad Ortum Hungariam: à Meridie Stiriæ montes, qui ab alpibus perpetui in Hungariam, & ulteriores regiones protenduntur: ab Occasu Bauariam: & à Septentrione *Teyam* fluuium & Morauiam. Hæc solo plana est, uentis exposita Aquilonaribus; frumento uino, ac cæteris frugibus læta: fructibus diues, ac aere quoque salubri gaudet; argento abundat, non itẽ auro: salem partim proprium, partim importatum habet

Austria.

Qualitas eius.

habet. Gens ipsa glorioſa admodum ſuperiori ætate belli laude fuit. Flumina Austriæ sunt *Danubius*, qui per medium eam intersecat, *Onasus*, *Traunus*, *Erlaphus*, *Traisius*, *Ypsius*, *Melicus*, *Marchia*, *Teius*, *Campus* uario piscium genere abundans, & *Leytha* peroptimis cancris refertissimus. Est autem Austria nunc Archiducatus & Tertius *Circulus* Imperii, & in ea sunt etiam nonnulli Comitatus & dominia. Inter Austriæ urbes VIENNA olim *Flauiana*, siue *Iuliobona* dicta, & dignitate, & diuitijs, & populo, & pulchritudine principatum obtinet, quæ etiam studio literarum admodum nobilitata est.

Flumina Austriæ.

TIROLVM.

TIROLI Comitatus iacet inter *Athesis* & *Oeni* fluenta, & inter Alpium montes, anfractus q́ue, ac nomen ab oppido Tirolo exiguo accepit. Hæc Rheticæ quondam pars fuit, & à Septentrione Bauaria: à Meridie Lombardia: ab Ortu Marchia Taruisina, Foroque Iulij: & ab Occasu Heluetia clauditur. Hic comitatus Argentifodinis mirum in modum diues est, ex quibus quotannis Principes Austriæ tercentum millia aureorum nummum recipiunt. Hic etiam æris fodinæ sunt præstantissimæ, ac aurichalchi maximè ductilis. Montes huius tractus mirandæ sunt altitudinis, qui syluis uestiuntur, niue operiuntur, & feris abundant. Primariæ urbes sunt OENIPONS, uulgò *Inspurck* sedes Principis eius ditionis, ubi etiam *Camera*, & *Parlamentum* est eius regionis, & regionum Austriacarum. deinde BRIXEN ad *Isam* fluuium Episcopalis. TRIDENTVM sic antiquitus etiam nominata & à Ptolemæo in Cenomanis posita, illustris quidem ob arcem, & ob generale Concilium anno MDXLVI. ibi celebratum, sub Paulo III. Summo Pont. Populi huius urbis partim Itali, partim Germani sunt, & ut inter se uarii lingua sunt, sic etiam moribus diuersi. Est etiam MARANVM oppidum ab Athesis ripas & BOLZANVM celebre emporium, nec non & HALA factitio sale nobilis ad *Oenum* amnem.

Tirolus.

Argentifodinæ.

Oenipons.

Tridentum

Maranum.

Bolzanum.

Halæ.

STIRIA.

STIRIA parua terra quondam *Valeria* dicta & uulgò *Stirnarck*. Habet ad Boream Austriam: ad Occasum Carinthiã: ad Meridiem Croatiam, & Sclauoniam: & ad Ortum Hungariam. Factus autem est Ducatus per Federicum Barbarossam, & in eo sunt plures Comitatus, inter quos VVARASDIN ad *Drauum* fluuium, & LEBNAV ad *Muram* fluuium. Regio montana omnis præterquàm ad Ortum, ubi planities non paruas habet. Ferrifodinis, & argenti fodinis gaudet nõ ignobilibus, sed Principum incuria parcius foditur. *Drauus*, & *Mura* amnes eam abluunt. Incolæ rusticani sunt, & strumosi adeò, ut loquella impediantur. Germanicè olquuntur trans *Drauum*, sed cis *Drauum* Slauonicè. In ea urbes insignes CÆLIA,

Stiriæ fines.

Incolæ strumosi sunt.

CÆLIA, quam *Ciliam* uocant Romanis uetuſtatibus nobilis, *Pruch*, & *Grecziũ* cum immitiſſima arce Auſtriam ſpectante, & etiam oppidum *Sopianum*, ubi Maximianus natus eſt. Regio hęc Hungariæ uectigalis eſt cuius Ducatus titulo Rodulphus Imperator, nunc Hungariæ etiam Rex, exornatur.

CARINTHIA.

Carinthia.

CARINTHIA, uulgò *Karnten*, montana Regio & Ducatus ab Occaſu & Meridie Foro Iulij, & Carniolæ applicatur: ad Ortum, & ad Septentrionem Stiriæ iungitur. Ipſaque partim Norici, partim Liburnici iuris eſt. Multæ in hac regione ualles, colles q; tritici feraces, multi lacus: eam plures interfluunt amnes, ſed eorum præcipuus eſt *Drauus* in Danubium deſcendens. Inſignia oppida ſunt VOLCKMARCH, VILLACVM, quod *Vacorium* priſci uocauerũt ambo ad *Drauum* appoſita: MARCHBVRG, CLAGENSFVRTVM, olim *Claudia* urbs benè munita. Sed SANTOVITVS, uulgò *S. Veit* Metropolis eſt, nobilis quidem urbs, ac ſpatioſo foro ornata, atque perenni fonte limpidiſſimo.

CARNIOLA.

Carniola duplex.

CARNIOLAM duplicem faciunt: alteram, quam quia aquis caret, SICCAM cognominant & uulgò *Vnſer Krain*, quæ tota Italici iuris eſt, easque habet urbes, quas *Carni* quondam tenuere. In ea plura oppida Auſtriæ Principes poſſident, quæ lingua utuntur Germanica, cuius celebre oppidum eſt GORITIA ad *Sontij* amnis ripam ſitum. Alteram CARNIOLAM IRRIGVAM uocant, & uulgò *Ober Krain*, in uallibus quidem ſita inter Noricos & Iapidicos montes. In hac autem præter cæteros ortum ducit Illuſtris amnis *Sauus*. Celebre oppidum in ea eſt LVBIANA Italicè dictum, & Latinè *Labacum*, Germanicè autem *Laubach*, quod fluuio id nominis appoſitum eſt, quem olim *Nauportum* appellabant. Vtriuſque Carniolæ accolæ ſunt Sclauonici.

Goritia.

Lubiana.

REGIO-

REGIONES INFERIORIS, SEV BASSÆ GERMANIÆ SVNT HÆ, quæ ſequuntur.

VVESTPHALIA.

Vueſtphaliæ fines.

VESTPHALIA, uulgò *Vueſtfalen*, nonnullis uera, & antiqua Saxonia dicitur, quæ quidem Occidentalis eſt in Saxonia. Cuius termini ſunt ab Ortu Viſurgis amnis, quẽ *Viſeram* dicunt: à Septentrione Friſia, & Traiectenſis terra: ab Occaſu Rhenus: & à Meridie Haſſiæ montes, quos Ptol. *Obnobios* uocat. Regio magis compaſcua eſt, quàm ad frumentariam rem apta, & alicubi nemoroſa, uini frigida; fructus tamen uarios profert, ut ſunt poma, nuces, iuglandes, quibus ueſcuntur ſues, quos numeroſiſſimè hęc Regio nutrit, quorum pernas fumo exſiccatas ad exteras nationes mittit: haſce etiam crudas incolæ interdum comedunt. Metallis inſuper diues eſt in ditione *Colonienſi*, & Comitatu *Marchico*. Et lapidum molarium lapicidinas habet. Gens ipſa uenuſta eſt, elegantis, & proceræ ſtaturę, corpore fortis ac robuſta, menteq; audax, ingenioſa, atq; ad arma prompta: pane ueſcitur nigro, & ceruiſia potus eſt. Sunt tamen opulenti, qui uino ex Rheno aduecto utuntur, licet magno ematur præcio. Fluuij præcipui, qui regionem irrigant ſunt *Amaſis*, & *Lupias* præter alios minus nobiles. Ciuitates autem primariæ ſunt MONASTERIVM, DVSSELDORPIVM, VVESALA, OLDENBVRG, OSNABVRGVM, MINDA, & HERVORDIA. Sunt hic quatuor Epiſcopatus Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, Padelburgenſis, & Mindenſis, atque bona pars ipſius regionis Colonienſi Archiepiſcopo ſubeſt. Cæterum COLONIA urbs AGGRIPINA cognominatur ob ortum Aggripinæ Neronis matris. Vrbs hæc ad Rhenum ſita duplicibus percingitur foſſis, & mẽniis cum 84. Turribus, complectiturq; 19. paræcias.

Regionis qualitas.

Lapidũ molarium lapicidinæ.

Fluuii Vueſtphaliæ.

Epiſcopi Vueſtph.

CLIVIA.

Cliuia.

CLIVIÆ Ducatus uulgò *Cleue* citra, & ultra Rhenum inter Coloniam, & inferius Traiectum, ubi locus in tumulũ parũper aſſurgens, qui regioni nomẽ tribuit. In hoc Ducatu decẽ ſunt Præfecturę, & dominium *Rauenſtein* annexum eſt curię Cliuicę. Regio ipſa bono & ſalubri aere gaudet, & agro utcunque fertili frumenti, paſcuis lęto, & fluminibus irriguo, quorum prȩcipui ſunt *Rhenus*, *Ruera*, *Nerſa*, *Lupia*, *Angra*, & *Duſello*. Vinum attamen hic non prouenit: tophi lapides hic ingenti copia colliguntur, ex quibus cementum conficitur, unde ingenti lucro eos Brabantis uendunt. Inſignia oppida ſunt *Vueſel*, *Rees* ad Rhenum ſita, *Ringelborch*, *Keruendorck*, *Duisburgum* & alia.

Regionis qualitas.

Tophi.

IVLIA-

IVLIACVM.

Iuliacti unde dicatur.

IVLIACVM uulgò *Iuliers*, ſeu *Gulick* Ducatus à IVLIO oppido prius *Vatucca* dicto dicitur, cui oppido Iulius Cęſar nomen dedit, in quo plura uetuſtatis ſigna inter Rhenum & Moſam uiſuntur. Regionem hanc uolunt nonnulli *Menapios* incoluiſſe. Nunc autem in ea ſunt 24. Præfecturæ, & eius Dux eſt etiam Cliuiæ Dux. Solum omne frumenti genus profert copiosè, quod quidem põderoſum ualdè eſt, ac herbam, qua tinctores utuntur accolis magnum quæſtum reddens. Sunt hic permulta domeſtica animalia, & in primis optimi equi.

Menapii.

HASSIA.

Haſsiæ fines.

HASSIA montana Regio, uulgò *Heſſen*, titulo Lantgrauiatus nunc ornata fines habet hoſce. Ab Ortu Turingiam: à Meridie Franconiam: ab Occidente Vueſtphaliam: à Septentrione Ducem Brunſuicenſem, Epiſcopum Mindenſem, ac alios dominos. Terra ipſa rerum ad humanũ uſum neceſſariarum eſt affluens, tametſi uinum non ferat, niſi prope Rhenum & lanam mittit copiosè ſatis. Præcipuæ urbes in ea ſunt MARPVRGVM Academia publica inſignis: olim *Amiſia*, & *Amaſia* Ptolomæi dicta: & CASSELA, quæ Principis eſt ſedes: poſt has præſtantes ſatis ſunt *Busbac*, & *Aſfelda*. Subſunt huic Lantgrauio nonnulli Comitatus, cuius titulo decoratur, inter quos præcipuus eſt Vualdeciæ, uulgò *Vualdeck* agro ualdè fęcundo præſertim tritici, & uini, ac uarijs fluuiis irriguo, & fodinis metallicis locupleriſſimo, ex quibus magna uis auri, argenti, ęris, argenti uiui, ferri, plumbi, ſalis, & aluminis quotidie eruitur.

Marpurgũ.

Caſſela.

Vualdeciæ Com.

TVRINGIA.

Turingiæ fines.

TVRINGIA, uulgò *Duringen*, habet ad Ortum *Salam* fluuium, à Septentrione Hercinam ſyluam: ab Occaſu *Vueram* amnem: à Meridie autem Turingenſem ſaltum, quem *Duringer uualdt*, uulgò dicunt. Hęc autem Regio hodie Lantgrauiatus titulo decoratur, quę licet non admodum ampla ſit (quippe quia tàm in longum, quàm in latum duodecim tantum Germanicis milliaribus extenditur) nihilominus 12. cõplectitur Comitatus cum totidem Abbatijs, 144. ciuitates, & totidem oppida ultra 2000. pagos, & 250. arces. Terra verò ipſa frumenti feraciſſima eſt, & Iſatidis herbę abundantiſſima lanarum infectoribus inſeruiens, quã accolæ magno emolumento ad alias regiones transferunt, eamque uulgò *Vuedt* uocant. Huius Metropolis eſt ERPHORDIA, uulgò *Erfurdt*, ad Geram amnem limpidiſſimum, ſeu potius uiuidum torrẽtem ſita, à quo maximo commodo irriga-

Vrbes & oppida Turingiæ.

Erdfordia.

rigatur: urbs quidem inter maximas uniuerſæ Germaniæ urbes connumerata. Digna etiam oppida ſunt VVEIMAR ad *Ilm* fluuiolum, quæ nobilis eſt ob Ducum Saxonię ſedem. ISENACH ad Neſſam fluuium Academia publica gaudens.

Vueimar.

Iſenach.

SAXONIA.

SAXONIA antiqua, uulgò *Saxen*, ualidis & bellicoſiſſimis gentibus inſignis longè olim, latèque patebat, pluresque prouincias cõplectebatur, nempe *Vueſtfaliam*, *Marchiam ueterem*, *Miſniam*, *Luſatiam*, *Masfeldiam*, & alias. Etenim inter Albim, & Rhenum fluuios, mare Germanicum, & Eydoram amnem uſque ad Haſſiam, & Thuringiæ confinia continebatur; cuius quidem umbilicus, & centrum Brunſuuicum ferè erat. Nunc uerò Saxoniam ipſam duplicem faciunt Superiorem ſcilicet, & Inferiorem. Superioris Saxoniæ Metropolis urbs eſt VVITEMBERGA, uulgò *Vuitteberg*, ad Albim fluuium ſita, uulgò *Elb* dictum, pulcherrima ſanè, tuttiſſima, & vniuerſali Academia ornata. Nonnulli etiam in ſuperiore hac Saxonia Torgam locant, ſed hanc in Miſnia ſecundum plurium opinionem ponimus. INFERIORIS uerò SAXONIÆ Metropolis eſt HALLA ad ſalam fluuium, non longè à qua eſt *Mansfeldt* oppidum, quod Comitatus nobilis caput eſt, in quo magna trahitur metallorum copia. Sub Inferiore Saxonia iuxta nonnullos eſt Ducatus *Lauuuemburg*, *Mekelemborch*, & *Lunemburg*: deinde ſub eadem etiam continentur *Holſatia*, *Stomaria*, & *Dithmarſia*, de qua in regionum Septentrionalium deſcriptione dicemus. *Vueſera*, *Albis*, *Sueuus*, & *Odera* inſignes ac magni amnes apud antiquos Saxones, ſunt, qui præter opimam piſcationem plurimis inhabitantium quoque ſeruiunt commoditatibus. Supra Saxoniam ad Boream MAGDEBVRGVM urbs ſupra Albim fluuium ponitur munitiſſima ſitu, vallibus, & mœnijs, cuius Archiepiſcopus Primas totius Germaniæ uocatur. Cui tamen Archiepiſcopi electores, qui ſunt Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis, & Saltemburgenſis Archiepiſcopus minimè cedunt.

Saxonia olim latè patebat.

Duplex Saxonia.

Vuitẽberga

Halla vrbs.

Mansfeldt.

Inferior Saxonia.

Magdeburgum.

MARCHIA BRANDEBVRGICA.

MARCHIA hæc BRANDEBVRGICA fuit olim à Vuandalis populis inhabitata, iacetq; ab Ortu Saxoniæ Nouæ, atq; in duas partes diuiditur, in VETEREM ſcilicet MARCHIAM, quam Sueuus fluuius (nunc *Spree* vocatus) abluit: & in NOVAM, quam Vuarta, & Odera amnes perlabũtur. Metropolis Veteris Marchię eſt BRANDEBVRGVM ad *Hauel* fluuium, quod regionis nomen dat, ſatis celebre oppidum. Sed primaria urbs Marchiæ Nouæ eſt FRANCOFVRTVM ad Oderam cognominatum ad differentiam alterius vrbis huius

Marchiæ diuiſio.

Brandeburgum.

Francofurtum.

huius nominis, quę ad Męnum fluuium iacet. Vrbs autem hęc Gymnasio publico gaudet, ac emporio celebri, in quo bis in anno nundinę frequentissimæ, ac opulentissimæ celebrãtur. Est hic etiã BERLINVM Principis, seu Marchionis sedes, qui ex electoribus Imperij Principibus unus est, atq; inter opulentissimos & potentissimos Germaniæ Principes connumerandus est, quippe quia præter utramque Marchiam, habet etiam nonnulla oppida & comitatus in regionibus Lusatiæ, & Silesiæ: unde territorium eius protenditur 60. mill. Germanicis secundum longitudinem, in quo 55. urbes, & 64. oppida numerantur.

Berlinum.

MASFELDIA.

Mansfeldiæ fines.

MASFELDIA Comitatus ueteris Saxoniæ est portio, quæ habet ab Ortu amnem *Salam* cum Archiepiscopatu Magdeburgensi, & Diœcesi Merseburgensi: à Meridie Turingia: ab Occidente Comitatum *Suuartzeburgensem*, *Stolbergensem*, & alios uicinos Principes. Comitatus is antiquus quidem est, namque Hegenus quondam eius Comes circa Annum Christi DXLII. tempore scilicet Arturij Britannorum Regis celeberrimi floruit. Sub hoc Comitatu subsunt quatuor alij Comitatus, qui proprios olim agnoscebant dominos, nempè *Arnstet*, *Vutpra*, *Vuethin*, & *Quernfurt*, præter Palatinum Saxonicum, & alios principatus. Terra ipsa metallis multum diues est, & saxis fissilibus, qui igne adusti cuprum cum aliqua argenti copia reddunt. Est hic lacus salsus, in quem retia piscatorum altius immissa prorsus aduruntur, perinde ac si igne exarsa fuissent. Primariæ urbes sunt MANSFELDIA, vulgò *Mansfeldt*, non longè à qua est *Leimbach*, deinde *Eysleben*, & *Vuypra*.

Com. sub Mansfeldia

Qualitas.

Lacus salsus.

Mansfeldia vrbs.

LVSATIA.

Lusatia duplex.

LVSATIAM, quæ inter Albim, Oderam, & Boemiæ montes interiacet, duplicem faciunt, superiorem scilicet, & Inferiorem, atque utraque ad Saxoniam spectat. *Nissa* fluuius eam rigat, & præcipua urbs est GORLITZIA. postquam est *Zittaun* ad Nissam fluuium. Est autem Regio hæc frumenti, & segetum feracissima, & incolæ bellicosi sunt, tametsi agriculturæ, & œconomiæ operam quoque impendant, nec differunt à Silesijs populis vicinis, quinimò nec solum ipsum differt à Silesiæ agro.

Gorlitzia.

SI-

SILESIA.

SILESIÆ non ignobilis Regio, quam olim *Visburgij*, & *Quadi* incoluere, vulgò *Die Schlesi* dicitur, & à Meridie Morauiam, & Hercynam syluam habet: ab Occidente Luzatiæ & Bohemiæ partem: à Septentrione, & Ortu Poloniam. Huius longitudo 200. millium passuum, & latitudo 80. millium. Regio frumenti ferax, ac omni ex parte excolitur: piscinis abundat. ODERA amnis eam ad Ortum & Septentrionem abluit, in quo ab omni ferè regionis parte permulti amnes & riuuli confluunt, ut *Olsa*, *Hola*, *Bobrus*, & *Barusius*. Incolæ; quàmuis agrorum culturæ studeant, & æconomiæ; ad arma tamen prompti sunt, atque olim bellatores, & potentes erant. Multæ hic sunt optimarum disciplinarum Scholæ, & Metropolis urbs est VRATISLAVIA, uulgò *Breslauu*, Episcopalis sedes, & publico Gymnasio ornata, quæ & si anno MCCCXLI. tota conflagrasset, & in cinerẽ uersa fuerit, ex lapide tamen postea ædificata adeò magnificè fuit, ut perpaucis nunc Germaniæ urbibus cedat, siue elegantiam ædificiorum, siue plateарum amplitudinem spectes. NISSA, seu *Neisse* inclyta etiam urbs est, ac Episcopalis sedes. Sunt in regione hac Ducatus quindecim, quorum sex in tres ueteres familias distributi sunt, reliqui uerò extinctis ueris dominis sub Boemiæ Rege ceciderunt.

Silesiæ fines.

Mensura.

Qualitas regionis.

Incolarum mores.

Vratislauia

Nissa.

MISNIA.

MISNIA, uulgò *Meissen*, ab Ortu habet Lusatiam: à Meridie Boemiam: à Septentrione Marchiam, & Saxoniam: ab Occasu uerò Turingiam. Regio frugifera admodum est frumenti, uini, mellis, pecorisque, ut toti ferè circumiacenti regioni ad abundantiam sufficiat: aurifodinis insuper locuples est. Multæ in ea sunt ditissimæ ciuitates, & munitissima castella: Cuius primaria urbs est MISNA, quæ arcem habet munitissimam, & regioni nomen dedit. DRESDEN urbs Principis est sedes, & armamentario machinis bellicis refertissimo celebris, ambæ quidem *Albi* fluuio appositæ. LIPSIA emporio opulentissimo, & Gymnasio etiam nobilis est. TORGA quoque famosa est ob confectionem optimæ ceruisiæ, sed utramque nonnulli sub Saxonia ponunt: namque plurimi ex scriptoribus Saxoniam cum Misnia confundunt.

Misniæ fines.

Qualitas.

Misna.

Dresden.

Lipsia.

Torga.

M LEO-

LEODIENSIS DIOECESIS.

Leodiensis Episcopi fines.

LEODIENSIS Episcopatus, uulgò *De Liege*, hos habet fines: à Septentrione, & Occasu Brabantiam: ab Ortu Mosam cum Lemburgi Ducatu: à Meridie autem Namurci Comitatū. Coluerunt olim hanc partem populi quidam Cæsari, ueteribusque noti, vt pote *Eburones*, *Tungri*, *Centrones*, & *Ceresini*. Sunt autem in hoc Leodiensi Episcopatu Ducatus *Bouillonensis*, Marchionatus *Francimontensis*, Comitatus *Borchlonensis*, seu *Lootensis*, & Comitatus *Hasbaniæ*, cuius præcipua urbs est *Borckuorm*, præter plures Baronatus, & Abbatias opulētissimas ultra quinquaginta. Sunt autem ciuitates, oppidaque murris, uallisque percincta, uiginti quatuor, præter ea, quæ Traiectensis sunt diœcesis, quarum primaria est LEODIVM amænissima in ualle extructa, quam abluit Mosa fluuius. Regio ipsa pulchra admodum, fertilissimaque est, plurimis gaudens limpidissimis amnibus, iisque piscosissimis, ac præterea syluis opacis, montibusque, ac conuallibus, quæ uineta, fructusque proferunt, ac ferarum uenationem ornatissima sunt. Istic etiam sunt minerarum fodinæ præcipuè ferri, & carbonum, quos *Lilhantraces* uocant: salnitri maxima copia hic habetur, & aquæ medicæ præstantes, inter quas est fons Tungrensis Plinio, & aliis celebris.

Populi antiqui huius tractus.

Dominia sub hoc statu contenta.

Leodium urbs.

TREVIRENSIS DITIO.

Treuirensis ditionis fines.

TREVIRENSIS Archiepiscopatus, uulgò *De Trier*, terminatur à Septentrione Comitatu Nassauiensi, Ducatu Montensi, & Episcopatu Colonienſi: ab Ortu Ringonia, & Hassia; à Meridie Vuestrichia, & Bipontino Ducatu: ab Occidente autem Ducatu Lutzemburgensi. Sunt autem in hac Treuirensi Diœcesi quatuor Comitatus, cum nonnullis Baronijs, & alijs dominiis. Terra ipsa inæqualis est: nam alicubi montibus sterilibus aspera est, obidque syluestris & squalida, nec præter auenam uix quicquàm proferens: alicubi montibus uirentibus, iisque fertilibus præsertim uini exornatur: alicubi uerò fęcundior est uersus Rhenum, & Mosellam. Maiori autem ex parte fluuijs, torrentibus, ac riuulis irrigatur, qui omnes Mosellæ commixti ad Rhenum deferuntur: unde omnis generis pisces hic abundant. Syluæ uerò huius tractus feris refertissimæ sunt, & lacus hic sunt duo miræ profanditatis, nempe *Vlmensis*, & *Laichensis*, in quorum posteriore lapides inueniuntur uiridis, crocei, & rubicundi coloris, qui smaragdos & hyacinthos æmulantur. Minerarum quoque æris purissimi, plumbi, argenti, & ferri totus hic penè tractus fęcundus est. Non desunt etiam istic Thermæ ægritudinibus uarijs salutares. Primaria autem urbs, omniumque caput est TREVERIS, quæ antiquitate sua cum Viterbio & Genua uibibus Italiæ omnium antiquioribus contendit. Est etiam CONFLVENTIA oppidum nobile, & antiquitate clarum.

Qualitas eius.

Duo lacus.

Treueris urbs.

Confluentia.

HOL-

HOLSATIA.

Holsatiæ fines.

HOLSATIA, uulgò *Holstein* Regio est nemorosa, ac saltubus occupata, quæ respicit ad Ortum *Bilenam* fluuium: ab Occasu Ditmarsiam: à Meridie *Albim*: à Septentrione *Eidoram* amnem, qui terminus est Iuttiæ, seu Daniæ ab hac parte. Sunt qui Holsatiam ampliorem reddunt complectentes simul sub ea DITHMARSIAM, VVAGRIAM, & STORMARIAM. Sunt autem in VVAGRIA urbes hæ *Aldenburgum*, *Lutkenburgum*, *Nieſtadium*, & aliæ. In STOMARIA uerò *Hamburgum*, *Reinoldesborg*, *Niemunſter*, & alię. DE DITHMARSIA autem in Tabula regionum Septentrionalium loquemur. Pertinet uerò Holsatia ad Daniæ Regem, ratione cuius Imperium agnoscit, atque sub Saxoniæ antiquæ regione olim continebatur.

Regiones sub Holsatia.

Universidad de Deusto
Biblioteca



VIII
HELVETIAE
DESCRIPTIO.

HELVETIAM prouinciã ad Germaniam spectare in expositione Tabulæ Germaniæ patet; si quidem Heluetij in Germaniæ nomen, & linguam labente tempore transiere: tametsi nonnulli asserant, gentem hanc penitus interijsse, eosq; istic hodie habitantes à Germanis ortos esse. Heluetiæ Germaniæ nunc pars.

Regio ipsa tota fermè in Alpibus sita est, unde eam altissimam esse omnium Europę prouinciarum à multis creditum est, eoque magis quòd ingentes Europæ fluuij Rhenus, Rodanus, & Padus hinc tamquàm è sublimi loco scaturientes in diuersas mundi partes decurrunt. Clauditur uerò illa inter Rhenum; Iura montes, quos *S. Claudij* dicunt: Lemanum lacum, quem etiam *Geneuensem* uocant: & Italiam: habetque ab Ortu Solis Tiroli Comitatum conterminum: à Meridie Cottias Alpes, ac Lombardiam, seu mauis Mediolanensem Ducatum, & Pedemontanam regionem: ab Occasu Sabaudiæ iungitur, & Burgundiæ: à Septentrione autem Rheno amne à Superiore Germania discernitur. Situs eius.

Fines Heluetiæ.

Hæc autem *Suizzerorum*, seu Confœderatorum regio dicitur, & Respublica, quia nullo principi subiecta est, ut inferius patebit. Quæ quidem & si præruptis, & excelsis montibus perpetua niue albicantibus exasperata videatur; attamen satis fertilis est, namq; sunt inter miteſcentia saxa conualles frugiferæ, pinguissimaque prata, in quibus potissimum pecorum, & bouum greges peroptimè pascuntur, ex quibus Incolæ magnum percipiunt emolumentum; siquidem tantam conficiunt casei, butyri, aliorumque lactarium copiam, ut præter proprium regionis vsum, bona etiam earum pars ad finitimas quoque nationes transmittatur. Triticum & vinum, quæ hic proueniunt, vniuersæ Regioni non sufficiunt, sed aliundè illam recipiunt quantitatem, qua ipsis opus est. Animalibus feris regio ipsa diues satis est, ut sunt ursi, cerui, daini, caprioli, apri, & alia. Suizzerorũ regio.

Tritici & vini inops regio.

Regionem porrò ipsam permulti fluuij, & riuuli ablunt, qui maiori ex parte hinc scaturiunt, ut sunt *Rhenus, Rhodanus, Adua, Ticinus, Aar, Limagus*, & alij permulti, qui maiori ex parte piscosissimi sunt, adque nauigan- Fluuij Heluetiæ.

dum idonei. Nam præter reliquos ex hoc agro per fluuium *Byrſam* adducuntur procerrimæ abietes, & in Oceanum ipſum pro malis maximarũ nauium deſtinantur. Thermæ quoque hic ſunt memorabiles calidarum aquarum, ut in *Badenſi* marchionatu, quę quidem ſaluberrimæ multumque frequentes ſunt, eæ namq; aluminis & ſulphuris naturam ſapiunt; unde ægritudinibus frigidis, humidiſue tùm cerebri, tùm ſtomaci mirificè proſunt. Lacus etiam hic ſunt ſpectatæ magnitudinis, nauigabiles, ac ualdè piſcoſi; ut eſt ACRONIVS Lacus, qui *Brigantinus* Plinio eſt, & vulgò *Der Boden ſee* in confinio Sueuiæ; deinde Tigurinus Lacus, quem *Zuricher ſee* vocant; Riuarius lacus, vulgò *Vualen ſee*; Lucerinus lacus, vulgò *Lucerner ſee*: Neoburgenſis lacus, vulgò *Nuuuenburger*, & alij multi. Duæ florent hic publicæ Academiæ, Tiguri, ſcilicet, & Baſileæ.

Thermæ.

Lacus.

Gymnaſia publica.

Cęterum in regione hac quędam ſunt Valles Italię proximæ, quæ à particularibus hominũ generibus habitantur, ut ſunt Vallis *Auguſtana*, ubi ſunt omnes fere inſtitores: Vallis *Ceſia*, quam vt plurimum latomi, uel cementarij inhabitant: Vallis *Oſcelæ*, ex qua prodeunt cuſpidum, ſeu cultrorum fabri, & qui tornatili artificio ſcutellas ex ligno conficiunt: Vallis *Vegetia*, ex qua tot fumarij exeunt, hoc eſt ſordidi illi homines, qui per plures Europę Regiones diſperſi caminis repurgandis uitam parant; & tandem *Galancha* Vallis, unde reſinarij, & ſportularum textores exeunt, qui mendicantium more ubique oberrant.

Valles Helueticæ.

Conſtat uerò Heluetiorũ Reſpublica, ut ſcribit Ioſias Simlerus, ex tribus partibus. In quarum prima ſunt 13. Pagi, ſeu *Cantones*, qui *Ort* Germanis dicuntur, apud quos eſt adminiſtratio, & curia totius Prouinciæ; Nam cum opus eſt, ſimul pro uniuerſa Republica conueniunt: alioquin ſinguli ſuas gubernant ciuitates, & oppida. Secunda Reip. pars ſunt Conſęderati, & hi ſunt *Abbas*, & *oppidum S. Galli* linificio nobile, *Rhetorum populus*, *Sedunum* cum *Valeſia* tota, *Rotuuell*, *Mulhuſen*, *Bienna*, & *Geneua*. Tertia autem pars ſunt Præfecturæ armis, aut ſpontanea deditione conquiſitæ, & hæ ſunt *Turgea*, *Aquenſis*, *Rheguſti*, *Sarunetum* liberę Prouinciæ, *Luganum*, *Locarne*, *Mendreſium*, *Vallis Madia*, & *Bilitionum*, vulgò *Bellizona*. Sunt autem 13. Pagi, quibus prima Reip. pars conſtat, hi ſequentes.

13. Cantones.

Confederati cum Heluetiis.

Præfecturæ Heluetiæ.

TIGVRINVS pagus habet extra urbem Tiguri (quæ olim *Turegum*, & nũc uulgò *Zurich* dicitur) præfecturas maiores 9. & minores 22. atq; ipſi oppida *Vitodurum*, & *Steina* parent, quæ tamen oppida proprios habent magiſtratus: ſed Tigurinorum tenentur, & in bello illis militant, tametſi proprijs utantur ſignis. Vrbs autem TIGVRVM ad exitum lacus *Tigurini* poſita eſt: quę tamen ciuium humanitate, & prudentia: præterea ditionis amplitudine, & rerum omnium commoditate, & collegio Eruditorum celeberrimo inſignis eſt. Ager circumuicinus urbi frumento fertilis eſt, ac etiam uino, quod tamen ad perfectam maturitatem non peruenit ob uicinas alpes.

Tigurinus Pagus.

BERNÆ pagus habet 31. Germanicas præfecturas, & octo Gallicas, quæ

quæ ſanè ciuitas ſitu & cultu, moribus & ciuilitate, legibus & inſtitutis, potentia ac uirtute nulli urbi in hoc Heluetiorum tractu cedit Vrbem ipſam undique à fluuio *Aar* percingitur in modum Inſulæ. Territorium ipſum fertiliſſimum eſt omnium, præterquàm uini, quod à uicinis habent.

LVCERNA, uulgò *Lucern*, duas habet pfecturas, in quibus præfecti ibidẽ loci inhabitant, & alias 10. quas Senatores in urbe manentes adminiſtrant. Ciuitas ipſa dignitate & opibus par eſt multis, quam abluit *Vſula* amnis à lacu emanans, ex quo plùs commodi incolæ trahunt, quàm à territorio ipſo, quàmuis ſit compaſcuus, & pratis refertiſſimus.

Lucerna.

VRIORVM pagus ſeu uallis, uulgò *Vren*, in decem partes, ſeu communitates diuiditur, quas Participationes etiam dicunt, quòd ſoli ex his electi Senatores omnium numerum participes ſint, & ad annuos conuentus uocentur.

Vriorum pagus.

SVITIORVM Regio ſeu uallis, uulgò *Suuitz*, diuiſa eſt in partes ſex, quas quartas uocant, ueterem diuiſionis nomen in recentiori, & ſenaria retinentes.

Suitiorum pagus.

SILVANIÆ, ſeu VNDERCVALDIÆ uallis ſeu pagus, uulgò *Vnder Vualden*, in duos conuentus diſtributus eſt, in Superiorem ſcilicet, & Inferiorem mediante ſylua *Kernuuald*.

Siluaniæ pagus.

TVGIVM pagus, uulgò *Zug*, duas habet partes, & in illis conuentus quatuor, ex quolibet autem conuentu 9. eliguntur Senatores, qui regioni conſulant: oppidum ipſum pro duobus conuentis computatur, ager uicinus tres conuentus continet.

Tugium pagus.

GLARONA Regio, ſeu Vallis in 15. partes diſtributa eſt, quas uocãt *Taguuan*. Paucos habet campos ad ſeminandum idoneos, & raræ ſunt ibi uites: prata tamen compaſcua habet, & hortos frũctibus conſitos. Incolæ ueſcuntur lacte, caſeo, butyro, & carnibus: uinum uero, & triticum aliundè recipiunt.

Glaronæ pagus.

BASILEA olim Imperialis fuit urbs, iacetque optimo in ſitu, partim in conualle; partim in planitie, atque ipſam Rhenus fluuius bifariam diuidit, Gymnaſio publico, Epiſcopali ſede, ac cõcilio clara eſt, ac ſex habet prę fecturas, & propè ipſam uno circiter Germanico milliario fuit metropolis quondam huius populi AVGVSTA RAVRICORVM dicta, quę etiamnum *Auguſt* dicitur, licet pagus ſit ignobilis. Territorium ipſum eſt rupibus aſperum, & crebris ſyluis occupatũ, habitatoribus tament frequentiſſimum, & cultum; adeò ut quoque in montibus præter læta pecorum paſcua, quibus abundat, optimi uini, & frumenti feraciſſimũ ſit.

Baſilea.

Auguſta Rauricorũ.

FRIBVRGVM recens eſt oppidum partim in colle, partim in ualle ſitum, floridum tamen, & patens, ac eximiè munitum: huius prę fecturæ quæ etiam *Bernatibus* ſunt communes, quatuor ſunt, quibus *Bernates*, & *Friburgenſes* alternatim per quinquennium præfectos conſtituunt, ſic ut præfecto ex una urbe conſtituto prouocationes ad alterum fiant, & ab eadem rationes præfecti examinentur.

Friburgum

SALODORVM pagus poſitus eſt in planitie ſatis culta, quæ omnia

Salodorum pagus.

nia profert feliciter, uino tamen excepto: unde incolæ aliundè uinum habent.

Scafusiæ pagus.

SCAFVSIA Regio uulgò *Scaffhusen* uersus Germaniam prope Rhenum & Hercinam syluam posita est, agerem satis fertilem habēs, ac uitibus consitum, quæ optimum dant uinum, adeò ut non amplius solitudo uideatur, sed paradisus amænus. Vrbs autem SCAFVSIA ad ortum Basileæ iacet supra Rhenum, cui tribus pontibus annectitur, pulcherrimis autē fontibus ornata est. Huic uicinium est *Baden* oppidum thermis & medicinalibus aquis celebre.

Abbatiscella.

ABBATISCELLA ultimus pagus in duodecim ordines diuiditur, & ex uno quoque ordine 12. eliguntur Senatores, ut in uniuersum ex hac sola sint 144. Hoc territorium alpes habet amœnas, & compascuas, sed pecora sunt parua, lacte tamen copiosa: unde incolæ uictum sibi ex lacte parant, & ex pecoribus.

VALESIA.

Valesia Regio.

IN hac etiam tabula complectitur VALESIA Regio, uulgò *Vualisser*, quæ ipsi Heluetiæ cōfœderata est, cuius incolæ *Seduni* olim uocati fuere, robusti sanè & bellicosi. Diuiditur autē in Superiorē & Inferiorem. SVPERIOR VALESIA est pròpriè *Sedunensis* tractus, qui septem diœceses comprehendit, seu Conuentus, quos *Decumas* uocant, & populi hi dicuntur *Viberi* & *Seduni*, & uno communi nomine *Liberi Valesij Superiores* appellantur, qui quidem lingua Theutonica utuntur. INFERIOR VALESIA lingua Allobrogum utitur, sexq; communitates habet, quas *Vexilla* uocant, & obedit superiori Valesiæ. Dicuntur populi huius inferioris Valesiæ *Veragri*, & *Valesiani Inferiores*. Episcopus Sedunensis moderatur toti Valesiæ tàm in Ecclesiasticis, quàm in ciuilibus rebus, & Comes, Præfectusque Valesiæ nominatur. Metropolis enim regionis est SEDVNVM, Germanicè *Sotten*, & Gallicè *Siun*, quæ sola in hac regione murris percincta est. Huic Rhodanus copiosè pisces affert. Gentes hæ erga exteros humanæ sunt, & benefacientes, sed inter sese rigidæ nimis: strumosi etiam sunt tàm uiri quàm mulieres. Territorium uerò ipsum fertilissimum est tritici, siliginis, hordei, & optimi uini: præterea fructibus, croco, pecoribus, lacte, caseo, piscibus, & aliis ad uictum necessarijs satis affluit, atque hic pascua sunt peroptima: fera etiam animalia abundant in syluis, ut ursi, cerui, capreoli, apri, & id generis. Montes hic sunt herbis medicinalibus locuplectissimi, & terebintum, atq; agaricum hic colligitur. Præterea sunt etiam hic mineræ christalli, argenti, plumbi, æris, ferri, & lapidum quorundam, qui ad ignem comburuntur. Aquæ calidæ salubres hic quoque pluribus in locis scaturiunt, quæ diuersis conferunt ægritudinibus, atque nuper salis fons inuentus est.

Superior Valesia.

Inferior Valesia.

Sedunensis Episcopus.

Seduum urbs.

Regionis huius qualitas.

RHÆ-

RHÆTIA, SEV GRISONES POPVLI.

Rhæti hodie Grisones.

CONTINENTVR in eademmet tabula RHÆTI populi Cisalpini, & Transalpini, hodie *Grisones* uulgò uocati, quorum loca *Caninos campos* Ammianus Marcellinus uocat. at Germanicè dicuntur *Graupuntner*, quod nihil aliud sonat, quàm *Cani confœderati*. Hi autem à Meridie sunt Heluetiæ, ac inter Adduam, Ticinum, & Tiroli Comitatum cōclusi, ac nonnihil hos amnes egredientes. Qui sanè populi aspera, ardua, inaccessáque loca ut plurimū colunt, unde libertate sua facilè fruuntur nulli principi sese subijcientes, sed Reipublicæ more sese gubernantes, suntque Heluetijs confœderati, ut superius diximus. Horum itaq; Regio quàmuis alpestris maiori ex parte sit, plures nihilominus amœnas, ac frugiferas cōplectitur Valles, populoq; frequentissimas, inter quas Vallis *Telina*, & Vallis *Clauena* nuper ad Mediolanensem Ducatum pertinebant. In duas autem Curias olim partiebantur, nempe in Primam, & in Secundam, atque CVRIA antiquum oppidum aliquando magistratus prouinciæ sedes fuit, unde illi datum nomen uidetur, quod quidem inter Mediolanum & Brigantiam iacet, & *Chur* hodie dicitur. Prima curia Vallem *Clauenam*: secunda *Vulturenam*, seu Vallem *Tolinam* habebat, quę peramœna est, frequensq; oppidis, pagis, uicisq; & sexaginta milliaribus longa, & ubi latior quatuor protensa, quā quidē mediā interfluit Addua fluuius. Nunc uerò populare dominium habet trium fœderum, quorum unum *Caninum*, alterum *Ecclesiæ Curiensis*, Tertium *Decem iudiciorum* uocatur. Seu, ut alii scribunt, in tres Pagos, seu Conuentus, qui uulgò *Leghe* dicuntur, partiti sunt, qui sunt *Grisa*, *Domus Dei*, & *Leodritura*. GRISÆ Pagus (uulgò *Lega della Grisa*) præstantior est cæteris, qui Vallem *Mesolinam* & Vallem *Calancam* ad Italiæ fines complectitur, ac alias præterea septem Transalpinas ualles, quas Rhenus, Glener, & alii amnes abluunt. DOMVS DEI Pagus (uulgò *Lega della casa de Dio*) possidet *Coyram* cum circumuicinis agris, qui profecto omnes olim Episcopo *Coyræ* subiecti erant. LEODRITVRÆ Pagus (uulgò *Lega di Leodritura*) in Tiroli Comitatus confinio iacet, cuius ager sterilior, ac cæteris asperior est. Cæterum *Grisones* singulis duobus annis suas celebrant Diætas in oppido *Coyræ*, ubi officiales creant, ac leges promulgant. Sed cum hæc gens Alpina in multos minutos populos diuisa fuerit, nemo hodie singulorum situm exactè describit: de nonnullis tamen in Lombardiæ etiam Transpadanæ descriptione nonnihil dicemus.

Rhætorum fines.

Rhæti Heluetijs confœderati.

Rhætorum antiqua diuisio.

Recēs Rhætorum diuisio.

Grisæ pagus.

Domus Dei pagus.

Leodriturę pagus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



IX
SCANDIAE, SIVE REGIONVM, AC INSVLARVM SEPTENTRIONALIVM DESCRIPTIO.

EXHIBET hęc tabula omnẽ penè cogniti orbis TRACTVM SEPTENTRIONALEM, in quo quidem, præter Britannicas Insulas, de quibus supra egimus, continentur Groelandia, Islandia, Frislandia Insulæ cum reliquis circumiacentibus, deinde Daniæ, Noruegiæ, Sueciæ, & Gothię Regna amplissima, quæ quidem (Daniæ parte excepta, quæ *Iuttia*, seu *Cimbrica Chersonesus* dicitur) sub *Scandiæ*, vel *Scandinauiæ* nomine à plerisque scriptoribus comprehendi uidentur. De quibus omnibus ordinatim edisseremus, ea quidem referentes, quæ ab optimis & fide dignis scriptoribus de his parum cognitis regionibus colligere potuimus.

Quæ in Septentrionali tractu cõtinentur.

SCANDIA.

SCANDIAM non Insulam, ut putauit Ptolemęus cum plerisque alijs, sed penninsulam esse hodie, ac immensæ magnitudinis ferè cognitum est, quæ maris fluctibus circumfusa ad Septentrionem Germanicorũ, & ad Oriẽtem Sarmaticorum littorũ cõtrà iacet, ac Cimbrico Chersoneso aduersa est. Hãc quidã ex antiquis *Baltheã*, *Basiliam*, & *Vergion* appellant, Ortelio & Mario Nigro testibus. Eã uero Plinius *Alterum* uocat *Orbem* ob eius incompertam magnitudinem, atque Procopius sub nomine *Thule* decies maiorem esse tota Britannia, regnaque in se xiij. continere asserit. Neque enim mirum nobis uidebitur, si maioribus nostris adeò in obscuro ea tempestate iacuit, ut nihil præter nomen tantum nobis relinquerent: nam ad plagã illam perpetuo frigore, ac intemperie cęli squalentem, & tot maris anfractibus, scopulis, paludibus, fluuijs innumeris, & montibus infestam tardior, quàm ad reliquas Europæ prouincias transitus fuit. Forma eius uix assignari potest, quia multilatera est, anguloſa, ac pluribus locis mari intermixta.

Scandia peninsula est.

Habet à Septentrione mare, quod *Pigrum*, *concretum*, & *glaciale* nunc dicitur

Scandiæ fines.

citur (quòd aſperum ſit ob glaciei conglomerationes) & antiquis *Cronium*. Ab ortu Balthico ſeu Sueuico mari, *Finnico* ſinu, & *Polna* fluuio à Liuonia & reliquis Moſcouij dominij Prouincijs ſeiungitur : A meridie Cimbricam reſpicit Cherſoneſum, & reliquam Germaniam intercedente mari : ab occaſu uero immenſo Oceano abluitur. Continetur autem inter 22. parallelũ, qui per gr. 56. latitudinis tranſit, & parallelum 62. per gr. 73. latitudinis ductũ; Vnde ex parte incidit inter tropicũ Cancri,& circulum Arcticum,& ex parte excedit ipſum uerſus polum Boreum, in quo ſanè ſpatio maxima accidit longiſſimi diei ęſtatis differentia, ut potè quæ non in horis tantum animaduertatur, ſed etiam ad quàmplures dies, ac menſes : nam in parallelo Auſtrali contingit maxima dies horarum 17. cum quadrante: in parallelo per mediũ Regionis incedente dies maxima eſt horarum propè 20. cum ſemiſſe. Sed in paralello Borealiſſimo euenit continua lux in æſtate trium ferè integrorum menſium ſpatio,nimirum dierum 89. cum h. 8.

Situs Cœleſtis.

Qualitas Regionis.

Terra hæc iniquo cęlo eſt, frigore dira, nec minus montibus, ac præruptis ſaxis, nemoribus, atque ſyluis aſpera. Vnde vt plurimum frumenti,vini, & olei ingrata : neque arbores in ea poma, niſi pauca admodum, & ea quidem acerba, mittunt, Incolæ itaque ex maris potius, terręque captura, & rebus externis uictitant: abundant enim iſthic maria piſcibus longè à noſtris ſpecie, immanitateque corporis diſſimilibus, & terra ipſa feris innumeratæ magnitudinis, in quibus albi ſunt urſi, caſtores, & innumeræ aliæ. Incolæ autem ſunt duri, aſperi, inculti, & agreſtiores;hi namque ex cęli rigore ſunt truciores,& ex ſanguinis abundantia audaciores.

Continet penninſula hæc Scandiæ duo potiſſimum Regna, NORVEGIÆ ſcilicet, & SVECIÆ cum parte Regni Daniæ, quæ inter ſe altiſſimis montibus & amne ab ipſis profluente diuiſa ſunt; Pars enim, quæ ad Occaſum ſpectat,NORVEGIA eſt: quæ ad ortum SVECIA, in cuius *Meridionali* parte *Scania* Regio eſt, quæ ad Regnũ DANICVM ſpectat.

NORVEGIÆ REGNVM.

Norvegia cur ſic dicta

Fines eius.

NORVEGIA, quaſi *Nortuugia*, ideſt Septentrionalis tractus,aut uia interpretatur. Hæc à meridie Daniam reſpicit: ab occaſu iinmenſo abluitur Oceano : ad Auſtrum à *Suecia*: & ad Septentrionem à *Lapponia* excelſis, & aſperimis ſeparatur montibus perpetua niue obductis.

Qualitas Norvegiæ.

Hęc autem tractum habet ad Occaſum longiſſimum, & ſcopulis, acutisque petris auium : nec non etiam Meridionalem ſaxoſum, ea præcipuè in parte, quæ Cimbrorum Cherſoneſo obiacet,à quo 250. millia paſſuum diſtat. At tractus ille omnis tàm ad Occaſum quàm ad Meridiẽ cęlo mitis eſt: non enim mare ibi congelatur, neque diù niues perdurant: ſed terra ipſa non adeò fertilis eſt, quantum ſufficit:nam ualdè inops eſt,ac ſterilis uerſus Boream in finibus *Lapponię*, quæ ob rupes maximas, & ob frigus frumentum non fert. Quare Incolæ ob hoc pane carentes eius loco piſcibus

piſcibus ueſcuntur exſiccatis,ditioribus tamen exceptis,qui frumento ut plurimum ueſcuntur ex aliis regionibus allato, ſed animalibus & piſcibus præſertim aſellis ualdè diues eſt, quos à Germanis *Stockfiſch* uocatos in omnem Europam frigore induratos, & in fuſtes extenſos mittit, atque ex his magnũ recipiunt quæſtum incolæ, & ab exteris fruges,uinum, cæteras que potiones accipiunt,cum quibus piſces commutant. Ex qua etiam regione ad alias mittuntur pelles precioſæ, ſebum,butyrum, coria confecta, pinguedo balenarũ, pix liquida,trabes quernæ,tigilla,tigna & omnigena roborea ligna,magni & parui mali,ligna combuſtibilia, & aſſeres pro ædificiorũ ſtructuris, quæ quidem lignorum materia exiguo labore, paruisque expenſis hic paratur, ſed magis ad Auſtralem plagam.In Norvegiæ Regno rariſſimę ſunt habitationes & ut plurimum ædes rudi modo ædificatæ ſunt, parietes enim ex aſſamentis compactis,tecta uerò ex ceſpitibus agro exciſis fiunt. Incolæ probi ac ſimplices ſunt, exterorum amantes, ſummæ hoſpitalitatis,libenterque aliis impertientes : olim gratis,nunc uilli pretio ſeruiẽtes,inter eos prædones,fures, aut pyratæ non ſunt,tametſi ſitum opportuniſſimum ad inſidiandas & deprehendandas mercatorum naues obtineant. Metropolis ciuitas eſt NIDROSIA, quæ olim *Trondon*,ſiue *Druntheim* uocabatur, quæ etiam Archiepiſcopali ſede ornatur, ac Metropolis eſt omnium Eccleſiarum Norvegiæ, Islandiæ, & Gronlandiæ,habetq; has ciuitates Epiſcopales *Bergen*,*Staffanger*,*Asloiam*,& *Hammam*,inter quas *Bergis* celeberrimum olim emporiũ fuit ſocietatis Teutonicæ ob commodiſſimum portum ac tutiſſimum,unumque ex quatuor in Europa præcipuis,qui ſunt *Brugis* Flandriæ,*Londinum* Anglię,*Nugardia* Moſcouiæ, & quartus *Bergis* Norvegiæ, ſed hodie hic negotia quaſdam ob cauſas decreuerunt. FINMARCHIA prouincia ad Septentrionem expoſita eſt huius quoque Regni pars,& hodie totũ hoc Regnum,quod olim florentiſſimum,potentiſſimum,& bello uictorioſum fuit, in ſeruitutem Regis Daniæ nunc redactum eſt. Nonnulli affirmant, olim hùc multos montes perpetua conflagratione corruiſſe.

Aſelli piſces.

Incolarum mores.

Nidroſia olim Trondon.

Finmarchia.

SVECIÆ REGNVM.

Regiones Sueciæ.

SVECIÆ Regnum continet non tàm ipſam *Sueciam*, ſed etiam *Gothiam*,*Finlandiam*,utramque *Bothnicam*,*Lappiam*, & *Scricfiniam*: *Finlappia* quoque & *Corella* ex parte tributariæ Regis Sueciæ ſunt.

Sueciæ fines.

SVECIÆ Regio habet ab Occaſu Norvegiam: à Borea Lappiam, & Bothnicam : ab Ortu Finlandiam Bothnico ſinu diſcretam, & Liuoniam mari etiam ſeiunctam : atque ab Auſtro Gothiam. Terra hæc inter Aquilonares fertiliſſima eſt frugum,mellis, & argento,ære,plumbo,chalibe,& ferro diues; præcipuè autem circa *Salburgum* argentum purum nullo alio permixtum metallo effoditur, animalibus omnis generis, piſcibus fluuiorum,lacuum, & maritimis mirificè abundat: Eſt tamen multis in locis aſpera, montuoſa, humida, & paludoſa: unde multis in

Sueciæ qualitas.

locis

locis est inuia, & rarior ibi frugum, terræq; fructuum prouentus. Totum uerò littus uersus Liuoniam acutissimi scopuli occupant, quibus ea ora inaccessa fiunt, ad quos gelato mari lupi transeunt prædæ gratia, ibique nimio frigore priuari luminibus ferunt. Incolæ uiribus præstantes sunt, strenui, & bellicosi tàm pedestri, quàm equestri & maritimo certamine, qui etiam summa in exteros hospitalitate insignes sunt, & cum exteris nationibus pisces, pelles pretiosas, coria ferarum syluestrium & pecorum, butyrum, sebum, ac metalla commutant. Sunt in hac regione multi Ducatus & dominia, ut est Ducatus *Angermanniæ* à Septentrione in confinio *Lapponum*, cuius totus ager nemorosus est, in quo præter reliquas feras sunt uri & bisontes, hoc est asini syluestres. Deinde Ducatus *Midelphatiæ*, seu *Midelpadiæ*, *Ientiæ*, *Dalecarliæ*, *Vermelandiæ*, *Daliæ*, *Helsingiæ*, *Gestritiæ*, *Fieringiæ*, *Coperdaliæ*, id est, uallis Latonæ, & *Vplandiæ*, vbi omni ex parte sunt minerę argenti, cupri, & ferri. Regia ciuitas & emporium est HOLMIA ab incolis *Stockolm*, & à Ruthenis *Stecolna* uocata, quę arte & natura munita est, posita enim est in paludibus instar Venetiarum, & Archiepiscopalis olim ciuitas est VPSALIA, studioque uniuersali decorata. NICOPIA ciuitas maritima ualidissima est, arce munita, ac emporium satis frequens.

Sueciorum mores.

Ducatus Sueciæ.

Holmiæ vrbs.

Vpsalia.

Nicopia.

GOTHIA, quę Germanicè bona terra sonat, cum sit inter Aquilonares omnium fertilissima, habet à Septentrione Sueciam: ab Occasu montes Norueģiæ, & partem Regni Danię, quam Scaniam nonnulli dicunt: & à Meridie, atque ab Ortu Oceanum. Terra hęc frugum, mellis, pecorum feracissima est, pascua habet plura, quàm alię Septentrionales regiones, abundat prę cęteris ære citrino, & apud *Tragualla* oppidum sunt fossiones optimi ferri. Loca Gothię famosa sunt, LODVSIÆ Portus & Emporium, VVALDBVRG urbs cum arce, CALMARIA urbs magna, emporium, ac portus, quę etiam arcem habet Mediolanensi arci haud cedentem, & alia multa oppida & urbes, quorum aliquę Ducatus titulo decoratę sunt: Multas quoque nationes Prouincię huius incolę uirtute bellica excedunt, qui in *Ostrogothos*, ideſt Orientales, & *Vestroghotos*, ideſt Occidentales Gothos pro regionum, quas incolunt situ diuisi, indeque progressi toti orbi, ut scriptores permulti memorię prodiderunt, terrori fuere.

Gothiæ fines.

Gothiæ qualitas.

Loca Gothiæ famosa.

Gothorum diuisio.

FINLANDIA ab Ortu, Meridie, & Occasu mari abluitur, & à dominio Moscouiæ *Finnico* sinu & *Polna* fluuio ab Ortu separatur: à Septentrione autem *Boddiæ*, seu *Bothniæ* Occidentali, & *Corellæ* contermina est. hanc Rutheni *Chaizska Semla* uocãt, & Finlandia, quasi pulchra terra dicitur, quia pulchrior, & amęnior est quàm Suecia, excedit enim ipsam frumenti & frugum fertilitate ac bonitate, quia maiori ex parte plana est, neque adeò montuosa & paludosa ac illa celeberrimę ciuitates sunt ABO Episcopalis, quæ sita est in regione *Vplandiæ*; & VVIBVRGVM in extremo regionis, quę propugnaculum est totius regionis aduersus Ruthenos, & Moscos. Incolę alii utuntur lingua Vuandalorum sicut Poloni, ac Russi, alii uerò lingua Suecorũ.

Finlandiæ fines.

Abo urbs.

Vuiburgũ.

BODDIA, seu BOTHNICA prouincia duplex est Orientalis, & Occidentalis, quas *Boddicus* seu *Bothnicus* sinus dislimitat.

Supra

Supra hos uersus Septentrionem sunt LAPPONES, qui & LOPPI etiam dicuntur. Quorum Orientaliores Moschi uectigales sunt, & *Dikilop pi*, ideſt *Loppi feri* dicuntur. Occidentales uerò Regi Sueciæ parent, & occupant eam Regionem, quę SCRICFINNIA dicitur. Hi populi humilibus in casis habitant, quas corticibus arborum, cęspitibusq; tegunt, farinam propemodum ducentes uitam, ceruis iumentorum uice utuntur in ducendis uehiculis in formam piscatorię scaphę confectis, & tali modo iter singulo die 20. milliariorum absoluere solent. Pane, sale, aliisque gulę irritamentis carent, & solis piscibus ac feris uescuntur; multum in libidinem proni sunt; sagitarij omnes sunt peritissimi; certas non habent sedes, sed uno in loco feris, piscibusque depastis aliò commigrant: agrestes sunt, feri, ac supitiosi, & ad omne externi hominis uestigium, natuigijq; conspectum maximè fugaces, horum uestitus sunt ex pellibus ferarum insimul consutis. Tributi loco non monetam, cuius apud eos nullus est usus, sed pelles præciosas, & pisces pendunt, cum mercatoribus aduentitijs rerum permutatione utuntur: idioma proprium habent, quod ab alijs non intelligitur, ideò apud exteros muti propemodum etiam uidentur. Nunc ob consuetudinem hominum externorũ innatam feritatẽ deponere, & mansuetiores fieri incipiunt.

Lappones, seu Loppi.

Scricfinnia.

Vltra Lappones & mare congellatum uersus Polum, in regione scilicet inter Corum, & Aquilonẽ perpetua oppressa caligine *Pygmæos* reperiri aliqui tradunt, qui ad summam adolescentiam nostratis pueri denum annorum staturam vix excedunt, meticulosi valdè sunt, & garritu sermonem exprimũt, adeò ut potius simijs propinquiores sint, quàm hominibus.

Pigmæorũ Regio.

Prope Gothiam regionẽ uersus Ortum in Sueuico mari iacet GOTLANDIA Insula, ideſt bona terra, quam nonnulli etiam GOTHIAM simpliciter vocant, atque *Eningiam* Plinij fuisse volunt: habetq; in longitudine mill. 18. & in latitudine 5. Hæc Gothorum Regni pars erat, sed nunc Regno Daniæ subest. Agrum habet armento, equis, & bobus aptum, multa ibi uenatio & piscatio, pulcherrimo marmore, & omnibus rebus humano usui necessarijs diues est: mittit ad exteras prouincias equos, boues, picem aridã & liquidã. In ea præter octodecim pagos est VISBVI, seu *Vuisby* præclarũ oppidũ, olim emporium toti Europæ celeberrimum. De Corella regione, quæ ex parte Duci Sueciæ tributaria est, diximus in Moscouiæ descriptione.

Gothlandia Insſ.

Visbui.

DANIÆ REGNVM, Seu Danemarchia.

DANIÆ, seu DANEMARCHIÆ Regnũ maximum terræ & maris tractum complectitur, cum multis Insulis: hoc est *Cimbricam Chersonesum*, quæ nunc *Iuttia* dicitur, *Ditmarsiam*, *Scaniam*, *Hallandiam*, *Blesciam*, vnà cum omnibus illis Insulis, quæ clausæ sunt in sinu Codano inter *Iuttiam* & *Scaniam*, quod quidem Regnum omnes sub potestate nauigationes habet Norueģiæ, quæ nuncipsi coniuncta est. Nonnulli

Regiones Daniæ.

Du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ducatum *Holsatiæ* Regno Danico addunt, de quo in Germaniæ Magnæ tabula diximus.

Iuttia.

IVTTIA principalis DANIA est, vulgò *Iutlandt*, & Ptol. ac alijs *Cimbrica Chersonnesus*, Plinio vero *Cartris* est, nonnulli ex nostratibus *Daciam* perperam vocant. Quæ quidem in Penninsulæ formam protenditur inter duo maria versus Boream, & eius Occidẽtale latus Oceanus Germanicus abluit; Septentrionale Oceanus Balthicus: Orientale, qui *Codanus Sinus* dicitur. Ad Meridiem Holsatiæ & Dithmarsiæ isthmo coniungitur. Longitudinem habet 80. mill. Germanicarum à fluuio Albi ad promontorium Cimbricũ, uulgò *Scagen* vocatum: latitudinem uero mill. 20. circa regionem *Aleburgicam*.

Iuttiæ fines. Mensura.

Regionis qualitas.

Regio hæc continet multas prouincias, urbes, arces, & pagos, & maiori ex parte frugum feracissima est, tritici nempe, siliginis, & hordei, ac similium. Maximè vero compascua est à parte occidua Boreali contermina; sed Borealis pars arenosum habet agrum, & non adeò fertilem, unde Incolæ armenta pascunt, & piscaturam exercent, domusque ex lignis & assamentis compactas incolunt, quæ leuitate sua à loco in locum transferri possunt. Emittit ad externas prouincias equorum & armentorum magnam copiam, & maximè in Germaniam, ubi quotannis prope 50. millia boues educuntur, præter hordeum, caseum, butyrum, sebum, carnes, coria, pelles præciosas, nuces, & uarios pisces. Sunt hic vrbes 28. Episcopales sedes quatuor, nempe RIPENSIS, ARTHVSIANA, ÆLBVRGA maritima, VVYLBVRGA mediterranea: arces Regiæ sunt 20. Hanc Ptolemæi ætate incoluerunt *Cimbri*, *Charudes*, *Thundusij*, *Chali*, *Cobandi*, *Sigulones*, & *Sabalingij*, sed horum *Cimbri*, principaliores fuerunt, reliqui vero obscuri, ac nulla commemoratione digni. Danorum Idioma obscurum est Germanis reliquis, & ex Noruegia uenisse putant. Achiles Gassarus testatur, hic inuenta fuisse à monaco Alchimiæ professore tormenta bellica.

Vrbes Iuttiæ.

Populi antiqui Iuttiæ.

Dithmarsiæ fines.

DITHMARTIA Regio inter amnes Albim, & Eideram uulgò *Heuer* sita est: ab Occasu Oceanum habet: ab Ortu Holsatiam: à Septentrione Iuttiam: & à Meridie Albim fluuium. Regio pecore, piscibus, lacubus, & paludibus diues est; prata, pascuaque læta continet, aruaque frugifera. Vrbes & arces nullas habet, egregios tamẽ uicos & pagos: rusticos habet diuites, sed stupidos, & robustos. Paret nunc Daniæ Regi.

Hollandiæ fines.

HALLANDIA à Septentrione Sueciæ contigua est, à Meridie Scaniæ iungitur: ab ortu syluas habet ingentes: & ab Occasu mari abluitur. Regio hæc qualitate sua non absimilis est uicinæ Scaniæ. Præcipuum eius oppidum est *Halanesoe*.

Scaniæ fines & mensura.

SCANIA, uel SCONIA iacet inter Hallandiam, ac Blecsidam, & habet in longitudine 18. mill. latitudine 12. aliquibus uero in locis tantum sex. Hæc autem fertilitate frugum, pecore, sebo, omnique mercium genere reliquas Daniæ prouincias superat. Huius Metropolis est LVNDIS,

Lundis.

Nelboga.

cui nauigatione & commercijs *Nelboga* præfertur. In hac est uicus *Falsterbo* halecum captura olim celeberrimus, quæ tamen captura intra paucos annos euanuit, & in Noruegiam migrauit.

BLEC-

BLESCIDA, seu BLEKINGIA Prouincia Daniæ extrema ad Ortum Suecię contermina, qua ex parte syluis, rupibus, & montibus aspera est, ibique parum fertilis est, sed versus Scaniam ager est, fertilior, & pascua sunt fœcunda. Præcipua vrbs & arx est CALMARIA. Ex hac regione trahunt exteræ nationes picem liquidam Suetię, alcium exuuias, tergora salita, hircorum, & caprarum pelles, aliorumque animalium, adipes, parumque ferri, & æris.

Blecsides fines & qualitas.

Calmaria.

INSVLÆ SINVS CODANI, seu Hellesponti Danici.

PROPE Iuttiam in sinu Codano numerantur circiter 35. Insulæ, tùm magnæ, tùm paruæ, inter quas præstantiores sunt hæ.

SELANDIA, seu Sialandia omnium maxima, ac præcipua, caput Regni Danici est, cuius longitudo est milliarium Germanicorum 16. & latitudo 13. In ea sunt tresdecim vrbes, Arces Regiæ septem cum plurimis pagis, inter quas quidem vrbes HAFNIA Metropolitana est, & habitatio Regum, quæ Germanis *Koppenhagen* dicitur, idest *Mercatorum portus:* hæc etiam vniuersali Gymnasio ornata est. ROTSCILDA, vulgò *Roschilt*, Episcopalis vrbs est, olim potens ac munita, Regumque monumentis decorata, quæ nunc tamen ad tenuitatem est deducta. Est etiam HELSINVRA, vulgò *Elsenor*, ad maris ripam, vbi sinus Codanici Regium vectigal à nautis absoluitur, quo in loco est *Croneburgum* Arx inter Regias munitissima, & superba, ac omnium ad bellum spectantium optimè prouisa. Hæc autem respicit arcem *Hilsimburgi* Scanię, atque inter ipsas sinus Codani, vulgò *de Sundt*, angustię sunt, quæ milliare Germanicum in latitudine non excedunt, vbi scilicet naues omnes, quę è Balthico mari in Oceanum pernauigant anchoris fixis tandiu hærere debent, donec vectigal vecturæ, ac mercium omnium, quas deferunt in vrbe *Helsinura* persoluerint.

Selandia caput Regni Danici.

Hafnia, vrbs.

Rotscilda.

Helsinura.

Croneburgum.

FIONIA, vulgò *Fuinen*, primum tenet locum inter cęteras post Selandiam. Lęta est Regio, fertilissima, ac frugifera maximè siliginis, tritici, equorum, & boum. Quę omnia in Germaniam maxima copia mittuntur. Multispręterea syluis ornatur feris repletissimis. Incolę autem agriculturam, & piscaturam exercẽt. Octo in ea sunt vrbes, quarũ metropolitana est OTTONIVM, vulgò *Odensche*, siue *Oesel*, in Insulę centro sita, & Episcopalis olim sedes. Reliquę vero urbes circa littus ponuntur, suntque Neoburgum, Sienburgum vulgo *Suiborch*, Faburgum vulgò *Feborg*, Assena vulgò *Ascens*, Borgena, Middelnartum uulgò *Middelfar*, & Carteminda vel *Kortemund*. Sunt etiam isthic Regiæ arces aliquot, nempe *Niburgum*, *Hagenscoua*, *Hinsgagela*, *Escheburgum* & alię, pręter multos pagos, ac magnatum ędes.

Fionæ Insulæ qualitas.

Ottonium Metropolis.

LANGELANDIA, vulgò *Laglant*, milliaribus septem Germanicis producitur. In hac oppidum est *Ruthcopinga* vocatum, & *Trancura* arx Regia, suntque in ea plures pagi, parœciæ, & procerum ędes.

Langelandia.

LALANDIA, vulgò *Loilant*, prope Selandiam iacet maris angustiis discreta. Hęc frumenti, & auellanarum nucum est adeò ferax, vt naues eis onustę plures in prouincias deferantur. Oppida habet quinque, quę sunt *Nistadt*, *Nasco*, *Togrop*, *Rotbus*, & *Maribus*, ac insuper arces aliquot Regias, procerum ędes, parœcias & pagos multos.

Lalandia.

FALSTERIA, vulgò *Falster*, longa est quatuor milliaribus Germanicis, ac

Falsteria.

ciuitates habet *Stubecopen*, & *Nicopen*, quę Danię Neapolis ob eius amęnitatem, ac pręstantiam uocatur.

Mœna. MOENA, vulgò *Muen* habet ad littus altas rupes, vbi est fida nauium statio, & cretaceos etiam montes, ex quibus creta effoditur, atque in ea est oppidum *Steck*, & *Elmelunda* habitatio Regia pręter parœcias, & pagos nonnullos.

Femera. FEMERA, vulgò *Femeren*, oppida habet *Derborch*, *Pietershorne*, & *Stabul*.

Huœna. HVAENA celebris nunc facta est ob arcem *Vraniburgi* à Nobilissimo, ac Doctissimo viro TYCHONE Brahe fundatam, in qua sanè permultę sunt machinę, ac instrumenta ad cœlestes motus ac apparentias obseruandas ab ipso magnis sumptibus, & solertia non vulgari extructa, quorum aliquot ipsemet Tycho primus fuit inuentor.

Bornholma. BORNHOLMA etiam Insula ad Regnum Danię nunc pertinet, quęsita est in mari Balthico, quod nunc Sueuicum mare dicitur, & Germanis *De Oost See* inter Pomeraniam & Bleesidam, vulgò *Bliecker*. Est autem Insula ipsa plurimum compascua, ac innumera nutrit pecora; vnde caseo, butyro, lana, frugibus, ouilla & bouilla carne sale conditis, & animalium pellibus, aut corijs plerisque aliis prouinciis subuenit. Plura quoque cõtinet satis culta oppida. Eam uerò Fridericus II. Danię Rex certa soluta pecunia Danię Regno restituit, cum prius per 50. annos Lubecensibus obpignorata fuisset.

Populi ex his locis Septentrionalibus olim egressi. Cęterum ex his Insulis olim, ex hisque uniuersis regionibus Septentrionalibus tot, tantęque gentes innumerę diuersis temporibus (uelut aues) eggressę fuere, ut fuerunt *Gothi*, *Ostrogothi*, *Vestrogothi*, *Vuandali*, *Franci*, *Cimbri*, *Gepidæ*, *Dani*, *Hunni*, *Suedi*, *Heruli*, *Rugi*, *Alani*, *Longobardi*, *Alemani*, & alii plures, qui Danubio & Rheno superatis omnem Europam, & pręsertim ipsam Italiam altricem Imperii, & dominam 400. & plus annis perpetua quadam Regnorum successione subiugarunt, ac Romani nominis gloriam ferè omnem extinxerunt.

RELIQVÆ INSVLÆ Septentrionales.

INSVLAE uerò Septentrionales, in Occidentali, Hyperboreo, & Deucalidonio Oceano dispersę, sunt hę prœcipuę.

SCETLANDIA.

Scetlandiæ Camdeno est antiquæ Thulæ. SCETLANDIA, siue HETLANDIA Insula ab aliis exiguis Insulis coronata nautis *Thilensell* dicitur, vnde antiquorum fuisse *Thulem* satis probabiliter Camdenus ex Peucero suspicatur ob eius situm inter Scotiam & Norœgiam, quæ tamen magis ad Septentrionem, quàm Scotia accidit. Hæc verò frigore obrigens est, & vndique procellis expositа, cuius incolæ ex piscibus exsiccatis & contusis panem conficiunt. Per hanc transit 31. parallelus, & horarum 19. cum dimidia maiorem diem habet. Subest autem Scotorum Regi.

FRI-

FRISLANDIA.

Frislandiæ qualitas. FRISLANDIA etiam maior quàm Hibernia & antiquis ignota inclemens habet cœlum, unde incolæ fruges non habent, sed piscibus uescuntur ut plurimum: nam in sinu, vbi ciuitas Metropolis est huius nominis, tantam trahunt piscium copiam incolæ, vt eo multæ naues oneratæ in Flandriam, Angliam, Scotiam, & Danemarchiam redeant, non sine magno ipsorum incolarum quęstu. Hęc uerò Insula hoc sęculo denuo Anglorum nauigationibus frequentari incepit, qui eam *Occidentalem Angliam* uocarunt. Hic fit maximus dies horarum circiter 19. cum dimidia.

ISLANDIA.

Islandia. ISLANDIA Insula, quæ centum propè milliaribus Germanicis in longitudine extenditur, cœlo rigenti, & perpetua hyeme dãnata est. Nã *Snauel iokel*, quod interprętatur *Niuosum promontorium*, semper niuibus albet. Islandia uerò sonat *Glacialem terram*, quę pro maiore sui parte montosa & inculta est: qua uerò parte plana est, plurimum cõpascua est, ac graminis mirum in modum lęta: nullum fert frumentum: nec ullam fert arborem præter Betulam, & Iuniperum. Huius incolę ex exsiccatis & contusis piscibus panem sibi parant, & potus olim illis aqua erat: nunc uerò fruges aliundè allatas huic miscere inceperunt. In speluncis autem, ac montium cauernis ut plurimum degunt. namque montes pro vrbibus habent, ad quorum latera suas mansiunculas excauant, atque vt plurimum ex ossibus piscium domos extruunt ob lignorũ penuriam: lingua utuntur Cimbrica, siue uereri Germanica. Lubecenses (vt Ortelius tradit) Hamburgenses, & Bremenses hanc Insulam annuatim frequentant, afferentes farinam, panem, ceruisiam, mulsum, uinum adustum, Anglicos, & alios uiliores pannos laneos & lineos, ferrum; chalybem, stamnum, cuprum, argentum, monetam auream, & argenteam, cultros, calceos, mulierum uittas & pepla, pileos, & ligna, ex quibus ędes & piscatorum cimbas construunt. Pro his contra exportant Islandicum pannum (vulgò *Vatman*) ingentes sulphuris effosi moles, & maximam piscium induratorum copiam; bouinas, ouinasque carnes, butyrum, sebum, vellera, & ferarum pelles, vulpes, falcones albicantes, equos, & alia huiusmodi. Diuiditur uerò tota Insula in quatuor partes iuxta quatuor mundi plagas, nempe in Orientalem quadrantem, seu partem, quam *Austlendingafiordung* dicunt: Occidentalem incolis *Vuestfiordung*: Septentrionalem incolis *Nordlendingafiordung*: & Meridionalem incolis *Sundlendingafiordung*. Duos autem continet Episcopatus Cathedrales Scholis etiam ornatos, HOLA scilicet, sub quo sunt monasteria *Pingora*, *Remested*, *Modur*, & *Munkenie re*: & SCHALHOLT, cui monasteria *Videy*, *Tyrnebar*, *Kirkebar*, & *Skirda* subiiciuntur. Hanc Mercator & alii, esse THVLEM Ptolemęi putarũt:

Incolæ.

Hodie Insula hęc à quibusdam exteris frequentatur.

Insulæ diuisio.

Episcopatus duo.

Islãdia Mercatori & aliis antiqua est Thule.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ortelius uerò ſuſpicatur, THVLE eſſe *Tilemarchiam* Noruegij Regni tractum, quia hæc cum gradibus longitudinis, & latitudinis illius à Ptolæmeo aſſignatis congruit. Verum Camdenus *Scetlandiam* Inſulam putauit fuiſſe antiquorum THVLEM, vt ſuperius diximus. Inſula hæc continetur inter 65. & 69. gradus latitudinis, cuius medium eſt propemodum in circulo Arctico, vnde qui circa medium Inſulæ inhabitant, ſemel in die Ecclipticam Horizonti coniunctam habent, tuncque Zodiaci Polus in uertice capitis incidit, ſed hoc in ictu ferè oculi accidit, nam repente una Zodiaci pars exoritur, & repente alia occidit. Maximus igitur æſtatis dies Sole primum Cancri gradum intrante eſt horarum præcisè 24. & inſtans pro nocte habent, Sol etenim perfectè non occidit, ſed Horizontem radit. Verum Sole initium Capricorni perluſtrante fit iſtis nox 24. horarum, & dies prorſus nulla: habet nihilominus aliqualem lucem ad aliquot horas ex uicinitate Solis ad Horizontem, vnde eis diluculum eſt pro die. In reliquo autem Inſulæ tractu Boreali maximum habent diem maiorem horis 24. hoc eſt horas 45. attingentem. Rupem habet & promontorium, quòd dicitur *Hekelfort*, perpetuo fumos & flammas eructans, putaturq; à uulgaribus hominibus carcer eſſe impiarum animarum. Ciuitates Epiſcopales huius Inſulæ duę ſunt *Holen*, & *Skalholten*, ſeu *Scalholdin*.

Situs cœleſtis.

ENGROVELANDIA, ſiue Groenlandt.

Engroue-landia.

Mons flagrans.

ENGROVELANDIA, ſiue *Groenlandt* Inſula eſt admodum ignota, & ad Septentrionem magis expoſita, cuius incolæ ex uolucris ſyluęſtribus, & ex piſcibus uiuunt. Hic mons eſt, qui uelut Ethna continuo flagrat, ac lapides in modum fauillarum emittit, qui quidem refrigerati optimi ſunt ad murros conficiendos, ſed ſi aqua aſpergãtur, calcem optimam præſtant: ibidem fons eſt feruidiſſimus, quo accolæ, & præſertim monacorum conuentus ad coquenda cibaria utuntur. Locatur hæc Inſula inter circulum Arcticum, & Polum mundi Arcticum: nam Auſtraliſſimus eius parallelus eſt gr. 66. ferè, & Borealiſſimus paulò minus gr. 77. Vnde hic Zodiaci ſemper una pars ſupra Horizontem, & alia pars infra extat, quo fit, ut continuam lucem habeant in medietate anni poſt introitum Solis in Arietem, & circa ingreſſum Solis in æſtiuo Tropico medium Inſulæ tenentes habebunt diem duorum circiter menſium cum dimidio. Qui uerò extremam oram Inſulæ Borealem occupabunt, ij Solem uidebunt continuo circiter tribus menſibus cum dimidio. In reliqua uerò anni medietate noctes in menſibus oppoſitis æqualis magnitudinis cum diebus æſtatis contingent. Habent itaque hi accolæ hyemem nouem menſium, quo tempore nix maxima ſupra terram extat.


Situs cœleſtis.

ICARIA.

Icaria à quo denominetur.

ICARIA Inſula eiuſdem qualitatis & conditionis cum ſuperioribus conſtat, fruges enim nullas habet, ſed piſces tantummodo, & animalia. Hanc nomen habere ſcribunt ab ICARO Dedali Scotiæ Regis filio, qui inſulanis dominauit, ac leges dedit. Huius Inſulæ populi aduenas non recipiunt, niſi forte ſit unus tantum, quod quidem nulla alia de cauſa faciunt, niſi vt ex eo linguam externam percipiant. Ad hanc autem Inſulam cum *Zichminus* nonnullarum aliarum Inſularum Borealium Rex appuliſſet Anno MCCCXC. expulſus armis ab Inſulanis fuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



X
ITALIAE
DESCRIPTIO.

ITALIA Regio, quæ cunctis alijs Vniuersi Orbis Terrarum præstat, celeberrima, & caput quondam, Princepsque mundi, uaria olim obtinuit nomina, ut apud plerosque scriptores constat. Nam AVSONIA, & OENOTRIA ab huiusmodi populis uocabatur, uel Oenotria (ut dicũt alij) dicta fuit à uini bonitate, quod in ea nascitur, est enim œnon Græcè uinum, uel ab Oenotrio Sabinorum, seu Arcadię Rege, ut Dionysio placet. Ausonia autem à parte Italię, quæ apud Cales oppidum Campaniæ fuerat, teste Liuio. Præterea IANICVLA à Iano, SATVRNIA à Saturno, TYRSENIA à Tyrseno Telephi filio, qui in ea dominati sunt, nuncupabatur. Vocata quoque fuit à Græcis HESPERIA ab Hespero scilicet Atlantis filio, qui à fratre pulsus & Italiæ, & Hispaniæ nomen dedit. Vel, ut ait Macrobius, ab Hespero Vespertina Veneris stella, à quo Hispania quondam Hesperia etiam dicta fuit: ad differentiam tamen Virgilius MAGNAM HESPERIAM hanc uocat. Præterea pluribus etiam nominibus appellabatur apud Isacium Tzetzam, Halicarnaseum, & Marcum Catonem, ut *Apennina*, *Argessa*, *Camesena*, *Saleumbrona*, *Taurina*, & *Vitullia*, aut *Vitalia*, *Chaoniam* etiam & *Bretiam* dictam scribit Stephanus. ITALIA tandem ab Italo Siculorum Rege, qui Agriculturam Italos docuit, & leges posuit, denominata est. Quod nomen adhuc retinet: nec ignorandum est, omnia hæc nomina Italiæ tantum antiquissimæ, quæ *Rubicone* fluuio terminabatur, propria esse. Sed sicuti Italia nomen pro temporum, rerumq; uicissitudine sæpius mutauit, sic etiam eius termini, & fines uariè à scriptoribus traduntur. Hoc tamẽ quo quicquid gemino mari, & Alpibus inter Varum amnem ultimum Liguriæ terminum, & Arsam Istriæ terminum cingitur, id totum Italiæ tribuitur.

Italiæ nomina.

Ausoniæ. Oenotriæ.

Hesperia.

Alia Italiæ epitheta.

Italia unde dicatur.

Habet igitur ab Ortu Adriaticum Sinum, & Ionium mare: ab Occasu Varum fluuium cum Alpium iugis, quæ Galliam ab Italia separant: à Meridie mare Tyrrhenum atque Lygusticum, quod Inferum dicitur: à Septentrione partim Alpes, quæ sunt Germaniæ fines ab hac parte, & partim etiam mare Adriaticum, quod Superum uocatur.

Italiæ fines.

Italiam alii querno folio assimilant, ut Plinius & Solinus, scilicet proceri-

Italiæ forma.

rate amplior quàm latitudine: alij folio Hederæ,ut Eustathius: sed recentiores rectius,& conuenientius humano cruri, cuius pes Ionio mari abluitur, diciturq; frons Italiæ,ubi in duo cornua scinditur,quorum alterum Ionium mare spectat,alterum Siculum,amplissimis sinibus admissis, quorum maximus Tarentinus uocatur. Vmbilicum Italiæ Varro designauit in agro Reatino Sabinorum, nec obscurum est, Peninsulæ speciem hac habere tribus lateribus mari circunfusæ: Ait etiam Strabo,Italiam Insulæ in morem circum circa maris tuto præsidio cingi demptis quibusdam paucis partibus, quæ & ipsæ inuijs montibus muniuntur. Apenninus autem mons est instar eius spinæ,seu dorsi, qui elatus per mediam regionem sensim incedens tandem in duo cornua diducitur. Longitudo Italiæ ab Augusta Prætoria Salassiorum colonia, quæ *Osta* nunc dicitur,per Romam,Capuamq; porrecta usque ad oppidum Rhegium Calabriæ (Solino & Plinio testibus) decies centena, & 20. millia passuum esse colligitur,hoc est milliariorum 1020. latitudo ubi plurimum 420. scilicet inter Varum, & Arsiam amnes, ubi minimum 136. milliariorum. Nos uerò per dimensionem in Mercatoris Italia circino factam, quam cæteris quibuscunque præstare iudicamus, longitudinem inuenimus mill. 720. ferè, latitudinem maximam mill. 410. minimam mill. 175. quam à Salerno ad Manfredoniam accepimus. Sed si uersus Hidrunti terram latitudinem accipere uolumus,ea interdum 25. milliaria non excedet. Aliqui ponunt Italiam secundum littoralem commensurationem continere milliaria 2250. quam tamen nos per circinum maiorem inuenimus, ut potè mill. 2350. dimetiendo etiam partem Alpibus Germaniæ,& Galliæ conterminam. Sunt tamen qui circunferentiam Italiæ adhuc maiorem ponant, nam Gastaldus colligit ipsam mill. 2550. & Leander Albertus refert, aliquos eam posuisse mill. 4740. & nonnullos mill. 4900. quod nullo pacto esse potest.

Italia peninsula est.

Apenninus mõs est dorsum Italiæ.

Mensura.

Complectitur per longitudinem 14. Meridianos,nam Occidentalissimus Italiæ Meridianus, quem ducimus per ciuitatem Niceam, transit secundum hanc descriptionem per gra. 27. cum semisse: Orientalissimus uerò per Hidruntum ductus transit per gr. 42. In noua uerò Italiæ pictura Gerardi Mercatoris Occidentalissimus Meridianus incidit in gr. 29. & Orientalissimus in gr. 43. Secundum uerò latitudinem amplectitur grad. 8. nam Australissimus parallelus distat ab Æquatore gr. 38. & Borealissimus gr. 46. quod etiã cum Mercatoris descriptione consentit. Vnde occupat ipsa Italia totum quintum & sextum Climata iuxta recentiorem Climatum distributionem,& parrallelos omnes,qui sunt inter undecimum,& decimumsextum,in quo terræ tractu contingit uarietas diei artificialis unius horæ: etenim maior dies æstatis in parallelo eius Australi fit horarum 14. cum tribus quintis,& in Boreali parallelo horarum 15. cum tribus etiam quintis. Sita uerò est,ut ait Plinius,inter horam sextam, & primam Brumalem, idest inter Meridiem, & Ortum Solis hybernum.

Situs cœlestis Italiæ.

Italiæ cultores primi,vt ait Iustinus ex Trogo, Aborigenes fuere, quorum Rex Saturnus tantæ iustitiæ fuisse dicitur, vt neque seruierit sub illo quisquàm,neque quicquàm priuatæ rei habuerit,sed communia & indiuisa omnibus

Primi cultores.

nibus fuerunt,velut vnum cunctis patrimonium esset. Vnde nobilissima hæc terra exordium habuit post uniuersale diluuium ab aureo sæculo à præclaris illis & egregijs heroibus Iano,Camese,Saturnoque Phœnicibus,& Sagis, quos pro Dijs antiquitas coluit. Postea uerò uarios & permultos habuit incolas partim barbaros partim Græcos,nempe Siculos,Pelasgos,Arcades,Epeos, Troianos,Morgetes,Ausones,Oenotrios lydos,Ligures,Ardeates, Rutulos, Lacedæmonios,Gallos,Pœnos,Gothos,Ostrogothos,Hunnos,Hungaros Gepidas, Turingos, Longobardos, & alios, atque plures quidem quàm ulla alia terra.

Variæ gentes in Italia.

De Italiæ autem præstantia,quę olim Orbis domina,floridissimaq; ob Romanorum Imperium fuit,multi quidem scripsere, tùm Græci, tùm Latini, vt fuere C. Sempronius,M. Cato,Strabo,Plinius,Mela,Solinus, Polybius, Dionysius Halicarnaseus, Virgilius, & cæteri ex priscis. Ex recentioribus uerò Blondus,Volaterranus,Sabellicus,Dominicus Niger,Pius II. seu Æneas Syluius, Leander Albertus, & alij. *Reginam mundi* uocat hanc regionem Æthicus,*Gentium dominam*,Mamertinns; *Rerum dominam* Rutilius: vulgus *Paradisum mundi* eam cognominat, *Beatissimam totius Europæ* Dion Prusæus. *Totius orbis optimam esse* docet Halicarnaseus plurimis de causis, & addit Strabo,*huius præstantiam neminem posse pro dignitate uerbis explicare*. Plinius quoque amplè huius elogium & encomium duobus in locis faciens, modo eam *omnium terrarum alumnam, & parentem,* modo *pulcherrimam omnium totius orbis,rebusque meritò principatum naturæ obtinentem*,tùm etiam *rectricem parentemque mundi alteram uocat*, nec non etiam *gremium terrarum commercio patens undique & tanquàm ad iuuandos mortales auidè in mare procurrens*. Ferunt olim,referente eodem Plinio,hanc nunciato Gallico tumultu L. Æmilio Paulo, C. Attilio Regulo Cos. solã sine externis ullis auxilijs,atq; etiamnum sine Transpadanis equitum 80. millia,peditum 700. millia armasse.

Auctores antiqui de Italia tractãtes.

Recentiores.

Italiæ laudes.

Sed sicut olim,ita etiam nunc præstantissima,beatissima, aspectu iucundissima,& bonorum omnium affluentissima est: Nam clementissimo potitur cœlo, & omnium anni partium in ea est moderata tempestas, saluberrimo gaudet aere beniguo uentorum afflatu, quandoquidem Aquilonares & Austrini uenti contra se flantes aerem ipsum inter frigus & æstum temperant: cuius tamen uarietas multiplex secundũ diuersas regiones accidit,quod est in causa,vt tanta animalium,stirpium,& aliarum rerum diuersitas cõspiciatur. Solum ipsum cultissimum & bonitate excellens frumento, vino, oleo,lino,herbarum vbertate,arboribus omnis generis & fructu & materie munificis mirificè abundat. Campi latissimi sunt,qui vbertate lætantur; prata nitidissima & amœna; colles vbique virentes sunt, ac vitiferi, generosoque succo fœlices: pascua cùm in montibus,& collibus,tùm in planitie pecuariæ rei commodissima,nobilitateque vellerum fœcunda: nemora munifica sunt, & uenationibus ferarum opportuna: montes pulcherrimi sunt,partim amicti uitibus, partim arboribus,& herbis medicis refertissimi,quorum aliqui famosi sunt, & à Poetis decantari,& si aliquorum deserta & asperrima sint iuga: animalia quadrupedia,feræ,& uolucres undique reperiuntur.

Italiæ qualitas hoc tempore.

Fre-

Universidad de Deusto Biblioteca

Fluuij Italiæ.

Frequentes etiam terra hæc fluuios habet; tùm nauigabiles & deuehendis mercibus aptos; tùm etiam piscibus optimis abundantes, quorum præstantiores sũt Padus, Rubico, Tyberis, Arnus, Mincius, Ticinus, Ollius, & Abdua, de quibus in particularibus regionibus dicemus: torrentes quoque, ac lacus amplissimos, ac nobilissimos piscium copia præstantes habet, quales sunt Benacus Lacus, Larius, Verbanus, Transumenus, Sabbatinus, & alij. Multæ quoque sunt calidarum, & frigidarum aquarum plurimis in locis eruptiones ad uoluptatem, ad sanitatemque parandam à natura elaboratæ: maria commoda adiecta piscium copiam præbentia, & littora ipsorum marium undis circumfusa habet, & plerisque in locis importuosa est, quod expedit aduersus exterorum excursiones, & quos habet portus, ij nobilissimi sunt, magni, admirabiles, atque interstincti, & appellendis, soluendisque nauibus idonei, quod ad inuadendum uicissim exteros, & mercaturæ expeditam copiam conducit. Metallorum omnis generis grauida sunt terræ uiscera, vt nulli alteri cedat: nec desunt uariæ nobilissimorum marmorum species, precioſique nonnulli lapilli, ac gemmæ.

Lacus Italiæ.

Præterea hic quoque conditiones agrorum uariæ; naturæ operum uarietas infinita, facultatesque omnium rerum, quas terra procreat, inexplicabiles conspiciuntur: frequentia populorum maxima, quorum singularis est benignitas mansuetudo & probitas: exercitia omnis generis penè innumera: ciuitates nobilissimæ, & pulcherrimæ: oppida opulentissima: ædificia omnis generis magnificentissima: nouarum vrbium res florentissimæ: veterum miserandæ reliquiæ, & totius antiquitatis miranda monumenta atque uestigia, & ut vno verbo concludam. Hæc est illa ITALIA, in qua præ cæteris mundi regionibus tot, tantaque ex omni memoria contigisse constat, quam olim gentes penè omnes uel diripiendi, vel oppugnandi, vel acquirendi, uel uidendi gratia petiuerunt; & quam uisendæ & cognoscendæ gratia etiamnum tot Hispani, Galli, Germani, Angli, Cimbri, Pannoni, Græci, atque alii è longinquis, & remotissimis partibus tanto dispendio, & uitæ periculo continuo adeunt: quique hùc acceduut, vt idioma etiam, mores, & Italorum politiam (præter ingenuas artes & disciplinas, quæ utilitati & ornamento sunt) percipiant. In hac continuò permultæ singularum humanarum artium Academiæ, seu publica Gymnasia florent celeberrimis toto terrarum orbe uiris, (quod pace reliquarum mundi nationum sit dictum) ornatissima, & repletissima, quæ quidem sunt Patauium, Bononia, Ticinum, seu Papia, Siena, Perusia, Pisæ, Taurinum, Salernum, Roma, Venetiæ, Neapolis, Ferraria, Firmum, & Macerata.

Gymnasia Italiæ.

Cæterum in Italia plures olim, quàm nunc fuisse vrbes & oppida ex priscis scriptoribus constat, quandoquidem 1166. vrbibus præditam, & ornatam fuisse auctor est Ælianus. Guido etiam presbyter Rauennas, qui de vrbibus Italiæ scripsit, septingentas eius temporibus fuisse perhibet. Et quàmuis ciuitates & oppida unà eos numerare quis contendat, nihilominus hùnc numerum nostro sæculo longè non attingunt, quoniam ob insignes calamitates, quibus tot temporibus subiecta fuit, ciuitates, & oppida plurima interciderunt;

runt; ita certè, vt plurimarum ne vestigia quidem minima supersint. Vnde nunc tantummodo tercentæ circiter ciuitates Episcopales florent præter quàmplura oppida.

Quot hoc æuo sint urbes Italiæ.

Gens ipsa Italica ut plurimum urbana est, frugalis uitæ, summæ hospitalitatis, & probitatis, ingenio perspicaci, ad literarum studia & ad artificia prompta, ad mercaturam industria, bellicosa, honoris & gloriæ cupida, ad uitia etiam & ad uoluptates maximè dedita, Christianæ fidei secundum verum Romanæ Ecclesiæ ritum religiosissima obseruatrix; nec hæresis in Italia vlla; nec dogmatici & pernicioſi hæresiarcharum libri, & qui contra bonos mores sunt, hic permittuntur, veluti fit in Germania, & aliis in locis non minus periculosa, quàm licentiosa libertate fruentibus; sed ij soli & rectè quidem permittuntur, qui cum Sacrosancta Romana Ecclesia concordant, & ad benè viuendum conducunt. Sacerdotes & religioſi omnes magis hic honorantur, quàm nobiles. Regum, nobiliumque principum primogeniti uetteri instituto Regnum & dominium obtinent, in priuata fortuna uirilis stirpis liberi ex æquo fiunt hæredes, sed legitimo thoro nati. In matrimonio repudium non permittitur, nisi magna de causa, consentienteque Summo Pontifice. Color Italis & statura penè diuersa, nec iidem mores, ac uiuendi ritus, nec eadem sermonis pronunciatio, & uestitus alius aliis, nec unus habitus omnibus, quem pro tempore sæpius uariant tùm qualitate, tùm forma & ritu.

Incolarum mores & forma.

Postremo Italiam alii aliter diuiserunt. Cato enim & Sempronius in APENNINVM, CISAPENNINAM regionem, quæ ad inferum mare uergit, & in TRANSAPENNINAM, quæ ad superum, habito respectu ad Romæ urbem, in qua degebant, & unamquanque partem rursus in plures distribuerunt.

Italiæ diuisio secundũ Catonem.

Plinius recenset diuisionem sui temporis à Diuo Augusto Imp. factam, in regiones scilicet undecim, nempe Liguriam, Hetruriam, Latium, Campaniam felicem, Samnium, Picenum, Vmbriam, Galliam, Italiam Transpadanam, Venetiam, & Istriam.

Alia diuisio iuxta Plinium.

Strabo in octo regiones partitur eam, quæ sunt Venetia, Liguria, Picenũ, Lucania, Tuscia, Roma, Campania, Apulia.

Diuisio Italiæ iuxta Strabonem.

Antoninus in itinerario in prouincias XVI. eam distribuit, nempe in Campaniam: Tusciam cum Vmbria, in qua est Roma: Nursiam, in qua est Reate: Flaminiam, in qua est Rauenna: Picenum, in quo est Asculum: Liguriam, in qua est Mediolanum: Venetiam cum Istria, in qua est Aquileia: Alpes Cottias & Apenninum, in quibus est Genua: Samnium, in quo est Beneuentum: Apuliam cum Calabria, in qua est Tarentum: Brutum cum Lucania, in quo est Regium: Rhætiam primam: Rhætiam secundam: Siciliam: Sardiniam: Corsicam.

Antoninus diuisio.

Ptolemæus autem non in regiones, sed in populos 45. eam distribuit, ut uidere est apud ipsum.

Ptol. diuisio.

Leander Albertus in sua Italiæ descriptione regiones ponit nouemdecim, quem sequi potius uoluimus, & sunt hæ, quæ sequuntur.

Leandri Alberti diuisio.

1. Liguria, nunc *Ora Genuensis.* & Italicè *Riuiera di Genoua.* } De qua in Tab. XI.
2. Hetruria, quæ & *Tuscia.* Italicè *Toscana.* } De qua Tab. XII.
3. Vmbria, nunc *Ducatus Spoletinus.* vulgò Ducato de Spoleto.
4. Latium, nunc *Campania Romana.* vulgò Campagna de Roma. } De quibus Tab. XIII.
5. Campania felix. Hęc *Terra laboris.* vulgò Terra de Lauoro.
6. Lucania, nunc *Basilicata.*
7. Brutij, nunc *Inferior Calabria.* vulgò Calabria Inferiore.
8. Magna Græcia, hæc *Calabria Superior.* vulgò Calabria Superiore.
9. Salentini, nunc *Terra Hidruntina,* vulgò Terra d'Ottranto.
10. Apulia Peucetia. iam *Terra Bariana,* vulgò Terra de Barri. } De quibus in Tab. XIIII.
11. Apulia Daunia, nunc *Apuliam planam* vocant. vulgò Puglia piana.
12. Samnites, hoc *Aprutium,* vulgò Abruzzo.
13. Picenum, hæc *Anconitana Marchia,* vulgò Marcha d'Ancona. } De qua in Tab. XV.
14. Flaminia. *Romanula* nunc, uel *Romandiola,* vulgò Romagna.
15. Æmilia, nunc est *Lombardia Cispadana,* vulgò Lombardia de qua dal Pò.
16. Gallia Trāspadana, quę iam *Lombardia Transpadana,* vulgò Lombardia di là dal Pò. } De quibus in Tab. XVI.
17. Venetia, hæc *Tarusina Marchia,* vulgò Marcha Treuigiana.
18. Forum Iulij, nomen uulgò ferè retinet, dicta & *Patria,* & Italicè Friuli, & Patria.
19. Istria, quæ & ipsa nunc sic dicitur. } De quibus in Tab. XVII.

Hæc in genere de Italia dicta sint, nam sepatatim de partibus Italiæ pertractabimus, cum infra septem extent Italiæ particulares Tabulæ, quæ omnes eius regiones copiosius continent.

CORSICAE INSVLAE
INTER MAXIMAS ITALIÆ ADIACENTES DESCRIPTIO.

CORSICA Insula minor est ex tribus adiacentibus Italiæ Insulis, quarum reliquę sunt Sardinia, & Sicilia, de quibus in Tabula separata egimus. Hęc à Græcis CYRNOS, uel CYRNVS uocatur, appellatione sumpta à Cyrno Herculis filio, ut Fabio Pictori placet. Vel, ut dicunt aliqui, à Cyrno Rege patre Bathi, qui Cyrenem vrbem in Lybia construxit. Prius autem *Teraphine*, seu *Therapne* ab Ouidio nominata est, ut tradit Villanouanus. Nunc autem CORSICA dicitur à Corsa muliere ex Liguria, ut Eustathio placet, cuius taurus cum ex continenti in Insulam transnatasset, eum nauigio prosequuta est, & regressa in continentem Insulæ fertilitatem patefecit, unde Ligures ad Insulam inhabitandam profecti sunt, eamque nomine huius mulieris auctoris appellauerunt: alii uerò huius nominis Ethimon aliundè deducunt.

Corsica à Græcis dicitur Cyrnus.

Teraphinæ olim dicta. Corsica cur dicatur.

Abluitur ab Occasu, & Septentrione Ligustico mari: ab Oriente Tyrrheno & Ionio: à Meridie freto, quod inter ipsam atque Sardiniam labitur. habet enim à Borea promontorium Suerum, quod nunc *Caput Corsum* dicitur, ac Veneris portum respicit orę Genuensis, à quo abest milliaribus 60. & non, ut dicunt aliqui, 120. à Sardinia abest secundum Strabonem stadiis 60. quę reddunt milliaria 7. & semis. Alii ponunt unum milliare Germanicum, quod spatium in una hora confici potest. Leander Albertus ponit decem milliaria nostratia, & alii nouemdecim, quod nullo pacto esse potest. Ego uerò dimensione per circinum facta in tabula Mercatoris, quę omnium exactissima est, inueni esse propè sex milliaria. Longitudinem Insulę ponit Strabo milliorum 160. Plinius 150. reuera tamen 120. non excedunt; latitudinem Plinius 60. milliarium facit. Strabo uerò 70. quod uerum esse ex dimensione per circinum constat. Circuitus est secundum Plinium mill. 322. secundum alios 305. & secundum etiam alios 390. nos tamen per dimensionem exactam inuenimus esse 325. quod cum Plinio ferè consentit.

Corsicæ fines.

Insulæ mensura.

Posita autem est in quinto Climate occupans 12. & 13. parallelos, & maior dies æstatis est inter horas 14. cum tribus quartis, & inter horas 15. Hanc Strabo sua ętate malè habitari, asperam fuisse, ac plerisq; locis planè inuiam asserit: & montana colentes latrociniis uitam sustentare, inhumaniores sque bestiis fuisse, lacte, melle, & carnibus uescentes. Subdit etiam hoc, cum Romani

Situs cœlestis.

Qualitas Insulæ antiqui sæculi.

mani Duces in Insulam hanc incursionem faciebant, ac munitiones adorti, magnum mancipiorum numerum afferebant, Romę cum admiratione obseruatum fuisse, eos multum feritatis ac indolis planè belluinę habere: nam aut uitam fugiebant, aut impatientia, ac stupiditate dominos obtundebant, ut impensę pęniteret, etiam si quis minimo emisset.

Qualitas eius secundum hodiernum statū.

Hodie quoque maiori ex parte aditu difficilis est, cum præruptis undiq́ue collibus, ac densissimis magnarum arborum syluis comprehensa sit: interius similiter plurimis locis magna ex parte montuosa, ac nęmorosa est: Vnde parum cultiuationi apta, ac sterilis frumento potius est, ac leguminibus; nec nascuntur hæc nisi paucis quibusdam in locis, vbi se aperit, atque à fluminibus & aquis irrigatur, ac feracissima redditur. Fructus tamen sapore gratos profert, & uina delicata, quæ magnopere commendantur Romæ, vbi hinc exportantur, quod uinum à loco *Corsicum* nuncupatur: Melle, cera, atque resina Insula abundat, & oleo, ficubusq́ue etiam ferax est. Nascitur in ea copiosè buxus teste Plinio & Diodoro, nec non etiam taxus uenenata arbor, in quibus pastæ apes mel amarissimum faciunt: producit equos feroces, & canes uenaticos spectatæ magnitudinis, & illud arietis genus, quod *Musmo* Plinio uocatur, & uulgò *Muffoli*, uillum ferens caprinum lanæ loco. Alumen quoque hic inuenitur, & mineræ ferri sunt apud fluuiū *Biuincum* in Comitatu *Nebiensi*. Sunt etiam Salinę, uulgò dictæ *della Roia*, non longè à portu Sancti Florentii. Et propè *Niolum* sunt ualles profundissimæ perpetuis niuibus scatentes, sub quibus aiunt christallum copiosè latere. Corallum adinuenitur in mare inter Corsicam & Sardiniam uersus *D. Bonifacium*. Sunt etiam aquæ calidæ medicatæ sulphureæ, quæ uulgò *Bagni di Pietra Pola* dicuntur, scabiei & neruis contractis utiles: & alibi quoque sunt permultæ aquæ medicatæ tam calidæ quàm frigidæ permultis ægritudinibus salutares. Fluuii principales sunt tres *Golum*, *Liamonis*, & *Tauignanus* in mari percurrentes.

Vinum Corsicum præstans.

Mel amarum.

Christallum Thermæ.

Incolarum mores.

Incolæ mores efferatos & parum ciuiles habent, & inter ipsos multi sunt proditores & perfidi: Corsis enim nil crudelius scribit Iulius Cæsar Scaliger. Sunt tamen strenui milites, & longæuam ducunt uitam, ut tradunt Athenæus, & Eustathius: sunt uerò loquelæ difficilis, quod accidit, ut dicunt aliqui, ob frequentem incolarum mutationem; nam ex commixtis linguis Graiorum, Ligurum, & Hispanorum sermo illis est.

Qui Insulā hanc obtinuerunt

Hæc Insula primum à Tyrrhenis occupata fuit, deinde à Cartaginensibus, his eam eripuerunt Romani, qui ea potiti sunt, usque dum Saracenni eos expellerunt. Quos ex ea profligarunt Genuenses, tandem capta à Pisanis Pontificibus Romanis cessit. Vltimo ad Genuensium iura rediit, quibus nunc obedit, atque in eam singulo anno Gubernatorem generalem mittunt.

Corsica nūc sub Genuēses.

Plinius in hanc Insulam 33. ciuitates fuisse testatur, quod etiam Martianus Capella annotauit (Strabo autem non ciuitates fuisse, sed castella potius putat: nam suo æuo quatuor tantum ciuitates enumerat) inter quas duæ coloniæ Romanorum fuerunt, MARIANA nempe à Mario missa, & ALERIA à Sylla Dictatore, quæ nunc Episcopali dignitate decoratæ sunt, licet Aleria deformis penè iaceat.

Mariana urbs. Aleria.


Quadri-

Quadrifariam distribuunt hanc Insulam hodie, scilicet in *Latus exterius*, & in *Latus interius*, & in *Cismontanam*, & *Vltramontanam*. Nam plaga, quæ Orientem Solem respicit, *Latus interius*: pars uerò huic obuersa *Latus exterius*: Pars Italiæ magis propinqua *Cismontana*: & ea, quæ Sardiniam respicit, *Vltramontana* dicitur. Incolæ tamen alter alterum Vltramontanum, se ipsum uerò Cismontanum ad montium situm respicientes appellant.

Corsæ diuisio.

Sunt uerò in Corsica hi Episcopatus, Marianæ, Nebij, Aiacensis, Alariensis, Sagonensis, & Ciuitatensis, qui sunt suffraganei Archiepiscopi Pisani in Tuscia. Cæterum his proximè elapsis annis permulti Corsi in Italiæ continente præsertim Plumbino ad sterilitatem Insulę, & ciuiles discordias effugiendas trasmigrarunt.

Episcopi Corsiæ.


PEDEMONTIVM MONS
NSFERRATVS ET LIGVRIA
Mare Ligusticum
PROVENZA
Parte de Saboia
Parte del Delfinat
Parte del Territorio de Nizza
Monaco
Genua
Nouare
Vigeuano
Milano
Pauia
Tortona
Alexandria
Casale
Verona
Mantua
Padua
Venetia
Trento
Brixia
Bergamo
Cremona
Lodi
Como
Lugano
Lecco
Sauona
Albenga
Oneglia
Ventimiglia
Nizza
Villafranca
Monaco
Ventimiglia
Taggia
Porto Maurizio
Oneglia
Diano
Alassio
Albenga
Finale
Noli
Sauona
Vado
Cogoleto
Genua
Rapallo
Chiauari
Sestri
Lerici
Portouenere
Spetia
Carrara
Massa
Pietra Santa
Seruezza
Viareggio
Lucca
Pisa
Liuorno
Piombino
Orbitello
Monte Argentaro
Talamone
Grosseto
Castiglione
Piombino
Elba
Corsica
Capo Corso
Capo di Feno
Capo di Rosso
Capo di Senetosa
Capo di Pertusato
Bonifacio
Capo de Testa
Capo Figari
Capo Ferro
Capo Monaco
Capo Noli
Capo Vado
Capo Mele
Capo Corso

olim colonia, & Longobardorum etiam in Italia ſedes, nobilis inquã & peruetuſta, & ad montium radices poſita, ac muris quadrangulari forma extructis, cum quatuor portis pcincta. Ciues nobilitate maximè claros habet ſplẽdidis ædificijs utentes; Gymnaſio item publico, eoque famoſo decoratur; atque etiam perbono ac fertili agro potitur; nec nõ etiam uallibus ferri copia refertis. Præcipua urbs in Lybicis eſt VERCELLAE antiqua, perhoneſta, ac nobilis, rebusq; omnibus diues, quæ uberrimo fruitur agro, ac frumenti, uini, cæterarumque frugum maximè fertili, atque olim aurifodinam Euſebio teſte habuit, & Plinius ait in Vercellenſi agro extitiſſe legem Cẽſoriam, qua cauebatur, ne plus quinque homines in opere aurifodiendi publicani haberent. In Salaſſis etiam eſt INVREA ciuitas, metropolis ab alijs *Lamporegium* dicta, & Straboni, Tacito, & Ptolemæo *Eporedia*, quamuis indocti *Hyporegiam* ſcribant, quam Romanorum coloniam ponit Strabo, eamq; ſic Leãder deſcribit. Situ eſt edito duos inter altos colles, qui Vallis Auguſtæ prætoriæ fauces efficiunt. Agrum habet ab Auſtro non infructiferũ, at à ſeptentrionali plaga peraſperum vſque adeo, vt uix caſtaneas ferat: paſcuorum tamen opportunitate, cum anni tempus eſt ad rem pecuariam utilis, unde tum uellerum abundantia, tum lactis copia figurãdo caſeo Salaſſo, ſic & olim & hac etiam memoria nominato percipitur. Eſt etiam AVGVSTA PRAETORIA Salaſſiorũ colonia, & metropolis, quę Italicè *Oſta* dicitur & Germanicè *Augſt*, quæ iacet ad geminas Alpium fauces, vt Plinius ſcribit Gonias, atque Pęninas, quæ nunc montes D. *Bernardi* dicuntur: ſunt etiam aliæ urbes, ac oppida nobilia, nempè Monteuicum uulgò *Mondoui*, quod uiginti millia habitatores utriuſque ſexus habet, deinde Biela: Foſſanũ, Cunium, Vigonum, Suſa, Ceua, & alia. A mõtibus huius regionis *Pedemontanæ* uerſus occaſum ſunt fontes PADI fluuij celeberrimi, in quo permulti cõcurrunt amnes, prope quos fontes uerſus *Ripellum* & *Paiſanam* nobilia marmora ex lapicidinis cẽdũtur. Maiori ex parte Sabaudiæ Duci regio ipſa paret, & Archiepiſcopatũ habet Taurinenſem, cui ſubſunt Epiſcopi, Salutiarum, & montis Regalis uulgò Mondouienſis, ſunt etiam hic Vercellarum Epiſcopus Mediolanenſi Archiepiſcopo ſubiectus, & Eporediæ Epiſcopus Archiepiſcopo Taurinenſi ſubiectus.

Vercellæ.

Inurea.

Augusta prætoria.

Fõtes Padi.

Status eccleſiaticus.

MONTISFERRATI MARCHIONATVS olim, nunc Ducatus, deſcriptio.

Mõferratus

AVRINORVM pars hęc intra Tanarum, Padumq; fluuios MONSFERRATVS Leandro Alberto dicitur; qui etiam populi Ligures Ciſapẽnini uocantur, licet Volaterranus aſſerat, Montisferrati & Salutiarũ loca, ubi Alpes initiũ capiunt, Salaſſos populos quondam obtinuiſſe. Sunt tamen, qui Montemferratum prędictos amnes excedere putent, & à meridie Alpes in confinio Genuenſium habere; nec ignorandum eſt, olim in

in hoc tractu inter Liguriam, & Pedemontium ſeptem Marchionatus fuiſſe ab Ottone II Impe. inſtitutos, nempè Montisferrati, Ceuæ, Poncioni, Buſchi, Salutiarum, Sauonæ, & Finarii, eoſque ſingulos ſeptem filijs Alerami Saxonum Ducis aſſignaſſe.

Monsferratus unde dicatur.

Montisferrati originem nemo tradit, niſi Leander, qui tractum hũc terræ Mõtemferacem olim dictum fuiſſe opinatur, & nunc paucis literis mutatis Montemferratũ, à modicorum ſcilicet, quos habet collium feracitate, qui mirabili copia fructus omnigenos ad humanæ rei neceſſitatem producũt. Nam terra hæc inæqualis eſt frugifera tamen omnis & peramæna, q̃ idem Leãder in regione Italiæ xv. ponit ſub Lõbardia Ciſpadana, eamq; ſic Merulà deſcribit. Mõs eſt perpetuis expãſus iugis, totus amænus, & fructifer, omniumq; rerum ad uitam utilium fertilis, & colonis admodum frequens. Incipit diurno ferè itinere ab Alpibus, planitieque ſeparatur, quæ inter hos colles ac alpes intercedit. Nihil hic incultum quicquam propter ſummam ſoli bonitatem, opportunitatemque; læuam Tanarus, dextram Padus alluit, nec ullius alueum regio egreditur. Addit Leãder, eſſe iſthic fontes aquę calidę medicatæ in agro Statielorum à ſcriptoribus, tum Grẽcis, tum Latinis propter ſummam ſalubritatem celebratæ, ſuntque thermæ publicę cum menſis lapideis, & gradibus eorum, qui lauari uolunt opportunitati diſpoſitæ: tradũt aliqui aquis hic feruentibus innaſci herbam, & uigere.

Qualitas regionis.

Montisferrati Marchionatum tenuit primum Palæologa ſtirps uſque ad annum 1534. quo quidem anno, defuncto Ioanne Georgio Palæologorum vltimo, Carolus V. Sereniſſ. Mantuę Ducẽ legitimum Mõtisferrati hęredem declarauit, qui hodie eo tranquillè potitur. Hic uerò Marchionatus erectus fuit ultimo in Ducatũ ann. Dom. 1575. à Maximiliano Imperatore, & Guliel mus III. Mantuæ Dux, Primus ẽt Montisferrati Dux intitulatus eſt. In hoc autem terræ tractu tres inſignes habet urbes Mantuæ Dux, nempè Caſalem D. Euaſij, Albam, & Aquenſem, ac præterea 365. circiter oppida præter innumeros pagos ac uillas. CASALIS D. Euaſij uulgò *Caſal S. Vas.* ciuitas à Sixto IIII. ann. D. 1474. effecta fuit, quæ nunc populo ſatis frequẽs eſt, ac ſplẽdidis ornata ædificijs, fortiſsimiſque muris percincta, atq; olim Marchionũ huius territorij ſedes fuit, qui arcem in ea tutiſſimam extruxerunt, & poſtremò etiã in ea, ut potè anno Domini 1590. VINCENTIVS GONZAGIVS Mantuæ & Montisferrati Dux Sereniſſimus; aliam nouam arcem munitiſſimam, ac optimè prouiſam maximis impenſis à fundamẽtis erigi curauit, quę uulgò *la cittadella* uocatur, in qua quidem noua arce Gubernator totius Mõtisferrati Ducatus reſidet. Vrbs porrò hęc agrum habet pulchrum tam collinum, q̃ planum, frumenti, uini, cęterarumque frugum fertilem ALBA ciuitas Plinio Pompeia cognominata amplior quidẽ eſt quàm Caſalis D. Euaſij, ſed inclemens habet cœlum, licet perbono fruatur agro & fertili, ac à Tanaro fluuio alluatur. AQVENSIS urbs uulgò *Aique* celebris eſt ob fontes aquarum calidarum ſalubrium.

Monsferratus erectus in Ducatu.

Caſalis D. Euaſij.

Alba.

Aquenſis vrbs.

Præter iam dictas urbes præclara oppida ſunt inter Padum & Tanarum D. Damianus, D. Saluator, ubi eſt arx munitiſſima Mons Caluus, Fubinum,

Castaneola, Ponsturæ, in quo est arx tutissima & Occimianum uulgò *Ossmiano*, ubi uetusta Montisferrati Marchionum sedes, ac habitatio fuit, q̃ oppida sub Mantuæ Ducis ditione sunt: atq; etiam Cherium lautissimum, & affluentissimum oppidum, satisq́ue amplum, quod ad Sabaudiæ Ducem attinet, ad quem etiam spectat Asta urbs uulgò *Asti*, peruetusta colonia inter eosdẽ amnes Padum, & Tanarum sita, nobilis quidem, diues, ac frequens, splendideq; ædificata, quæ bono, ac fœcundo agro potitur, cuius territorium *Asteggiana* uulgò dicitur: sunt tamen qui hanc ad Pedemontiũ referunt. Valẽtia quoq;, seu Valentinũ oppidum antiquũ, Forumq́; Fuluij prius dictum apud Padũ fluuium iacet non longè à Tanaro. Infra uerò Tanarũ uersus Alpes Liguriæ, Nicęa urbs reperitur uulgò *Nizza*, quę ad Mantuæ Ducem spectat. Vltra uerò Padum uersus Pedemõtium, sunt oppida insignia Villanoua, Balzola, Trinũ, Palatiolum, Bianza, Liburnum, & Salugia, quæ sunt Mantuæ Ducis, & Crescentinum, Chiuascum, ac alia, quæ ad Sabaudiæ Ducem spectant.

Asta.

Valenza.

Nicęa.

Carmaniola.

Præterea inter montemferratum, & Pedemontium Carmaniola splendidum, & amplum oppidum conspicitur, scilicet inter Padum, & Tanarum, quod ad Salutii Marchionatum spectat, ad quem pertinet etiam Rauellum oppidum fortissimum. Salutium uerò urbs perlauta, ac frequens est, omnibusq́ue rebus abundans, ac Marchionatus caput.

Salutium.

Est etiam in confinio Montisferrati Alexandria à Palea posteriore ætate amœnissimo in loco orta, nam anno 1178. à Mediolanensibus, Placentinis, & Cremonensibus condita fuit, cui Cæsareæ nomen primo imposuerunt: sed cũ ab Alexandro III. Episcopus ei donaretur, Alexandria in posterum fuit uocata. Est autem uallo, propugnaculis, altisq́ue fossis percincta, & uiros animosos, & excelso ingenio præditos generat, atque sub Hispaniæ Regis Imperio manet:

Alexandria palea.

Habet Regio hæc Episcopũ Casalensem, & Astensem Mediolanensis Archiepiscopi suffraganeos, & Alexandrinum, quem puto Mediolanensi Archiepiscopo subiectum esse: deinde Aquensem uulgò *Aique*, Albensem, & Salutij, qui suffraganei sunt Taurinensis Archiepiscopi.

Episcopatus huius regionis.

LIGVRIÆ, SEV GENVENSIS ORÆ descriptio.

Liguria unde dicta sit.

LIGVRIA Italiæ regio est prima Leandro Alberto, cuius nominis originem alij aliter tradunt: sunt enim, qui eam à legumine, & qui à Ligone uno è Iapeti Ducibus, qui huc venerit, denominandam censent; alij uerò & fortè rectius à Ligure, seu Ligysto Phætontis Aegyptij filio, qui huc unà cum patre habitatum concesserit, deriuatam uolunt. Iacet inter fluuios Varum, & Macram, & habet ab occasu Alpes, quæ Galliã Narbonensem nunc *Prouinciam* dictam ab Italia seiungunt: Ab exortu Hetruriã: A meridie ligusticum mare ab ea uocatum: quod circiter 160. milliaria extenditur.

Liguriæ fines.

ditur. Et à Septentrione Apẽninum cum Cisapenninis Liguribus, Aemiliæq́; parte. Dicitur uerò LIGVRIA propriè Transapennina ad differentiam LIGVRIAE CISAPENNINAE, quæ est *Monsferratus*, de quo supra egimus, & hodie *Oram*, seu *Ripam Genuensem* à primaria urbe Genua uocant. Prẽterlabitur maritimã Liguriæ oram pelagus Ligusticum ab Austro ad 24. circiter milliaria, quod ab Austro, & Africo uentis maximè infestatur; & littus uniuersum à Monechi portu usque ad portum Lunæ, quo se extendit, nullos habere portus, scribit Strabo, exceptis paruis quibusdam stationibus ad iactandas tantum anchoras seruientibus, nec ipsum Monechi portũ, quẽ *Monacum* uocant, magnarum multarumq́; capacem nauium extitisse. Attamen isthic nunc duo satis præstantes sunt portus, nempè Sauonę, & qui uulgò *Portus finus* dicitur. Est etiã sinus uulgò della *Spezza* dictus, in quo sunt quinque portus, inter quos est portus Veneris satis præstans, ac ipse sinus multarum nauium potest esse capax.

Portus Liguriæ

Diuiditur nunc *Genuensis ora* in Orientalem, & Occidentalem, intermediã te Genua ciuitate metropoli. Et illa quidem est pars Orientalis, quæ est à portu Lunensi usque ad Genuam. Occidentalis autem à Genua ad Monacum.

Genuensis oræ diuisio.

Terra hæc maiori ex parte montuosa est, & petris aspera, & imminent undique immanes rupes, atque præcipites, quæ iuxta mare angustos relinquunt transitus, & ut scribit Strabo, omnino olim sterilis fuit, nihilq́; memoratu dignum habens, prẽterquam quod intus (ubi tota ferè mõtuosa est, & syluosis saltubus horrida) maximæ arbores & uastę producebantur: quod etiam nunc fit, quibus ad ædificandas naues utebantur, ex quo prædatorijs his nauibus mare uniuersum usq; ad fretum Herculeum infestare soliti erãt; & quibus etiam oleum, uinum, ac alia necessaria sibi comparabant in alias regiones deportatis: namque ut plurimum olim lacte, & pecore victitabãt, hordaceaq́ue potione, quamquam & ex aspretis illis picati, ac austeri uini modicum reciperẽt. Nunc uerò cultior deinceps terra facta est, uino prẽsertim, quod multifariam abundè, saporeq́; optimo habet: nam in agro oppidi *Tabiæ* famosum cõficitur uinum Apianum, quod nec maluatico Cretæ, nec Cyprio, nec ulli Italico, aut exotico uino suauitate cedit, ac alibi etiam optima proueniunt uina. Ager *Dianus* est prouentu olei adeò uberrimus, ut quandoque octodecim, nonnunquam uigintimillia urnas reddat, quas uulgò *Barilas* uocant. oppidum *D. Remi* peramœno, ac fertili est agro, citris, palmis, medicis, limonibus, alijsq́ue fructiferis arboribus mirificè ornato. Totus terræ tractus circa *Andoriam* amęnis, uitiferisq́ue collibus splendet; insuper pagis, ac uicis. Tandem uniuersa orientalis ora Liguriæ ita ædificijs cum in collibus, tum in uallibus frequentibus ad uiginti amplius milliaria exornata est, ut una continua ciuitas potius uideatur, quæ quidem omnia peramœna, & iucunda sunt, passimq́ue citris, medicis, limonibus, oleis, alijsq́ue fructiferis arboribus repleta, cuius fructus pluribus in partibus Italiæ magno colonorum quæstu deferuntur. paucam tamen habet segetum copiã, & carnium, sed eæ tamen perfectissimę sunt, nec prætereundum censeo flores mirificè in agro Nerui toto integro anno perdurare.

Qualis Liguria.

Olei miræ isthic copia.

Ligurū origo, & mores.

Gentem hanc ex Græcis hominibus descendisse nonnulli auctores cum Strabone cēsuerunt, sed Siculos eos fuisse Thucidides opinatus fuit: constat autem hoc, magnā Italiæ partē fuisse olim ab his possessam. Nunc uerò prisca illa ruditate, & feritate exuti, industria mira, ac ingenio pollent, suntq; in negocijs cauti, & mercaturam exercent nauigātes per Sardonicum, Lybicumq; pelagus; spontè se grauibus periculis obiectantes, & magnas præ omnibus mare sulcantibus conficiunt naues, in communi uita Reipublicæq; regimine plurimum ualent, licet & adhuc animo elati, & factiosi admodum sint, & qui sæpius intestina cæde exagitati principatum permutent; staturā, ut plurimum, proceram habent, pulchrumq; aspectum: domi parcè uiuunt, sed extra magnificè & splendidè.

Genua.

Liguriæ caput GENVA est, gentisque emporium; antiqua quidem ciuitas, & amænissima: partim mōtuosa, partim plana inter duas ualles iacens & sex milliaria in circuitu tenens, q̄ incolis frequētissima est, opibus abundantissima, & ædificiis eminentissima, præsertim circa litus, quo nihil pulchrius, uisuque delectabilius, unde nō mirum, si nomen Genuæ superbæ adepta uul gò est. Vrbis ager quàmuis saxis asper, lætus nihilominus, uinetis præcipue, palmamque Genua, ut ait Plinius, liguriæ uuæ habet. Genuenses multa egregia priscis temporibus effecerunt, semperq; mari eos uiguisse, insignesq; uictorias obtinuisse constat: aliquando enim ad Tanaim usq, Imperij sui fines produxerunt. Theodosiā enim urbem Tauricæ Chersonesus, quæ nūc *Cassa* dicitur, ditionis suæ effecerunt. Cyprum, Lesbum, Chium insulas, & Peram Thraciæ urbem in potestatem redegerunt. Hodie uerò Reipublicę more Liguriæ toti, & Corsicæ insulæ imperant, in qua quidem Republica 28. sunt patritiæ domus, quæ nobiles dicuntur, ex quibus quadringentorum consilium nobile, Ducem unum binis annis Rempublicam gubernantem eligunt; gubernatores item duodecim cū octo procuratoribus, præter eos, qui olim Ducatus titulo ornati fuere, q perpetui procuratores sunt, & quinque syndicis. Illustris præterea est ciuitas hæc ob summos Pont. quos genuit, qui sunt Innocentius V. Hadrianus V. ambo ex Fliscorū nobilissima gente, ex qua plusquam triginta etiam Cardinales efluxerunt, præter Archiepiscopos, Episcopos, alios q̄ue prelatos: deinde etiam Innocentius octauus. Cardinales præterea multos habuit, & habet nunc, & peperit etiam inuictissimos, ac fortissimos classium Duces, nec non etiam unum Christophorum Columbū, qui ob nouas Indias occidentales primo à se præter omnium spem solertissimè adinuentas *Admirans maris* à Principibus Hispaniæ intitulari meruit. Tandem Genuenses mercatura, & negociationibus maximum sibi nomen comparārunt, cūm in his reliquas nationes solertia, & diligentia superent, neque ullum omnino adinueniatur exterorum emporium, quod ipsi non adeant.

Genuēsium laudes.

Sauona.

Est etiam in Liguria SAVONA urbs memoratu digna antiquum retinens nomen, tametsi olim *Sabatiam*, uel *Sabatā* fuisse dictam aliqui asserant. Huius circuitus est 1500. passuum, & ædificijs ornatur magnificis. Variorum Principum ditionis superioribus sæculis fuit, ut pote Genuensium, Vicecomi-

mitum, & Sfortiarum Mediolanensium Ducum: Gallorum item, & interdū sui iuris. Nunc uerò Reipublicæ Genuensi cum reliqua Liguria paret. Tres genuit Romanos Pontifices Gregorium VII. Sixtum IIII. & Iulium II. ac nonnullos Cardinales.

Status ecclesiasticus.

Est autem in Liguria Archiepiscopus Genuensis, sub quo sunt Episcopatus Lunensis nunc Sarzanensis, Bobiensis, Aprumacensis, uel Brunacensis, Metenēsis, uel Maranensis, Acciensis, uel Ampruniacensis, Nubiensis in Corsica, Naulensis, & Albigauensis.

INSVLA AD LIGVRIAM SPECTANS.

Gallinaria insula.

PROPE oram Liguriæ occidentalem est parua Insula GALLINARIA à Gallinis dicta non dissimilibus uillaticis gallinis, quæ tamē rusticitatem quandam habent, neque enim oua in domesticis domibus, neque pullos faciunt, sed in syluis. Hæc insula sub ditione Genuensium manet.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XII.

TVSCIAE DESCRIPTIO.

TVSCIA Italiæ Regio celebris, nobilissima, & antiquissima ex vndecim regionibus, quibus ab Augusto Italiam digestam scribit Plinius, septima numeratur. Leandro Alberto Italię regio est secunda. Hæc primum COMARA nuncupata fuit à Comero Gallo Iapeti primogenito, qui eo in loco anno 131. post vniuersale diluuium suas posuit colonias, ut Berosus, & Annius tradunt. Vmbriam etiam appellatam ex Plinio cõstat. A Iano IANICVLA uocata fuit. RASENA, vel Razenua à Duce Razenuo. PELASGIAM quoque olim uocatam apud nonnullos constat. & TYRRHENIAM à Rege id nominis, uel à gente Tyrrhena, aut potius à Tyrsis ædificiorum genere, hoc est à turribus, quibus primum pro domiciliis utebantur. Tyrrheni postea à Romanis HETRVSCI à regione Hetruria, quam habebant, dicti fuere. Vltimo tãdem à Tusco eius Rege Herculis filio TVSCIA appellata fuit, uel à sacrificijs, ut quidã arbitrantur, qua in re hæ gentes præ cæteris excelluere, uel etiam à thure, cuius in sacrificiis præcipuus usus, TVSAIA habetur ẽt apud Nigrũ, & *Toscana* vulgò nunc dicitur.

Tuscia Italiæ regio Septima ab Augusto. Tusciæ varia nomina.

Tuscia vnde dicta.

Romani huius terrę populos nũc TVSCOS, nũc HETRVSCOS dixere, & Græci TYRRHENOS. In hac ẽt regione fuerũt populi *Phalisci*, qui tantę fuerũt olim apud finitimos existimationis, ut leges ab iis, & xij. tabularũ supplementũ Romani sumpserint, ut auctor est Seruius, atq; hi totum terrę tractum occuparunt à monte Soracte, nunc *D. Siluestri*, usque ad Tyrrhenũ mare inter Plumbinum, & caput Hetrurię, in quo tractu mons Flasconus, Viterbium, & Falerium continentur. Fuerunt etiam ibidem *Veientes* populi ab antiquis scriptoribus multum celebrati, qui persępe cũ Romanis bella gessere, & hi Liuio teste inter Phaliscos, & Romam continebãtur, à Ianiculo colle scilicet, ad Cymini montes, ad quorum radices Viterbum. vel ut Leander censet, à Ianiculo ad lacum Sabatinum, seu Braciani.

Phalisci populi.

Habet verò Tuscia ab ortu Latiũ Tiberis amne disiunctũ: à meridie mare Tyrrhenum, qđ nũc *Tuscum* vocatur, & Sardiniã respicit. A Septẽtrione mõtẽ Apenninũ, ubi Vilumbri, & Vmbria. Galliæq; togatæ pars: ab occasu verò habet Liguriã Macra fluuio separatam. Est autem Tusciæ lõgitudo, inter Macram, & Tiberim fluuios stadiorum 2500. Strabone teste, quę faciunt millia ria 312. & semis, at secundum Plinium milliarium 279. quorum vteręq; orę circumnauigationem sumit, sed si per mediterranea dimetiatur, colligetur tantummodo milliarium 170. vt Blondus asserit.

Tusciæ fines.

Tusciæ Latitudo.

Terra

Tuſciæ qualitas.

Terra ipſa partim quidem plana eſt; partim mõtuoſa, qualis interior ferè pars: partim uerò mare proſpectans, ſed in uniuerſum pernobilis, pulchra, acomnium rerum fœlix, nec vlli Italiæ regioni agrorum beatitudine poſtponenda. Hanc ubertate ſua Soli ſacratam voluit Martianus, quæ fertilitas gentem non parum ad delicias impellit. In ea quidem ſunt lati campi, culti admodum, & fertiles; ſunt amæniſſimæ valles, & colles uicis villisq; nobilibus nitentes: ſpectatu iucundiſſimi ſunt horti, fructiferis arboribus omnis generis, præcipuè uerò malis medicis, & citronibus perpetuo ſimul fructu, ac floribus uernãtibus refertiſſimi: arboribus ubique condita, & uitifera ſatis eſt:

Vina nobilia Tuſciæ.

pluribus enim in partibus generoſa prodit vina, inter quæ ſunt *Tribiana*, quæ in agro oppidi D. Geminiani gignũtur ex Italiæ totius nobiliſſimis: nec non & *Apiana*, tum alba, tum vermicula ob ſuauitatem & dulcedinem celebertrima, ac cæteris præſtantia, quæ in agro *Volſinio*, & in *Montis Flaſconis* oppido copioſiſſimè habentur. Celeberrima quoque inter finitimos ſunt vina generoſa alba, & vermicula ob ſuauitatem agri Senenſis.

Tuſciæ fluuii.

Fluuiis etiam multis piſcium optimorum ubertate fœcundis regio ipſa perfunditur, inter quos præcipui ſunt Arnus, Sercius, vulgò *cerchio* dictus, & Ptol. *Boactus*: deinde Cecina, Vmbro, Albengia, Flos, Martha, qui Ptol. *Oſa* eſt, Minio, Aro, Palia, & alii quam plures id genus nitidiſſimas aquas continentes. Horum oĩum nobiliſſimus & præſtantiſſimus eſt ARNVS, qui inter horridas rupes, præcipitesq; conualles ex Apennini dextro latere defluit, atque plurimis collectis fontibus, torrentibus, & amnibus ſatis intumeſcens Florentinum agrum irrigat, Florentiamq; ipſam quatuor eximiis coniunctam pontibus interſecando: deinde etiam Piſam in mare poſtmodum exoneratur. Amnis uerò BOACTVS, qui nunc Sercius dicitur, interdum tàm ſubito intumeſcere ſolet, ut timorem maximum circumuicinis afferat: in eo autem piſces optimi capiuntur præſertim Truttæ, & Carpiones. PALIA ẽt fluuius per conualles deſcendens adeò quandoque augeri ſolet, vt ſubiecta loca infeſter, & periculum uiatoribus, qui eum tranſcurrere cogantur, inferat, in Tiberim autem infra Oruietum profluit.

Arnus.

Sercius amnis olim Boactus.

Palia.

Lacus Tuſciæ.

Thraſumenus vocatus

Sunt quoque nonnulli perampli Lacus piſcibus refertiſſimi, vt eſt lacus PERVSINVS, olim *Thraſumenus* uocatus p̃ cæteris Italiæ, aſpectu pulcherrimus, & amæniſſimus, piſciumq; optimorum mira, & inaudita copia fœcundus, qui ad Hetruſcos, vmbros Picentes, Romam quoque aduehuntur; huius forma rotunda penè eſt complectens in ambitu triginta milliaria, litus maritimo ſimile, arenoſum, & aqua colorem maris æmulatur, lucida, & perſpicua, aquam nec refundit, nec alienam recipit. VOLSINIVS lacus, qui vigintiquatuor milliaria in circuitu habet, piſcibus abundat: præcipuè autem anguillis. SABATINVS etiam lacus famoſus eſt, qui nunc vulgò *lacus Braciani* dicitur, à quo olim Sabatina aqua Romę ducta fuit, & etiãnum medio in lacu fons apparet. Nec deſũt fontes, ſcaturigines q; calidæ, medicatęq; aquæ, ſeu balnea morborũ nominibus certis inſignita, uelut ſunt AQVAE CAIAE Viterbini agri, quæ nunc *Bulicani* nominantur, quas cunctis alijs nobilitate præſtare Strabo teſtatur, in quo etiam agro ſunt CAERETANA Bal-

Volſinius lacus.

Sabatinus lacus.

Fontes calidi Tuſciæ.

Balnea ſaluberrima, ut inquit Strabo, quæ Annio *Thermæ Stigianæ* ſunt, & hoc æuo *balnea Sabatina* à lacu huius nominis dicuntur. Habentur & in Piſanenſi, atq; Volaterranenſi agro, & apud Vitulonium oppidum nõ procul à mari calidorum fontium aquæ, in quibus piſces gignuntur: ſunt etiam balnea *Petrioli* cum aliis in agro Senenſi priſcis temporibus in precio habita, quæ etiamnum ægris frequentantur. Præterea ſunt aliæ aquę mirabili uirtute prędite, ueluti ſunt, quę habentur in agro Volaterrano, cuius uis eſt ſterilitatem mulieribus auferre ſœcũditate repoſita, & ibidem etiam in *Febiano* vico eſt fons aquæ dulcis, potu ubertatem lactis intermiſſam nutricibus reſtituens. In colle *Vlimento* eiuſdem agri Volaterranenſis è ſaxo fons prorumpit, cuius aquæ, quindecim dierum ſpatio quicquid immergentur lapideo cortice tegũt, & prope caſtellum *Leciam* in eodem agro ſunt aquæ tãto ſtrepitu, tantaq; uiolentia bullientes, ut ad altitudinem decem pedum aſcendãt, nec minori cum ſonitu rurſum cadant, quæ adeo feruent, ut iniecti *animalis* uiui oſſa extemplo nudata carne ſurſum emergant.

Montiũ Tuſciæ fertilitas.

Montes porrò non ſolum frugibus & arboribus fertiles ſunt, ſed magnã etiam accolis utilitatem ſuis lapicidinis afferunt, nam propè Lunẽſe littus lapides candidi, ac uarii marmoris lucidiſſimi cæduntur, qui Piſas, Genuam, Florentiam, Bononiam, Romam, & in ulteriorem Galliam nunc importantur, atque olim maior copia Romã & alijs in partibus importabatur, ex quibus tot præclara, & nobiliſſima opera marmorea, quę ibi nunc uiſuntur, ſunt confecta. Vicus *Leſcalię* Volaterranenſis agri alabaſtritæ copia abundat, è quibus nobilia fabricantur opera: inueniuntur etiam porphiretici lapides, ophites, achates, chalcedonij, & alii precioſi in aquæ riuulo apud Volaterras per conualles quaſdam modicas, & depreſſa loca incedẽdo, & apud *Grauiſcas* corallum in mari naſcitur, quod retibus occupatur, euelliturque, ſicut etiam olim ſolebat, vt aſſerit Plinius, Aluminis copia proximè elapſis temporibus reperta eſt in territorio *Maſſæ*, & ad radices *Tynnorũ* montiũ coccum, quod purpuram tingit, adinuenitur, & in agro Volaterranno azurrium, vitriolũ, & alia mineralia eruuntur.

Preciosi lapilli.

Oręmaritimæ Tuſciæ qualitas.

Ora maritima præterquam quod ſpectata iucundiſſima eſt, tutiſſimis etiã & commodiſſimis ornatur portubus, ut eſt portus Herculis, portus Troianus, Liburnus, & Lunenſis portus admirabilis, ac cęteros præcellens, qui præterquam tutiſſimus eſt, quod iugis montium præcelſis ubique claudatur, eſt etiam adeò amplus, ut omnibus, quæ toto mari uerſantur nauigiis excipiẽdis ſatis, ut Strabo teſtatur, ſufficiuit.

Portus Tuſciæ.

Hetruſcorũ antiquorũ mores.

Cæterum HETRVSCOS gentem Italiæ opulentiſſimam armis, iuris, pecunia eſſe ait Liuius, & Diodorus: cæremoniis, ac cultui diuino maximè ſemper addictam fuiſſe ex antiquis auctoribus conſtat, ut qui ſacrificia, diuinationes, & auguria primum inuenerint, eaque Romanis tradidere, ut inquit Halicarnaſſeus: multum terra, plurimum mari pollentes, & bello Romanis pares. Nam cum diutius potenti claſſe mari imperitaſſent, æquora hinc atq; hinc Italię latera pulſantia ab ſe denominarũt, alterum ſcilicet Tuſcum, ſeu Tyrrhenum: alterum Adriaticum ab Adria ipſorum colonia. Pedeſtri quo-

que

Universidad de Deusto
Biblioteca

que exercitu prȩualidos fuisse constat, tubam primo adinuenerunt bello admodum utilem, ducis exercitus plures insignibus decorarunt; non minima uerò amplitudinis Hetruscorum argumenta sunt, quod populus Romanus multa ab ipsis mutuatus est, vti selam curulem, qua consules, prætores, iudices sedebant; togam prætextam, qua vsque ad annum xv. pueri utebantur: togam uirilem, & grauem amictum, fasces, sceptrũ eburneum, lictores, ornamenta item triumphalia, insignia, aliaque ornamenta magistratuum, auguria, musicam, & alia multa: Hi etiam fuerunt primi, qui domibus porticus addiderunt, in quas seruorum concurrentium turba diuerteret. Tuscus nicus in urbe Roma, Tusculum, & Tusculanum in Latio ab his nomẽ sumpsere. Romani quoque pueros suos olim Hetruscis, tum moribus, tum literis imbuendos primo tradebant, ut postea græcis literis erudiendi forent. Trecenta Vmbrorum oppida ab eis debellata reperiuntur Plinio auctore. Duodecim trans Apenninum condiderunt urbes, ac in eis colonias miserũt vt Liuius, Plinius, & Polybius tradunt, quas ex Leandro Alberto collegi, suntq; Adria, Verona, Vincentia, Tridentum, Bergomum, Mantua, Comum, Vercellæ, Nouarra, Parma, Bononia, & Regium Lepidi. Verum sicut olim, ita & nunc Hetrusci clarissimi sunt pacis, belliq; tempore, nec minus ad literarum studia', quam ad negociationes prõptissimi, acumine ingenii, parsimonia, & mira sagacitate præstant, horum idioma ob candorem & elegantiam prȩstantissimum præ cæteris Italiæ est, poetas, & oratores (præter cæteros doctissimos uiros) famosissimos habuerunt.

Tuscorũ recentiũ mores.

Tria florẽt in ea publica omnium disciplinarum gymnasia, Perusiæ, Pisis, & Senis. Fuerunt olim duodecim Hetruriȩ urbes, cæterarumq; principes, nẽpè Luca, Pisæ, Populonia, Volaterræ, Agyllina, Fessula, Russelana, Aretiũ, Perusia, Clusium, Phaleria, & Volsinia; ex quibus nunc quatuor tantum supersunt, Pisæ scilicet, Volaterræ, Aretium, & Perusia. Sed aliȩ ẽt habẽtur nũc præter has præclaræ urbes, ut Florentia, Pistorium, Luca, & aliæ, quarum maior pars Reſpublicæ erant. At nunc regionis huius maior pars Magno Heturiæ Duci paret, utpotè Florentia, Pisæ, Siena, Pratum, Pistorium, Empolis, Volaterræ, Mons Policianus, Aretiũ, Cortona, Pescia, Pientia, Mons Alcinus, Liburnum, Plumbinum, & alia quamplura oppida. Ad summũ Pont. spectat patrimonium D. Petri, quod ab amne Pescia, & à S. Quirico incipit, & ad Ceparanum usque castrum in nouo Latio non longè à Liri fluuio producitur. Ditionis Hispaniarum Regis sunt Pontremulum, seu Pons Remuli oppidũ, iuxta Macræ fluuij fontem, quod olim Mediolanensium Ducum fuit: deinde Portus Herculis, Orbetellum, Mons Argentarus, & Plumbini arx. Carfeniana, seu Grafiniana uallis sub Apennino ultra citraque Serciam amnem posita, in qua est Castellum nouum cognomine *Grafinianum* cũ aliis plurimis castellis, ac uicis, sub ditione Ferrariæ Ducis permanet. Sarzana apud Macram fluuium propter interitum urbis Lunæ condita ad Genuenses spectat. Massa & Carraria terræ nobiles particularium sunt Marchionum, qui earum titulo ornantur, & alia quoque sunt oppida, quibusdam proceribus Romanis subiecta, inter quæ Bracianum Vrsinis titulum Ducatus præstat.

Gymnasia publica.

Præcipuè vrbes Tusciæ priscis tẽporibus.

Tusciæ pars ad magnũ Ducem spectans.

Tusciæ pars sub summo Pont.

Tusciæ pars ditionis Hispaniarũ regis.

Grafiniana sub Duce Ferrariæ est.

Loca Tusciæ particulariũ dominorũ.

PRÆCLA-

PRÆCLARÆ VRBES TVSCIÆ SVNT HÆ *sequentes*.

FLORENTIA, olim *Fluentia* dicta, inter Italiȩ urbes nobilissima pulcherrimaque, Hetruriæ nunc metropolis est, pulcherrimis nitens ædificijs, tũ publicis, tum priuatis, uiisque latissimis magnis stratis lapidibus, hæc ambitum habet sex milliarium, & plus; & continet nonaginta millia incolas in quadragintaquatuor parœcias diuisos, ac ob eius splendorem & elegantiam uulgi prouerbio *Florentia pulchra* dicitur, ut potè, quæ flos uideatur Italiæ, atque semper homines summo ingenio & memoria, ad omnesque artes idoneos gignit, qui non modo patriam ipsam exornant, sed in alias Italiæ urbes hinc tanquam è seminario discedentes familias honestas introducunt. hinc ortus est Americus Vesputius, qui Americam Indiæ prouinciam detexit, & ab se cognominauit, in hac ut plurimum Magnus Hetruriæ Dux residet. Florentia.

PISÆ urbs antiquissima auctoribus quam pluribus clara, olim felix admodum & beata non solum ante Romanum imperium, sed etiam illo iam uigente, ac item postea, hoc autem tempore ciuibus uiduata desertaque penè iacet, licèt non ignobilis sit, propter frugum copiam, gymnasio fruitur publicò anno 1309. instituto, & celebris facta est, ob generale Concilium anno 1400. ibi peractum. In hàc sæpè magnus Hetruriæ Dux immoratur, & in eam sedem tenent equites *D. Stephani* à magno Duce instituti, hæc quia crassiori aere fouetur homines memoria singulari gignit. Pisa.

SENA urbs gymnasio publicò illustris iacet in colle frequentia ædificiorum nitens, cuius gens Christianæ religionis ceremonijs admodum est addicta, & ciuilitate, comitate, ac moribus elegantissimis insignis, & summæ hospitalitis in exteros; idioma huius præcæteris Tusciæ elegans, & auditu gratus est. Hæc tum generali Concilio sub Nicolao Secundo gesto, tum aliquot Pontificibus, Cardinalibus, & literatis Iuris clarissima est: ambitus urbis est milliarium quinque. Sena.

LVCA Romana quondam colonia in planitie non procul à collibus iacet, muris percincta, & ædificijs perhonesta, ambitum habens trium milliarium, hæc prima Ciuitatum Tusciæ fidei Christianæ lumen accepit, & eius gens lauta, prudens, & ingeniosa est, & quæ libertatem sibi diu sapientissimè conseruauit integram, & si finitimorum bellis, haud rarò fuerit petita. Luca.

PERVSIA quam Augustus Imp. ab se AVGVSTAM nuncupauit colli insidet Apennino, & natura loci urbs permunita est, & nobilibus ædificijs tùm priuatis tùm diuino cultui dicatis, ac publica Academia, quæ Anno 1290. florere incepit perornata, nobilem, ac amplum habet in eius medio fontem, populus frequens, & animis ingenijsque summis, nec minus ad literas, quàm ad arma promptus. Ager cultior, & amenior cæteris quibuscunque est, ubertate enim terræ, & benignitate cœli Perusia.

gaudet

gaudet,à Tiberi quæ Fluuio per medium secatur,ac irrigatur.

VOLATERRÆ vrbs in Aſpromonte ſita illuſtris facta eſt exortu Lini Pontificis Petri ſucceſſoris, quæ & ex primis fuit quæ Chriſti Euangelium ſuſceperit.

Status Eccleſiaſticus Tuſciæ.

Sunt porrò in Tuſciæ Prouincia tres Archiepiſcopatus Florentinus, ſcilicet, Senenſis, & Piſarum, PISANO quidem ſubſunt Epiſcopus Maſſanenſis, Ciuitatenſis præter reliquos Epiſcopatus in Corſica. Archiepiſcopi SENENSIS ſuffraganei ſunt Suanenſis,Cluſinenſis,Craſſetanenſis,uel Groſſetanus. Epiſcopi uerò *Tuſciæ* Archiepiſcopo FLORENTINO ſubiecti ſunt hi,Nepeſinus, Caſtellanenſis, Montis Falconis, Viterbenſis: Caſtellanus, Volterranus, Feſulanus, Zarzanenſis, Sutri, Ortanenſis, Corneti,Tuſcanenſis, Aretinas, Pientinenſis, Piſtorienſis, Binenſis, Cortonenſis, Balneorigenſis, Vrbeuetanus, Caſtrenſis, Peruſinus, Lucæ, & Lunenſis.

INSVLÆ MARIS TYRRHENI, ſeu TVSCI.

Meloria Inſul.

Gorgona Inſul.

Capraria Inſul.

Palmariola Ilua.

SVNT demum nonnullæ Inſulæ in Tyrrheno, ſeu Tuſco mari, quæ non longè ab ipſa Tuſcia ſunt, ut potè MELORIA olim Lamellum è regione Liburni,deinde verſus Meridiem, & Occaſum GORGONA, & paulò uerſus Ortum, & Meridiem CAPRARIA, à Græcis *Ægilora* vocata: poſtea è regione Plumbini PALMARIOLA, non longè à qua eſt ILVA præſtantior omnium,quæ à Græcis *Æthalia*,& vulgò *Elba* dicitur,ac decem milliaribus à Plumbino abeſt.Hanc habere 100.millia paſſus in circuitu falsò tradit Plinius,cũ tamẽ re uera 50. milliaria,licèt alij 20. tantummodo ponant,complectatur. Quæ & ſi ſterilis frumento,ac fructibus ſit,ferro tamẽ maximè abundat,& Ariſt. æuo non ferro, ſed fęcundiſſima plurimo ære fuit, quæ metalla etiam prorſus euanuerunt, & poſtea ferrum inuentum eſt: quod ſanè ſemel erutum denuo poſt 25. circiter annos renaſcitur,hoc autem notatu dignum eſt,ferrum hic minimè liquari poſſe, niſi alio tranſportetur, ex hac etiam Inſula magnes lapis educitur marmor item, ſulphur, alumen liquidum, calcanthum, ſtamnum, & plumbum. Inſula hæc munita fuit a COSMO MAGNO Tuſcorum Duce, & celebris facta eſt anno 1561. inſtitutione Equitum Sancti Stephani à COSMO MEDICEO Duce. In ea uero eſt portus Ferrarius cuiusuis claſſis capaciſſimus, non longè a quo eſt COSMOPOLIS vrbs ſic à Coſmo prædicto eius conditore nominata, cuius ambitus eſt circiter mille paſſuum,in qua duæ ſunt arces munitiſſimæ,& armamentarium nobile.

Equites D. Stephani.

Portus Ferrarius.


Coſmopolis.

Sunt

Sunt etiam poſt Iluam iuxta Maremmam TROIA, & FORMICÆ Inſulæ, & IGILIVM nunc *Giglio* Argentario monti obiacens, vino, & marmore cognita, ac ambitum 25. mill. habens: non longè à qua verſus Ortum eſt DIANIVM olim *Arthemiſia* uocata,& nunc *Ianuſi*, in qua optimus eſt portus.

Aliæ Inſ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XIII.
LATII, SEV TERRITORII ROMANI DESCRIPTIO.

LATIVM antiquissimam Regionem, quam Leander quartam Italiæ ponit, quidam volunt à Latino Rege dici: quidam vero à Saturno Pontifice, siue Sabatio Saga, qui patria profugus cum Iouis arma metueret, in his locis latuerit. Varro tamen putat, Latij nomen inde huic regioni euenisse, quod inter Alpium & Apennini sublimes præcipitesq; rupes, mare, Tyberim, atque Lirim tamquam abscondatur, & lateat. Nunc vero TERRITORIVM ROMAE dicitur, & vulgò *Campagna di Roma* à Roma eius vrbe ad differentiam Campaniæ fęlicis, quæ est regio Neapolitani regni. Olim Latium diuersę occuparunt gentes, quales fuere Aborigenes, Arcades, Pelasgi, Ardeates, Siculi, Arunci, Rutuli: vltraq; montes Circęos Volsci, Osci, & Ausones, qui omnes à Latio latini vocabantur, eosque prius Cetios, postea Aeneadas, & Romanos fuisse vocatos, scribit Suidas. Plinius asserit in Latio vsque ad illius ætatem populos liij. tam penitus deperditos, vt ne vestigia quidem eorum vlla supereſſent, post quem ad hæc vsque tempora, illorum, quos ipse describit, interijt maior pars cum complu ribus vrbibus ac oppidis, vt iam non solum vestigia non appareant, sed etiã quibus in locis extiterint, exactè discerni nequeat: namque olim terra hæc habitatoribus refertissima fuit, & amplis ac illustribus vrbibus ornata, quæ postmodum cum ob Romæ vicinitatem tum ob barbarorum incursiones & deprędationes maiori ex parte interciderunt relictis paucis, quæ per vniuersum Latium dispersæ sunt.

Latium vnde dicatur.

Territoriũ Romæ.

Primi Latii incolæ.

Latiũ olim populo, & vrbibus refertissimũ.

Gentes porrò hæ cum ingenio essent ferociores inimicitias acriter cum Romanis exercuerunt, orta postmodum inter eos pace maximo illis auxilio in bellis fuere, quæ quidem ad hæc vsque tempora plerunque rudes, & moribus agrestibus, animis audaces, confidentesque ac viribus corporis non minus, quàm olim præstantes.

Latinorum mores.

LATII terminos alij aliter tradunt, sed nos tantum quos Leander prosequitur ponemus, nimirum ab ortu Lirim amnem Campaniam felicem ab hac separans; à meridie mare Tyrrhenum: ab Occidente Tyberim cũ Aniene fluuio; & à Septẽtrione Apenninum. Iacet autem ipsum Latiũ sub quinto climate occupans parallelas 12. & 13. vbi maior æstatis dies est horarum propemodum 15. & includitur meridianis 34. gradus, & 35. gr. cũ dimidio.

Latij fines.

Diuiditur vero in antiquum & nouum Latium. ANTIQVVM LATIVM Seruius ponit à Tyberi ad Fundos, & NOVVM inde vsque ad

Latii diuisio.

Vulturnum fluuium, qui iuxta cumas in mare labitur, & *Natarone* hodie Leandro vocatur. Alij tamen antiquum Latium accipiunt inter Tyberim, & montes Circęos vulgò *monte Circello*, quod quidem est spatium 50. milliarium in longum. Nouum verò Latium computant à monte Circello vsq; ad Lirim fluuium nunc *Garigliano*.

Regionis qualitas.

Regio hæc ingentes, vt ait Leander, meretur laudes, quod in ea totius Italiæ principium exortum, quodque ipsa altrix tot eximiorum hominum fuerit, qui propemodum mundi totius imperio sunt potiti. Et Dionysius quidem Afer, Latinos glorioſum hominum genus nominat, soliq; vbertate, ac ingeniorum excellentia fęcundum. Fertilis autem & abundans, vt plurimũ est hæc regio, ac aquis irrigua, licet aspera, saxosaque loca aliquot habeat: quæ tamen omnino inania non sunt, sed pascuis & syluis venationibus aptis commoda, atque etiam paluſtria quædam loca ad littus, nam vniuersa ora Latij maritima inclemens habet cęlum, & aerem ferè pestilẽtem, vt ab Ostia Sercij ad Terracinam vsque. Infestat etiam Larium palus Pontina: quæ est à Velletro usque ad Terracinam, cuius longitudo 26. milliaria amplectitur, & latitudo sex: hæc autem palus à duobus efficitur amnibus, in cuius loco fertiliſſimi olim fuerunt campi Pomentini uocati.

Pontina palus.

Habet tamen alicubi ora maritima amęniſſimos hortos & fęcundiſſimos citris, & limonibus, & id genus arboribus frequentes, aquisque irriguos. Littus porrò, quod est post Ostiam urbem, usque ad Numicum fluuium longè lateque syluæ occupant, uocaturq; nunc *spiaggia Romana*. Sunt etiam alicubi in Latio planities peramęnę, ac fertiles, atque etiam colles, ex quibus fructuum omnis generis nobiliſſimorum, & uini præsertim magna colligitur copia. quod cum Italiæ cęteris suauiſſimis, ac generoſiſſimis contendit,

Varia vini genera in Latio.

qualia sunt uinum Albanum, Cęcubum, Fundanum, Setinum, Falernum, Veliternum, Priueratense, & alia. uinum quoque Signinum Strabo & Plinius commemorant, quod uetus astringit uentrem. Præterea sunt hic etiam lacus piscoſiſſimi, ut est lacus FVNDANVS, qui multorum piscium piscaturam habet, præsertim anguillarum raræ magnitudinis. & lacus CELANVS, seu ALBANVS, seu MARSICVS, antiquis etiam Fucinus dictus, cuius longitudo, inquit Strabo, est maris instar, hunc ferunt adeò redundare, ut ad mõtium radices, ut scribit Leander, occupata planitie Palestina uniuersa diffundatur. nonnumquam subsidere, ac siccari, ita ut ea loca coli queant. In hoc autem lacu pisces reperiuntur pinnis octo, cum cæteri quattuor tantum habeant, quod à Plinio inter miracula commemoratur. Sunt etiam fontes aquarum ad diuersorum morborum remedia in agro urbis Nomenti in confinio Sabinæ regionis, & in agro Ardeæ Boccatius scribit fontes esse putidos, & aquis sulphureis, atque etiam prope Sermonetam quattuor milliaribus sunt aquæ fętidæ Terracinã uersus effusæ. Non desunt quoq; istic salinę multę circa oppidũ Ostiã. Isthic est MONS CIRCÆVS, vulgò *monte Circello* antiquis famoſiſſimus, in quo Circes habitasse fabulosè fertur, q̃ herbis efficaciſſimis ibi natis hoĩes in bestias cõmutauit: refertus. nec est hic mons robore, lauro, myrto, cæteriſq; ad medicamenta aptis stirpibus.

Fundanus lacus.

Celanus lacus.

Pisces cum octo pẽnis.

Fõtes aquarũ calidarũ.

Circæus mons.

Præcipuus

Præcipuus huius regionis fluuius est TYBERIS omnium Italiæ nobiliſſimus, qui Tybris, & Albula etiam uocatur, nec non etiam lydus, Tuscus, Vulturnus, ac Turrenus, & vulgò *Teuere*. Oritur autem ab Apennino tenuis primo ad instar exigui riuuli, & augetur fluminibus ac torrentibus 42. spatio 150. milliarium, qui Plinio teste rerum omnium in toto orbe nascentiũ mercator est placidiſſimus. Romam autem in duas partes diuidit, & Tusciã ab Vmbris & Sabinis diuidit, neque unquam alueum egreditur, Romamq; inundat, quin malum aliquod illi portendat, quod pluries obseruatum fuit.

Tiberis fluuius.

Primaria vrbs in Latio est ROMA inclyta quidem, ac uniuersi orbis caput, quæ non tam glorioſa olim ob amplitudinem eius imperij fuit, quod ab Herculis columnis usque ad Euphratem, & ab Anglia ad Atlantem extendebatur, quàm hodie ob sedem summi Pontificis, cuius poteſtate, iuſtitia, ac gloria urbs ipsa magnopere perfulget. Condita autem fuit à Romulo anno ante Christum natum 751. & septem intra se colles, seu montes complectitur, nempe Capitolium, Palatinum, Auentinum, Cęlium, Exquilinum, Viminalẽ, & Quirinalem. Ambitus urbis Plinij tempore 20. milliariorum erat nõ connumeratis suburbijs, tuncq; portæ suburbiorum, & urbis in uniuersum erãt 24. & regiones 13. intra se complectebantur, & turres circum urbem Imperio florente 734. numerabantur, in quibus præsidia collocabantur. Nostra ætate ambitus urbis est milliarium 13. uel ut alij dicunt 15 & turres tantũmodo 365. supersunt ac portæ 20. quæ tamen antiquæ non sunt; sed omnia mutata, & conuersa, cum toties ipsa urbs barbarorum incursiones, & uastationes sit perpessa. Hæc uerò urbs temporum succeſſu tot senatores eximios, tot clariſſimos, fortiſſimoſque duces, & egregios Imperatores uniuersi propemodum orbis domitores tulit, & tot denique summos Pontifices ueros Christi vicarios habuit, atq; tot innumera memorãda ipsiusmet urbis tũ antiqua, tũ recentia cõperiuntur, de quibus ingẽtia cõscripta sunt uolumina, vt, superuacaneũ sit plura persequi Tyberis fluuius urbẽ ipsam abluit ac diuidit, qui insulam efficit exiguam nauis specie, lata scilicet in medio ad sagittæ iactum, & in longum extenta duobus stadijs. Vna uerò pars urbis dicitur Transtyberis, quę in Hetruria computatur, alia autem pars est in ipso latio.

Roma orbis caput.

Romæ ortus.

Vrbis ambitus.

Romæ diuisio.

Alia, Latij celebria loca nunc sunt Ostia, Ardea, Neptunium Terracina, & Caieta, quæ sunt ad maris littus. Sed Mediterraneæ urbes ac oppida sunt Velitra Tybur, Præneste, Anagna, Verulum, Alatrium, Babuceum, Signa, & nonnulla alia.

Vrbes & oppida Latii.

OSTIA uetus est ciuitas ad fauces Tyberis fluuij posita, quæ cœlum habet uitioſum ac graue, cum constructa sit in limo Tyberinis aquis allato, ob quam causam incolæ immunitatem à Senatu Romano obtinuerunt. Ager vrbis pepones inter cætera abundè fert. ARDEA antiqua ẽt urbs est, in cuius agro sunt fontes putidi, & aquis sulphureis, & est ditionis Columniæ gẽtis. NEPTVNIVM oppidum ad littus extat, cuius ager fertilis est, & uino frumentoque abundans. Incolæ ut plurimum aucupio, & piscationi uacant propter loci opportunitatem: Namq; littus omne spatio 18. mill. usq; Lauinium, saltus, uepreſq; continuos habet aprorum, capreolorum, & lepo-

Ostia.

Ardea.

Neptuniũ.

rum uenationibus aptos: & quoniã mare glareoſum iſthic eſt, idcirco optimos, generoſoſque piſces habet. Pertinet autem hoc oppidum ad patritios Columnenſes. TERRACINA urbs parua eſt, ſed frequens, & honeſta nõ longe à Pontina palude ſita, cuius ager uerſus mare fœcundiſſimus & amœniſſimus eſt, uitibus, citris, limonibus, & id genus arboribus abundans. CAIETA uulgo *Gaeta* urbs eſt munita, quæ portum habet celeberrimum & arcem inuictiſſimam ſummo in monte. VELITRAS oppidum uetuſtiſſimum Volſcorum ſatis clarum in tumulo ſitum eſt, cuius uina Plinio laudata ſunt, & nunc populo ſatis frequens eſt. TYBVR antiqua urbs uulgò *Tiuoli* in colle 16. milliaribus à Roma diſtante ſita eſt, quæ licet olim collapſa fuerit, arcem tamen nunc munitiſſimam habet, & cœlo temperatiſſimo gaudet. Circa Tybur latomiæ ſunt ubi lapis Tyburtinus cęditur Plinio nominatus. Subiecta Tyburi planities propter Anienem plurimis aquulis gelidis ſcaturit, quas Albulas uocant multa medica uirtute pollentes. PRAENESTE antiquiſſima fuit urbs & munita, ſed hodie quæ extat, amplitudinem non habet ueterem cum pluries ſolo æquata fuerit, eſt autem dictionis Columnarum. ANAGNA, ſeu ANANIA antiquiſsima urbs ac nobilis & caput quondam Hernicorum, nunc ſemiruta iacet, ac penè deſolata. VERVLVM etiam antiqua urbs eſt in Hernicis. ALATRIVM ueterrimum eſt oppidum Hernicorum. BABVCVM ciuitas eſt uetus. & SIGNIA antiquiſsima etiam eſt urbs in Hernicis, cuius uinum olim Plinio commendatur.

Terracina.
Caieta.
Velitras.
Tybur.
Lapis Tyburtinus.
Præneste.
Anagna.
Verulum.
Alatrium.
Babucum.
Signia.

Eſt autem in Latio Eccleſiarũ omnium ueræ religionis Chriſtianæ caput Roma, ubi ſummus Pontifex ſuam habet ſedem, qui quinque habet intra urbem Eccleſias Patriarchales, quæ ſunt D. Ioannis Lateranenſis. D. Petr D. Pauli intra muros urbis. D. Mariæ maioris, & D. Laurentij. quibus eccleſiis aſſignati ſunt epiſcopi octo, qui primum dicebantur archiepiſcopi, quorum ſupremus eſt ſummus Põtifex, ſub quo ſunt reliqui nempe Oſtienſis, qui Patriarcha eſt Campaniæ & ſummum Pontificem conſecrat. Velletrenſis, ſiue Valerienſis, Portuenſis ſiue S. Ruffinæ, & Secundæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, Pręneſtenſis & Albanenſis. Ijſdem eccleſijs aſſignati ſunt Presbyteri Cardinales 28. & Diaconi Cardinales 18. Extra verò urbem in Campania Maritima epiſcopi ſunt hi. Anagninus, Alatrinus, Fundanus, Tyburtinus, Sagninus, Terracinenſis, Verulanus, Feretinus, Soranus, & Aquinus.

Roma veri vicarii Chriſti ſedes.
Epiſcopi, & Cardinales Romæ.
Epiſcopi in latio.

VMBRIÆ,

VMBRIÆ, SEV DVCATVS SPOLETINI, & Sabiniæ deſcriptio.

VMBRIA regio in mediterraneis poſita, & Leandro Alberto tertia in ordine collocata, ab Vmbris uetuſtiſsima gente occupata fuit, quos à Græcis ſic dictos uolunt, ut ait Plinius, quod inũdatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent, hi enim ex uniuerſali diluuio ſeruati huc poſtea profecti ſunt. Duplicem autem Vmbrorum gentem apud auctores animaduertere licet, Primam: ſ. ſeu ueterem, & nouam. VMBRIA PRISCA, ſeu uetus Antonino Saleumprona dicitur, eſtque in agro nũc Volterrano. Sed VMBRIA NOVA ea dicitur, quæ inter Apennini colles, & per Tuſciam longè lateque propagata eſt.

Vmbria.
Vmbri vnde dicti.
Vmbria duplex.

Vmbrorum terminos Plinius, Strabo, Ptolemæus, ac alij diuersè aſſignãt. Nos tamen Ptolemæum ſequuti hoſce populos in Vilumbros & Vmbros diſtinguentes Vilumbrorum fines, qui Vmbris orientaliores ſunt hoſce dabimus, à meridie Tiberim fluuium, ab ortu Anienem, à ſeptentrione Apenninum, & ab occidente Vmbros. Vmbri uerò à meridie Hetruriam habent, ab exortu Vilumbros, à ſeptentrione Senones, & ab occaſu Galliam Togatam. Cæterum hodie Regio ipſa DVCATVS SPOLETINVS dicitur ab urbe id nominis, quæ Ducum Longobardorum ſedes erat, qui præfecturam regionis huius ſortiebantur, ſed finibus, ut ait Leander, longè anguſtioribus includitur, nimirum Tyberi, quantum à fonte ſuo ad Naris oſtium prope Romam patet, item ipſo Nare & Apennino.

Vilumbrorum fines.
Vmbrorum fines.
Vmbria nũc Ducat⁹ Spoletinus.

Regio hæc bonitate agrorum, ubertateque, ac mulierum fęcunditate mirificè à priſcis auctoribus commendatur. quæ quidem maiori ex parte ab Apennino occupatur, gaudetque maximè ſituum uarietate. Nam alicubi altos habet montes ac aſperos; alicubi fructiferis collibus, uitibus, oleis, ficulus, aliisque fructiferis arboribus. conueſtitis exornatur: alicubi uerò amęniſſimas continet planities, quæ frumentum, ninum, cæterasque fruges copiosè ferunt, & in uniuerſum fructus nobiliſſimos tam colles quàm plana fundunt, omnigenaque uina, atque mirificam olei copiam. Incolæ autem ipſi cæteris Italiæ bellicoſiores ſunt.

Regionis qualitas.
Vmbri bellicoſiſſimi.

Præcipuæ urbes ſunt hæ. BVRGVS S. SEPVLCHRI lauta & permunita. CIVITAS CASTELLANA antiquis Tiphernum dicta & uulgo *Città di Caſtello*. TVDERNVM, ſiue Tuder uulgò *Todi* urbs uetuſta & in amęno, ac frugifero colle ſita, quæ tamen nunc ciuilibus diſcordijs propemodum euerſa iacet; & hæ quidem omnes ad Tyberim fluuium poſitæ ſunt. deinde EVGVBIVM, quæ ad Apennini radices iacet non longè à loco, in quo olim fuit Inginium Plinij, & Iſuuium Ptol. antequàm à Gothis diruta eſſet. Hæc urbs hodie ſatis frequens eſt, ac incolis induſtriis ornata, atq; fertili eſt agro tam campeſtri, quàm collino. NVCERIA lateri Apennini adhęrens & Alfatenia olim cognominata, quam à uaſis ligneis Plinius commendat.

Vrbes & oppida Vmbriæ.
Tuder.
Eugubium.
Nuceria.

Fulignum. Assisium. Spoletum. Nursia. Amelia.

mendat. FVLIGNVM amęna in planitiè, ac frugifera, & Tinna fluuio diuisa. ASSISIVM quæ licet ciuilibus discordijs uexata adeò fuerit ut penè interierit, famosa tamen nunc est ob D. Francisci familiæ ordinis minorum conditoris ortum. SPOLETVM partim in plano partim in colle posita, quæ metropolis olim & uetustissimum Vilumbrorum fuit caput. atque etiam hodie populo, ædificijs, & opibus satis claret, & arcem habet munitissimam ac agrum frumento, uino, oleo, cæterisque frugibus abundantem. NVRSIA antiqua ciuitas inter montes perpetuis niuibus occupatos sita, quæ hoc tempore ciuium discordiis pessimè affecta iacet. AMELIA urbs antiqua in colle posita, Ptolemæo, & Straboni Ameria dicta, cuius ager uber & bonus est, ac frumento, uino, oleo, cæterisque frugibus abundans.

SABINIA.

Sabiniæ antiquæ fines.

SABINIAM regionem montuosam, quam olim Sabini habitarunt, terminat Leander ex antiquorum sententia à meridie Tiberis parte, & Nare fluuio nunc *la Negra* ab occasu eius fluuij altera parte cum parte montium: à Septentrione Apęnino: & ab oriente Anio. Vel aliter. Ab exortu solis Latio: ab Austro Vmbria: ab occasu & septentrione Picentibus, & Samnitibus. Sed hodie Sabiniam uocant, quicquid inter lacum Velinum, Reate, Tyberim, Narem, & Anienem continetur.

Quæ pars hodie dicatur Sabinia.

Regionis qualitas.

Regio hæc olim frequentissima fuit, & incolas prudentes, audaces, ac ad omnia aptos habuit; unde eos olim Romulus sibi affines, atque socios Imperij reddere studuit. Sunt autem in hoc tractu, quem Sabiniam hac ætate uocant, plurima oppidula amęnis in collibus, qui uitibus plerumque, ac oleis & ficubus, aliisque fructiferis arboribus ornati sunt, & colliguntur isthic præsertim uuæ passulæ albæ magna copia, quæ exsiccatæ Romam exportantur.

Farfar. amnis. Velinus lacus.

Amnis Farfarus regionem ipsam intersecat, atque in ea etiam est VELINVS lacus, nunc *lago di Pedeluco*, quem Vmbilicum, seu medium Italiæ Plinius ex Varronis sententia esse affirmat. Lacus is, ut ait Leander, collibus editioribus undique cingitur, quamquam in præcelso montium iugo sit, & aquas habet claras, cuius uis est ligna in eo defixa intra paucos dies lapideo cortice obduci. In eo optimi generantur pisces præcipuè Truttæ, & Tincæ sine spinis. Ex hoc lacu aqua per excauatam in saxo uiam mirè præcipitat, adeò ut fragor & sonitus ad decimum milliare exaudiatur. Et hoc aliud etiam mirum contingit, nempe ad sextum milliare nubem quandam perpetuo consurgere ex aquarum fumo propter uehementem undarum concussionem, ut è subiecta ualle sursum aspicientibus iris cęlestis perpetuo appareat.

Miranda de Velino lacu.

Reate.

Celebria Sabiniæ loca nunc sunt Reate, Narnia, Otriculum, Malianum, & Palumbaria. REATE urbs, uulgò *Riete* uetusta est & famosa, & in eius agro fuit olim Plinio teste fons Neminia uocatus, qui uarietate sui ortus

mutationem


mutationem annonæ præsagiebat. NARNIA ciuitas antiqua in præcelsi, saxosi, præruptique montis dorso sita, nunc satis frequens est, & agro bono ad utramque Naris ripam partim collino, partim plano fruitur. OTRICVLVM, seu Ocriculum inter fructiferos colles iacet ad mille passus à Tyberi. MALIANVM, uulgò *Magliano* urbs in alto monte sita hac ætate primaria Sabiniæ est, ac frequens admodum & lauta. PALVMBARIA Sauellorum patritiæ familiæ Romanæ est.

Narnia. Otriculum. Malianum. Palumbaria.

Sunt uero in Spoletano Ducatu, & Sabinia Episcopi hi, nempe Assisinas, Spoletanus, Interamnienſis, Fulginas, Tudertinus, Nucerinus, Amelienſis, Eugubinus, & Narnienſis.

Episcopat. Vmbriæ, & Sabiniæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca


NEAPOLITANVM REGNVM.
MARIS HADRIATICI SIVE SVPERI PARS NVNC
GOLFO DI VENETIA
MARIS IONII
INFERI MARIS PARS
Golfo di Taranto
Golfo di Squillace
Golfo di Policastro
Golfo di Salerno
Golfo di Gaeta
Golfo di Napoli
Golfo di Baia
Golfo di Pozzuolo
Golfo di Gaeta
Golfo di Terracina
Golfo di Venere
Golfo di Spartivento
Golfo di Squillace
Golfo di Taranto
Golfo di Manfredonia
Golfo di Venetia
Golfo di Napoli
Golfo di Salerno
Golfo di Policastro

vulgò *Terra di lauoro*: Lucania, hodie *Basilicata*: Bructij, seu *Inferior Calabria*; Magna Græcia seu *superior Calabria*; Salentini hodie *terra d'Otranto*; Apulia Peucetia, nunc *terra de Barri*: Apulia Daunia, hodie *Puglia piana*; & Samnites, hoc est *Aprutium*, de quibus singulis separatim dicemus.

Regni Neapolitani laudes, & feracitas.

Regio hæc in vniuersum tum montuosa, tum campestris est, & aquarum scaturiginibus abundantissimè irrigata; & cœli temperie, salubritateque, rerum vbertate ac varietate, ingeniorum præstantia, & corporum robore adeò felix ac beata, ut nulli alteri regioni cedat, quemadmodum infra, ubi de singulis eius partibus tractabimus, constabit. Sunt hic nobilissimi portus quàm plures, inter quos præstantes ac famosi sunt Gaetanus, Tarentinus, Brundusinus, Neapolitanus, ac Boianus: montes hic insignes sunt & admirandi: Fontes iucundissimi ac saluberrimi tàm aquarum dulcium & frigidarum, quàm calidarum & medicatarum, quæ diuersis morbis salutares sũt.

Portus celebres.

Fluuij præcipui.

Innumeri isthic sunt fluuij, qui regionem uniuersam mirificè irrigãt, & fœcundant, inter quos nobiliores sunt Truentus hodie *Tronto*, Phiternus hodie *Fortoro*, Sarus hodie *Sangro* uel *Sanguino*, Aternus nunc *Pescara*, Aufidus uulgò *Ofanto*, Vulturnus nunc etiam *Volturno*, *vel Natarone*, ac alij. Promontoria denique aliquot habet insignia, & horribilitate sua famosa, qualia sunt Leucopetra, Lacinium, Iapygium, caput Scylaceum, & caput Vrsi.

Promontoria famosa.

Varietas huius regni.

Cæterum hoc Regnum uarietatem maximam passus est. Nam post Imperij Romani declinationem sub Gothis primum & Longobardis cecidit, deinde ad Græcos & Saracenos peruenit usque ad Normanorum in Italia aduentum tempore scilicet Innocentij Secundi summi Pontificis, cuius imperium Rogerius Secundus Normanus accepit, Normanis successerunt Sueui tempore Cœlestini Tertij anno 1191. Post hos Angolemenses successerunt, quorum primus fuit Carolus sub Clemente Quarto, à quo creatus fuit anno 1265. Translatum deinde fuit regnum ad Arragonenses, ex quibus quinque Reges dominati sunt, quibus ab Hispanis & Francis fugatis, regnum obtinuerunt Franci, quorum duo fuerunt Reges, sed hi iterum fugati sunt ab Hispanis, atque mox Ferdinandus imperium huius regni accepit, post quem Ioanna, & post hanc ad Carolum Quintum ipsum regnum deuolutum est, cui successit Philippus filius Hispaniarum Rex inuictissimus, qui Neapolitanum hoc florentissimum regnum prudentissimè moderatur. In quo quidem Regno Proregem mittit.

Neapolitanum regnũ sub Rege Hispaniarũ.

Sunt uero in hoc Regno septem officia, nempe Magnus Comestabilis, Magnus Iustitiarius, Magnus Admirans, Magnus Quæstor, Magnus Protonotarius, & Magnus Siniscalcus. & præter hos, principes uiri seu proceres Regni magno sunt numero. Nam Principes titulari sunt 21. nempe *Ascoli*, *Auellini*, *Bisiniani*, *Capistrani*, *Cariati*, *Casertæ*, *Conchæ*, *Francauillæ*, *Melphi*, *Meliti*, *Molfettæ*, *Salerni*, *D. Boni*, *D. Seueri*, *Scaleæ*, *Scillæ*, *Squillacis*, *Stiliani*, *Sulmonæ*, *Terami*, & *Venosæ*. Duces præterea sunt 33. nempe *Ariolę*, *Amalphis*, *Andrij*, *Arcæ*, & *Soræ*, *Atry*, *Boiani*, *Bouini*, *Castelli Sanguinarij*, *Castronillaris*, *Euoli*, *Ferrandinæ*, *Feroliti*, *Grauinæ*,

Septem huius regni officia.

Principes titulati.

Duces.

tinæ, *Mataloni*, *Martinæ*, *Montisalti*, *Montis Leonis*, *Nardi*, *Nuceriæ*, *Populi*, *Montisdraconis*, *Diuæ Agathæ*, *Diui Petri in Galatina*, *Seminaræ*, *Suessæ*, *Sicignani*, *Summæ*, *Taliacotij*, *Termoli*, *Terrænouæ*, *Turrismaioris*, *Traiecti*, & *Tripaldæ*; Marchionatus verò sunt 53. Comitatus 58. & dominia 15. Curiæ insuper isthic sunt quaternæ, quas sedes appellant, & vulgo *seggi*, nempe *Capuana*, *Nidensis*, *Moncana*, *Diuiq; Gregorij*, in quibus Principes, Duces, Marchiones, omnesque proceres, & cæteri ordines ad consultandum communiter, ac de rebus publicis conueniunt.

Marchionatus. Sedes, seu Curiæ.

Status porro huius Regni Ecclesiasticus 20. Constat Archiepiscopis, quibus subiecti sunt permulti episcopi, qui ordine sic describuntur. NEAPOLITANVS Archiepiscopus, suffraganeos habet episcopos Nolanum, Puteolanum, qui Regius est, Cumanensem, Acerranum, qui Regius est, & Iscalanum, Auersanus vero exemptus est. CAPVANVS Archiepiscopus habet sub se Theanensem, Caluensem, *Calmensem*, fortè Carinulæ, Suessanum, Venafranum, Aquinatensem, Isernienſem, Casertanensem, Caiacienſem, sed Casinensis nulli subiectus est, ac semper abbas Diui Benedicti Montis Casini in Episcopum eligitur. Sic etiam Fundanus episcopus nulli subiectus est. SALERNITANVS Archiepiscopus Regius est, ac sub se habet suffraganeos, Caputaquensem, *Capuccio* fortè, Polycastrensem, Nuscanensem, Sarnensem, Acernensem, Marsicensem, Nucerinum, sed Rauellensis exemptus est. AMALPHITANVS Archiepiscopus habet sub se Capricanensem, Scalensem, Minorensem, & Siteranensem. Rauellensis autem & Cauensis, nulli subijciuntur Archiepiscopo. SVRRENTINVS Archiepiscopus habet sub se Lobrensem, Salpensem, Vicanum, Castelli Maris, vel Stabiensem, qui Regius est. CANNOSANO Archiepiscopo subsunt Auranensis, Sarranensis, Montisuiridis, Laquedonnensis, Sancti Angeli de Lambardis, Biscienſis, qui in corporatus est cum episcopo Sancti Angeli. ACHERONTI, seu MATERÆ Archiepiscopo subsunt Potentiensis, Tricariensis, Venusiensis, Grauinensis, Angolensis. TARANTINO archiepiscopo Regio subsunt episcopi Motolæ, & Castellanetæ. BRVNDVSINO Archiepiscopo vnitus est Archiepiscopus OCRENSIS, & regius est, habetque suffraganeum episcopum Ostumensem Regium. HYDRVNTINO archiepiscopo qui regius est, subsunt Castrensis, Gallipolitanus, qui Regius est, Licienſis vulgo *di Lecce*, Vgentinensis, Lucadensis, vulgò *Capo di Leuco*, qui unitus est cum Episcopo Alexano. Episcopus Nertonienſis uulgò *di Nardo* fortè, exemptus est. BARENSIS archiepiscopus habet suffraganeos Bitontinensem, Melphitensem, Iuuenacensem regium, Rubentinensem, uel Rubensem, Salpensem, Caurienſem, Bitterensem, Conuersanum, Mineruiensem, Poligniacensem, Cathericensem, & Lauellinensem. TRANENSIS archiepiscopus Regius est, cui subsunt Vigilienſis, Adrienſis, & Pennensis. Episcopi autem Monopolis, qui regius est, Melphienſis, & Troiæ exempti sunt. SIPONTINVS Archiepiscopus, uel MANFREDONIÆ, qui unitus est cum Archiepiscopo montis

Status Ecclesiasticus.

Gargani,

Gargani,uel montis S.Angeli, habet ſuffraganeum epiſcopum Vieſtenſem. BENEVENTANVS archiepiſcopus habet ſub ſe Lucerenſem,Aſculanenſem, Florentiolæ,Teleſianenſem,S.Agathæ,Alifenſem,Montis uiridis,Marſici ueteris,Montis Marani,Auellinenſem,Arianenſem,Boianenſem, Bouinenſem,Tertibulenſem,Dragonarienſem,Vulturanenſem,Larinenſem,Cannenſem, Temelenſem, Leſinenſem, Triuentinenſem regium, Alphienſem, uel Alipharenſem,ROXANENSIS archiepiſcopus nullos epiſcopos habet ſub ſe. Epiſcopus Biſiniani exemptus eſt. CONSENTINVS archiepiſcopus habet ſub ſe epiſcopum Martirani. Exempti ſunt epiſcopi D.Marci, Caſſanenſis, & Melitenſis, qui unitus eſt cum epiſcopo montis Leonis. RHEGIENSIS archiepiſcopus habet ſub ſe Nicaſtrenſem, Tabernenſem, qui unitus eſt cum Cathacenſe. Tropienſem, Cotronienſem regium, Oppidenſem,Giracanſem,Squilacenſem,Nicoteranenſem, Bouenſem, Epiſcopus Inſ.Lipareæ unitus eſt cum epiſcopo Parentiæ & ambo ſubſunt archiepiſcopo Meſſanenſi. ARCHIEPISCOPVS S. SEVERINÆ habet ſub ſe Vmbraticenſem,Inſulenſem, Geneocaſtrenſem,Gerentinenſem, & S.Leonis. Archiepiſcopus THEATENSIS, habet ſub ſe Aquilenſem regium,ciuitatis pennæ,qui unitus eſt cum Atrienſe,Sulmonenſem ſeu Valuenſem,Soræ, & Terami. Archiepiſcopus LANCIANI regius eſt, ſed nullos habet ſub ſe epiſcopos. Nunc autem ad ſingulas regiones deſcribendas deueniamus.

CAMPANIA FELIX, Vulgò Terra di Lauoro.

Campania vnde dicat.

REGIO hæc CAMPANIA uocatur,uel quod Campeſtribus ſe locis pandat: uel potiùs à Primaria olim urbe CAPVA cuius incolæ Campani dicebantur Liuio teſte. Sed hæc ANTIQVA dicitur CAMPANIA ad differentiam Nouæ Campaniæ Romanæ, quæ eſt Latium. FELIX præterea cognominatur ab huius oræ Italiæ fœlici, beataque amœnitate, qua ut ait Plinius, palam uno in loco naturæ gaudentis opus demonſtratur. Poſtremo apud uulgum *Terra laboris* ſeu *Terra di lauoro* nuncupata fuit uel à Leborinis cãpis,quos Plinius Capuæ uicinos memorat, aiuntq; primum Terram Laborianam fuiſſe dictam, poſteaque corruptè Terra Laboris,uel à bonitate & proprietateagrorum, qui ad culturam & arationem maximè ſunt idonei,quodque cum ſermone Italico ſatis conſonat.

Fœlix cur dicatur.

Terra laboris.

Fines regionis.

Regionis huius fines ſũt ab exortu Silarus amnis Lucaniam ab hac dirimens,ac inſuper pars agri Samnitum: à meridie Tyrrhenum mare: ab occaſu Liris amnis nunc Garigliano, qui hanc à Latio ſeparat: à ſeptentrione autem ſunt Samnitium montes. De cuius quidem præſtantia ſic Leander ſcribit. Mirabilis profecto Campaniæ fertilitas eſt,nõ ſolum omnium rerum ad humanæ uitæ neceſſitatem utilium, ſed etiam ad uoluptatem, atque delicias,

Campaniæ laus, & qualitas.

licias, incredibili quadam abundantia fœcundiſſimæ: quamobrem à Plinio Fœlix haud immerito dicitur quod nomen alia præter Arabiam aromatum vbertate nobilem, orbis vniuerſi pars commeruit nulla. Sunt igitur in hac regione ſpatioſi,fertilesque campi,aprici & fructiferi colles, amœna munificaque nemora,iucundiſſimi ſaluberrimique fontes, & aquæ tam ad hominum ſalutem, quàm ad voluptatem; præterea montium iugis ampliſſima tamquàm amphitheatra venatus oblectationi naturæ opera fabricata: tum & in ora & intus cryptæ ac ſpecus ingentes cum ædificiorum admirabilium veſtigiis,aliaque ſexcenta tam naturæ potentiſſimæ,quàm artis eius æmulæ opera,quibus ingenia curioſa mehercule coguntur obſtupeſcere. Hæc ille. Sunt autem in hac regione quàm plures aquarum calidarum ſcaturigines diuerſis ægritudinibus ſalutares. Nam tractus omnis ab agro Falerno vſq; ad Miſenum medicatis,vt plurimum,aquis ſcatet,& non longè à Baiano vico ſunt balnea incolis *Baiana* vocata & Medicis *Syluiana*, deinde balneum *Trituli*, quod vulgò *Ciceronianum* dicitur, & *Prantenſe*, qui locus ſummam habet elegantiam. Fuerunt iſthic etiam *Tripergulanæ* aquæ calidæ celebres, quarum maior pars telluris hiatu interiit, ſimiliter etiam ultra Puteolos in littore multi ſalubrium aquarum fontes prorumpunt, qui diuerſa habent nomina. iſthic sũt minerę ex quibus effoditur ſulphur,& perficitur igni poſt Puteolos uerſus Neapolim,& ibidem etiam eſt conuallis,ubi alumen coquitur. Eſt etiam ſinus *Lucrinus* ſeu *Portus Baianus*, uel *Auernus*, qui de ueteri celebritate nihil amiſit, ac mirè oſtreis & auratis affluit. Ibidem etiam eſt lacus aquæ marinæ, quem incolæ *mare mortuum* uocant, cuius aquas Puteolanus ſinus effundit,quod quidem mare mortuum unà cum ſinu Baiano,ſeu Lucrino Cherſoneſum, ſeu peninſulam efficiunt milliaribus quinque protenſam,quæ tot, tantaque (ut ait Leander) undique ingentium ædificiorum ueſtigia tum ſubterranea, tum ſupra ſolum habet, ut in nulla alia parte Europæ, Roma excepta, tot inueniantur. Eſt etiam hic lacus AVERNVS poetis celebratiſſimus, cuius aqua ſapore ſalſa eſt, & colore nigra, qui ſanè lacus profunditatem habet 360. ulnarum. Sunt etiam hic montes celeberrimi. Nam mons MISENVS ut ait Leander,formam promontorij nanciſcitur,intimis uiſceribus adeò perfoſſus, & cryptis ædificiisque fornicatis, quæ numerus columnarum maximus fulcit, ac ſuſtinet, excauatus eſt, ut iis fornicum pilis incumbere prorſus & inſidere uideatur. Eſt mons VESEVVS, nunc ab oppido Summa *Summanus* dictus, ad eius radices ſito, qui ut ait Procopius,à Neapoli 70. ſtadiis ferè abeſt,urbemque ipſam,& Aquilonem ſpectat undique à circumiectis montibus diuiſus,circum radices ſaltibus ſyluoſis,ut etiam in ſummis cacuminibus,quippe ubi inuius,horriduſque eſt. Medio eius uorago profunda, quam in intima ferè uiſcera prælte penetrare coniectura eſt, hinc ignis & flammæ erumpunt. Hactenus Procopius. Habet itaque hic mons fontes ignis maximos,ac olim omni ex parte excelſus erat,antequam internæ partes igni conſumerentur,in cineremq; uerterentur; fumum interdiu, noctu uero flammam reddit, & puluerem proiicit,ſaxa uentorum impetu emittit,& maximos ſtrepitus reddit. Ferunt

Aquæ calidæ.

Minerę ſulphuris.

Aluminis minera.

Sinus Baianus.

Mare mortuum.

Auernus lacus.

Miſenꝰ mõs

Veſeuꝰ mõs ſeu Sũmanꝰ

Ignis fontes.

ad hunc

ad hunc montem cum Plinius secundus ad perscrutandas eius incendii causas nimis accederet, ui æstus ac sulphuris odore interiisse.

Capua. Olim huius Regionis caput fuit urbs CAPVA, quæ ob eius opes, amplitudinem, ac potentiam Carthagini & Corintho æquiparata fuit, at nunc in ruinis iacet, uisunturque adhuc peringentia rudera, quæ satis splendorẽ, amplitudinem, ac magnificentiam ipsius declarant. Et duobus ab ea milliaribus ad dexteram Vulturni ripam condita est NOVA CAPVA. Nunc autem caput non tàm huius regionis, quàm uniuersi regni NEAPOLIS est urbs lautissima ac nobilissima maris littori, & amœnissimorum collium radicibus apposita, & *Parthenope* quondam uocata, cuius forma oblonga est, ac circuitus septẽ milliarium, splendidissima uero ædificia, mœnia firmissima, & arces penè inuictas habet, præsertim *Castellum nouum, Castellum Capuanum, Castellum Oui*, & *Castellum Sancti Tremi*. Vias præterea elegantes, ac directas habet, & aere permolli, placidissimo, ac iucundissimo gaudet, quò fit vt ad eam Principes viri ac nobiles nõ tam recreationis & voluptatis, quàm sanitatis gratia, sicut olim, concurrant. Incolæ numerosissimi sunt, & omni nobilitate clari. Extra vrbis huius muros versus Austrum *Moles* in mari conspicitur summa arte confecta ad portus commoditatem, atque tutelam, vbi ex omnibus orbis partibus naues concurrunt. Gymnasio publico omnium disciplinarum à Federico II. Imperatore urbs ipsa nobilitata est, ubi innumerus studentium numerus confluit. Prodierunt ex hac urbe aliquot summi Pontifices, & multi Cardinales, alijque præstantes uiri. Ager urbis amœnissimus est, iucundissimus & delicioſissimus omniumque frugum, & fructuum mirè fœcundus, imprimis autem hortis cultissimis adeò ornatur, ut paradisus deliciarum totus hic tractus uideatur.

Neapolis.

Moles.

Vrbes Campaniæ. Præter Neapolim sunt aliæ quoque urbes in Cãpania satis claræ, utpote. *Theanum, Caluum, Auersa, Caserta, D. Agatha, Nola, & Summa*. Isthic fuit etiã CVMÆ urbs antiquissima ac nobilissima in monte ascensu difficili & arduo posita, ac ad mare spectans, non longè à qua urbe uersus Auernum lacum, antrum est admirabili arte ac maximis sumptibus in saxum effossum, quod quidem hodie uulgò *Sybillæ cauerna* nũcupatur. Est etiam PVTEOLI ciuitas, à qua Puteolanus sinus dicitur antiqua & Cumanorum olim emporium, licet hodie non ita ampla sit, ut olim.

Cumæ urbs

Sybillæ cauerna.

PICENTINI.

Picentini. SVNT in Campania PICENTINI populi sic dicti ab urbe Picentia præcipua olim, & primaria ipsius gẽtis, quã quidem Picentinorum regionem nunc *Principatum* uocãt. Eiusque termini sunt ab occasu Campania, à septentrione Hirpini, ab ortu Silarus amnis & Lucania, & à meridie Tyrrhenum mare. Hæc autem regio latitudine milliaria 16. occupat, & longitudine 33. Et eius præcipuæ vrbes, ac oppida sunt Nuceria,

Fines Picentinorum.

Mensura.

ceria, Sanseuerinum, Surrentum, Massa, Vicus Riuellum, Amalphis, & Salernum. NVCERIA ciuitas distat à mari 9. milliaribus, & à *Sarno* quatuor, cuius ager uberrimus, amœnissimus, ac pagis refertissimus est. SANSEVERINVM oppidum celebre est ob uinum uermiculum, quod de nomine oppidi uocatur, estque maximo in precio Romæ. SVRRENTVM antiqua ciuitas monti insidet, sed eam non habet hodie amplitudinem sicut olim, licet agro potiatur iucundissimo, uberrimo, ac uitibus, citris, aliisq; nobilibus arboribus ornato, Surrentinum uerò uinum Plinio propter tenuitatem ac salubritatem laudatur. MASSA agrum habet uino abundantem quod Massicanum uocatur. VICVS exigua ciuitas est. RIVELLVM noua est ciuitas, quæ cum primis totius Regni elegãtia & ædificiorum splendore certat. AMALPHIS nobilissima urbs est, licet olim splendidior fuerit, in ea inuentus fuit primum pyxidis seu magnetis nautici usus. Ab hac urbe nomen capit ora seu *costa Amalphica*, quam sic Leander describit. Amalphica ora ad meridiem spectat, amœna tota, lætaque, ut adeò uix cum alia quauis regione comparari rectè possit. In longum ferme 20. mill. porrigitur, & altos, asperosque montes habet præsertim qua parte mari imminet. Eorum ascensus tam difficilis est, ut uel aspectu solo languorem incutiat. At enim inter horridas eas rupes iucundissimæ ualles panduntur cum fontibus & aquarum scatebris, unde riuulis amœnissimi passim grato cum murmure profluunt: quare fit ut mirum in modum frequentes colonis excultæque sint, & adeò cunctis fructiferarum arborum generibus, ueluti punicis, medicisque, ac citris, item oleis, pyris, prunis, cerasis, ac similibus exornatæ, confertæque niteant. Par etiam hic uitium elegantia, præterea cum oculos tum odoratum topiaria ex myrto, lauro, buxo, gelsamino, hedera, rosmarino rosaque, & eiusmodi nobilibus arbusculis, & odorem suauissimum aspirantibus, & conspectu gratissimis equidem mirificè delectant. Cœlum agri temperatum, mare propemodum undique patet. Hæc ille. SALERNVM urbs antiqua distat à mari mille passibus, intra cuius muros, atque etiam extra horti sunt amœnissimi, ac cultissimi, aquisque irrigui, qui malorum medicorum, omnis generis, limonum, citriorum, malorum punicorum, & omnia fructuum genera abũdantissimè ferunt, gymnasio quoque publico ornatur, & principatus titulo decoratur.

Nuceria.

Sanseuerinum.

Surrentum.

Massa.

Vicus.

Riuellum.

Amalphis.

Costa Amalphica.

Salernum

LVCANIA, SEV BASILICATA.

LVCANIA regio montuosa ferè uniuersa est & horrida; ideoque propter uias difficiles, nemorumque saltus latrociniis infecta est, attamen nunc longè frequentior incolis est, quam olim. Terminatur ab occaso Silaro amne, qui Campaniæ limes est; à meridie mari Tyrrheno, ab ortu fluuio Iao, & Brutiis, magnæque Græciæ parte, à Septentrione Peucetijs. Huius regionis præcipuæ urbes, ac oppida sunt hæc.

Lucania.

Lucaniæ fines.

PAESTVM

Pestū vrbs. PAESTVM urbs, quæ POSSIDONIA etiam uocatur, & uulgo *Peste*, antiqua est, & miram cœli clementiam habet, unde in ea quotannis bis rosæ proueniunt, uerum hodie ipsa urbs propemodum interiit. ACROPOLIS oppidum aere præstantissimo gaudet. POLYCASTRVM urbs circa medium Pœstani sinus est, titulóque ducatus nobilitatur, quæ sanè loca omnia littoralia sunt. Sed in mediterraneis sunt. PADVLA nobile oppidum, CAPACIA, quæ olim admodum frequens fuit, opulentaque ac titulo Ducatus ornata, sed hodie penè deserta iacet. DIANVM oppidum antiquum, opulentum ac nobile, cui *vallis* circumiacet *Diania* uocata ad nauiculæ formam, cuius lõgitudo 20. mill patet, & latitudo quatuor, quæ adeò amena est, ac ferax, ut nulli agro uniuersi huius regni cedat.

Acropolis.
Policastrū.
Padula.
Capacia.
Dianum.
Vallis Diania.

BRVTII, SEV INFERIOR CALABRIA.

Calabria inferior.
Brettij.

BRVTIORVM regio, *Calabria* nunc *Inferior* vocatur, ad differentiam superioris Calabriæ, quæ est Magna Græcia. Hi populi quibusdam BRETTII dicuntur, & Polybius BRETTANIAM regionem vocat; à recentioribus vero quibusdam *Sicilia* cis *Pharum* nominatur, ad differentiam insulæ Siciliæ, quæ intitulatur Vltra Pharum. Vniuersam Calabriam prout superiorem & inferiorem comprehendit sic Leander describit. Tota ferè montibus, collibusque fructiferis, & conuallibus amenis constat. Triticum, hordeum, aliaque frumenti genera, vinum item uarium, oleum, ficus, aliosque fructus nobilissimos, saccharum, mel, ceram, salem natiuum, factitiumque, sed & aurum, argentum, lanam, gossipium, crocum habet, aliaque similia. Serico tam abundat ut in hac una regione non minor eius quantitas, si conferre uelimus, quàm in omni Italia reliqua fiat. Hic lini, cannabisque summa copia, quin etiam de cælo manna pluit, res profecto admirabilis. Iuxta littus utriusque maris, ac item intus in Mediterraneo horti conspiciuntur amenissimi, arboribus medicis, citris, limonibusq; uariorum generum pleni. Flumina quoque passim opportuna, gratissimi colles Apennini, densa præcelsis ilicibus nemora, ualles fecundissimæ. Populis est regio cum primis frequens, quamquam maiori ex parte moribus inculti agrestem uitam ducant. color propemodum omnibus aquilus. Ingenia tamen summa, plurimi item excellentium morum, uirtutibusque præstantes uiri ex iis extitere semper &c. Hæc Leander.

Qualitas vniuersę Calabriæ.

Brutiorum fines.

Cæterum fines Brutiorum, seu inferioris Calabriæ iuxta Ptol. sententiam sunt à Septentrione Magna Græcia, quam superiorem Calabriam uocant unà cum amne Crathide, & Apennini parte: ab occasu est amnis Laus cum Lucanis: à meridie Tyrrhenum mare & fretum Siculum: ab ortu uero Adriatici maris pars.

Corallū, & saccharū profert inferior Calabria.

In inferiori hac Calabria corallum probatissimum inuenitur circa littus D. Euphemiæ, & in oppido Adamantio saccharum abundè prouenit, atque in con-

in conualle quadam è regione Altomontij manna colligitur è frondibus, & arborum trũcis, quæ noctu rorat. Præterea in littore quotannis mense Maio Thunni incredibili frequentia capiuntur, qui sale conditi per uniuersam Italiam exportari solent. Isthic est promontorium insigne LEVCOPETRA Ptolemæo uocatum, & nunc uulgò *Caput armorum*, uel *Capo di Spartauento* uel *di Spartimento*, quòd huc, ut ait Leander, è Sicilia naui delatis, quoniam in mare superum uenerunt, commutare uela necesse sit, alioque uento cursum instituere, si progredi uelint. Isthic etiã sunt amnes mirabili uirtute prædíti, ut est CHRATHIS, qui capillis flauũ, & serico album colorem inducit, & BVSENTVS, qui nigrum & fuscum colorem capillis & serico inducit.

Thunni pisces.
Leucopetra promontorium.
Amnes mirabiles.

Metropolis & caput huius regionis est CONSENTIA urbs antiqua in decliuo Apennini sita, quæ septem complectitur colles, & arcem in iugo montis munitissimam uniuersæ urbi & circumiacentibus locis imminẽtem. Claudunt ipsam urbem duo amnes nempe Chrathis, & Busentus, estque hodie satis nobilis, ac diues, licet olim amplior, & opulentior fuerit. Agrum habet fœcundissimum omnium fructuum, ac frugum, & bombicium animalium, quæ sericum producunt, magnam nutrit copiam. In quo etiam agro tot oppida, ac uici sunt, quot in ullius uniuersæ Italiæ ciuitatis agro, unde una ac perpetua potius ciuitas uidetur.

Consentia.

Præter iam dictam urbem sunt alia loca clara hæc. MANTHIA ciuitas munitissima cum arce insigni. FREDVS, & BELMONTIVM oppida, quæ agros habent amenissimos, elegantissimos, & accuratè cultos. D. EVPHEMIÆ oppidum, quod propinquo mari cognomen dedit. TROPIA pulcherrima ciuitas, opulens, & populo numerosissima, quæ agrum fertilissimum & amenissimum habet. RHEGIVM ciuitas antiqua, quam prisci scriptores *Rhegium Iulium* uocant, sita autem est in Italiæ fronte seu fine, atque olim potentissima, munitissima, ac ualidissimum contra Siculos propugnaculum. Nunc autem infrequens, & penè deserta iacet, ipsamque hoc anno 1594. Turca exarsit. CASTRVM VILLARE, quod editissimo impositum est iugo. ALTOMONTIVM in præcelso uertice iacet, à quo salis fodinæ mille passibus absunt, ac etiam non longè sunt montes editissimi, qui ferè semper niue tecti sunt, in quibus Chrystallus magna copia reperitur. MONSALTVS urbs cum titulo Ducatus agro potitur fertili, sed incolas habet inopes, & moribus agrestes, qui ruditer inhabitant. TVRRANVM, RVGIANVM, & DIVI MARCI oppida, quæ agrum habent uino, cæterisque fructibus optimis abundantem. MARTVRANVM uetus ciuitas in Apennino iacens. TABERNA oppidum nobile ac frequens. CATANZARVM oppidum ornatissimum. NICASTRVM ciuitas tribus à mari distans milliaribus, splendidis ædificiis, & pereleganti agro, cultissimoque ornata. MONS LEO ciuitas in Apennini colle iacet, ubi prius *Hippon*, seu *Vibo Valentia* fuit, titulum autem comitatus habet. BRIATICVM oppidum agro fecundo, uinetis, hortis

Manthia.
D. Euphemiæ oppidum.
Tropia.
Rhegium.
Castrū villare.
Altomontium.
Monsaltus.
Turranum.
Rugianum
Martiranū
Taberna.
Cantazarū.
Nicastrum.
Mons leo.
Briaticum

Terranoua. cultissimis,& omni fructuum genere refertis. TERRANOVA ciuitas populo abundans.

MAGNA GRÆCIA, NVNC SVPERIOR Calabria.

Magna græcia cur dicatur.

DE MAGNÆ GRECIÆ nominis origine dubium est apud auctores,sunt tamen qui dicant sic appellatam fuisse à magnis vrbibus,quas Græci in ea condiderunt. Constat enim olim eam à claris Græciæ populis,ac principibus inhabitatam fuisse. Huius etiã fines variè à scriptoribus traduntur, sed nos Ptol.sequendo terminabimus eam ab ortu Adriatico mari:à meridie fluuio Alice,& Brutijs:ab occasu Chratidis amne cum Apennino & Lucanis: à septentrione vero sinu Tarentino cum Apulis Peucetiis. Sunt in hac parte duo insignia promontoria, quorum vnum est LACINIVM, quod olim à Pythagora summo Philosopho inhabitatum fuit, ubi Philosophiæ Scholam erexit. Alterum dicitur CAPVT SCYLACAEVM Scopulis,& marinorum æstuum tum ingenti fremitu reciprocatione periculosum.

Eius fines.

Lacinium. prom.

Caput Scylacæum.

Hieracium. Præclaræ urbes, & oppida huius regionis sunt hæ. HIERACIVM urbs titulo marchionatus insignita. BELICASTRVM ciuitas distans a mari 8. milliaribus, ubi olim fuit antiqua *Petilia*. CROTON urbs antiquissima & famosissima,quæ nunc titulo marchionatus ornata est,licet frequẽtia & amplitudine ut olim nõ adeò sit. CARIATHIS ciuitas perhonesta iuxta littus, quæ titulo comitatus insignita est. BISINIANVM urbs titulo principatus ornata cum munitissima arce. TARSIA oppidum antiquum,opulentum,ac frequẽs,& optimo agro. TERRA NOVA oppidum, & CORLIANVM, quæ agrum habent peramœnum ac fructiferum. ROSANVM munitissima ciuitas ac agro fœcundissimo, & amœnissimo gaudens,quæ à mari distat tribus milliaribus. CASSANVM ciuitas. ALTAVILLA oppidum cum principatus titulo, ac agro uberi & optimo. MATERA, quę amœna in ualle iacet, estque urbs archiepiscopalis, frequens, opulenta, & optimo agro. GRAVINA titulo Ducatus insignita. TARENTVM antiquissima, nobilissimaque ciuitas, & Magnæ Græciæ finis iuxta Ptolemæum, quæ portum habet celeberrimum à se *Tarentinum* uocatum. Fuit hæc urbs Architæ Philosophi patria, & nunc titulo principatus ornatur, cuius ager fertilis & amœnus est, ac salem mittit candidissimum,& suauissimum,quod Plinio commendatur.

Hieracium.

Belicastrũ.

Croton.

Cariathis.

Bisinianũ.

Tarsia.

Terranoua.

Rosanum.

Cassanum.

Altauilla.

Matera.

Grauina.

Tarentum.

Portus Tarentinus.

SALEN-

SALENTINI, SEV TERRA Hydruntina.

Hydruntina terra cur dicta.

REGIO hæc antea IAPYGIA,& MESSAPIA dicta fuit, & recentissimè nunc Italis ab Hydrunto urbe *Terra Hydruntina* dicitur,cuius fines à Leandro ponuntur tali pacto. A meridie est Tarentum, & mare usque ad promontorium Salentinum: ab oriente idem etiam promontorium cum Ionio mari: Itemque à Septentrione ab Hydrunto nimirum usque Brundusium: deinde ab occasu Apulia Peucetia, cum parte magnæ Græciæ. Eius autem forma est ad peninsulæ instar,Ionio Adriaticoque mari circumscripta, cuius latitudo inter Brundusium & Tarantum Plinio est 30.mill. sed 40. Rassano. circumnauigatio uero est 200. mill. unde totius regionis ambitus colligitur milliarum circiter 240.

Eius fines.

Eius forma.

Mensura.

Regio hæc saluberrimo gaudet aere, & fertilis est, ac opima, cuius solũ supremum licet asperum appareat,attamen aratro apertum glebam admodum pinguem habet ac vberem: videtur etiam aquarum penuriam pati, nihilominus pascua habet lætissima, & arborum vbique multitudinem. Profert itaque frumenti,hordei,auenæ,& olei præsertim,magnam copiam. Nam totus tractus inter Hydruntum & Brũdusium oleis mirè refertus est, quæ maximam olei suppeditant copiam: crocum quoque aliquibus in locis colligitur: citria, melones & alij fructus isthic optimi prouenunt: boues præterea,asini, & muli optimi hic aluntur. Attamen locustæ interdum magnum detrimentum segetibus afferunt.

Regionis la & qualitas.

Maxima isthic olei copia.

Incolæ moribus simpliciores sunt, quàm circumuicini populi. & olim, vt Strabo refert, 13. honestissimas vrbes habuerunt, quarum duæ solum illius ætate supererant, nempe Brundusium & Tarentum, reliquæ ad exigua oppida redactæ sunt. Hodie vero nulla est vrbs in hoc tractu insignis præter ALETIVM vulgò *Lecci*,reliqua sunt oppida,quæ ruinis sunt exposita. Distat autem Aletium à Salentino promontorio, quod nũc *D.Mariæ caput* vocant mill.30.estque elegãtibus ædificijs, populo frequẽs, & opulenta. Consilium in ea Regium totius Apuliæ exercetur, & in ea proceres totius huius tractus resident. Eius ager optimus est ac frumento, vino, oleo, amygdalis, medicis malis,& aliis fructibus abundans. HYDRVNTVM vulgò *Otranto* ciuitas veterrima est,vt diximus,& clementissimo cœlo potitur,quæ quidem licet exigua Strabonis ætate fuerit: attamen hodie satis frequens est, Arcem habet in saxo,quod mari imminet tutissimam atque etiam portum satis capacem, licet ventis Borealibus obnoxius sit. Eius ager amœnus,fertilis,& hortis cultissimis ornatus est. BRVNDVSIVM nunc *Brindisi* antiqua vrbs, & olim Salentinorum caput, ac mirè frequentata,hodie deserta propemodum & collapsa iacet ob ciuiles discordias, & aerem habet inclementissimum. Portum habet olim cum pri-

Incolarum mores.

Aletium.

Hydrũtum.

Brundusiũ.

mis vniuersi orbis certantem, qui tamen nunc repletus est adeò vt vix per eum triremes percurrere possunt. duæ isthic sunt arces permunitæ,& ipsa urbs Archiepiscopalis est, cuius ager fertilissimus & uberrimus est præsertim olei cuius mira copia colligitur. CASTRVM urbs maritima mercatoribus frequens est coemendi olei gratia,quod in ea è circumuicinis locis affertur. Isthic etiam est GALLIPOLIS ciuitas, quæ *Anxa* Plinio vocatur, iacet aũt in scopulo quodã mari undiq; percincto, & ponte continenti adhærer, situmque natura munitissimum habet, ut ait Leander,unde inexpugnabilis uidetur. A mercatoribus autem frequentatur præcipuè Genuensibus. Huius ager fertilissimus est oleo,uino,croco,& cæteris fructibus,ac mare isthic piscibus abundat.

Castrum.

Gallipolis.

APVLIA PEVCETIA, NVNC TERRA Bariana.

Apuliæ diuisio.

APVLIA iucundissima est regio, quæ ab antiquis in duas diuiditur, nempe in Peucetiã, & Dauniam intermediante fluuio Aufido. Nam ea pars, quæ est à Brundusio & Tarento usque ad Ausidum fluuium,dicitur PEVCETIA, à Peutio scilicet Oenotri fratre, sed nunc dicitur *Bariana*, seu *Terra di Bari* ab urbe Bario primaria. Reliqua uero pars inter Aufidum & Phiternum amnes dicitur DAVNIA,de qua infra dicemus. Fines uniuersæ Apuliæ sunt ab ortu Salentini, à meridie Lucani,Hirpini, & Samnites, à Septentrione sinus Ionicus uel Hadriaticus,ab occasu Phiternus amnis, qui est Aprutij terminus.

Apulia Peucetia.

Apulia Daunia. Fines Apuliæ.

Apuliæ qualitas.

Regio hæc fructuum optimorum ac nobilissimorum ubertate, ac uarietate; agrorum feracitate,qui triticum, hordeum, linum,oleum, amygdalã, uinum gossipium, & cætera ad humanum usum necessaria abundantissimè ferunt; cum reliqua ferè omni Italia conferri potest. Sunt tamen nonnulla in ea loca,quæ pluuiis,& aquis laborant, ut non immerito ab Horatio *Siticulosa Apulia* uocitetur. Conditur uero hic uua saccharo,aliisque rebus aromaticis tam excellenti arte,ut miram suauitatem præbeat.

Siticula Apulia.

Primaria urbs,& totius regionis caput est BARIVM,uulgò *Barì*,antiqua, pulchra,lauta,populo frequens, atque agro fertilissimo, cui uicina ora importuosa est. Reliquæ urbes, ac oppida sunt. MONOPOLIS noua urbs, quæ licet parua sit, pulchra tamen, splendida, ac ædificiis magnificis ornata est, atque eius ager fœcundissimus est, præsertim oleis. POLINIANVM urbs in prærupta ac saxosa rupe iacens,lauta satis, ac populo frequens. MOLFETTA urbs, quæ Principatus titulo clara est, ac uberrimo agro potitur. TRANVM antiqua urbs, & ædificiis ornata. licet incolis parum frequens sit, olim portum satis commodum habuit, qui nunc arena oppletus est. BARVLVM oppidum nunc *Barletta*, quod quidem inter quatuor nobilissima Italiæ oppida cõnumeratur,quæ sunt *Fabrianum* Piceni,*Pratum* Tusciæ,*Crema* Lombardiæ,& *Barulum* Apuliæ. VENVSIA, uel Venusium antiqua urbs, BITONTVM nobilis, ac frequens, & ANDRIVM, in qua fiunt uasa fictilia elegantissima.

Barium.

Monopolis.

Polinianũ

Molfetta.

Tranum.

Barulum.

Venusia.

Bitontum.

Andrium.

APVLIA DAVNIA, NVNC VVLGO Puglia piana.

Apulia plana cur dicatur.

HÆc APVLIÆ pars, quæ DAVNIA uocatur, *Apuliæ* etiam *planæ* nomẽ est sortita, à latissimis nimirum campis,& agrorum planitie. Eius fines sunt ab exortu Apulia Peucetia cum fluuio Aufido: A meridie Apenninus, qui Hirpinos & Samnites ab hac regione segregat: ab occidente Aprutium cum Phiterno amne: à Septentrione autem Adriatici uel Ionij maris pars.

Eius fines.

Apuliæ plana qualitas Lacus Lesinæ.

Est autem ipsa regio fertilissima præsertim tritico aliorumque frumentorum generibus. In ea est Lacus *Lesinæ* ab urbe id nominis uocatus, quæ nunc deserta est; qui lacus ambitu suo 40. milliaria complectitur, ac optimorum piscium copia mirè affluit, præsertim anguillis spectatæ magnitudinis. Isthic etiam est mons GARGANVS, nunc *S. Angeli* uocatus, qui præceps,abruptus,& præcelsus est,ac magnæ uastitatis ac amplitudinis, utpote 120.milliarium,siluis nihilominus, planitiebus amœnis & pratis lętissimis ornatur,ac ualde fructifer est,& aquis abũdans, piscosisq; lacubus, quorum nobilior est Varanus, qui ambitu suo 30.milliaria amplectitur.

Mons Garganus.

Præcipua loca huius tractus sunt. SALPE antiqua urbs, cui uicinus est lacus *Andurianus*, qui, ut refert Plinius, neque exhaustis aquis minuitur, neque augetur infusis. MANFREDONIA urbs nobilis ac magnifica,quæ in rupe sinus marini,quem Gargani montis flexus efficit ob desolationem Siponti ædificata est. Hæc autem iuxta littus arcem habet inexpugnabilem,& portum satis tutum, qui cõmodam nauibus stationem præbet,in qua quidem urbe Archiepiscopi Sipontini sedes translata est. D.SEVERI oppidum nobile,& diuitijs ac populo abundans.

Salpe.

Manfredonia.

D. Seueri oppidum.

Est in hac regione campestris quædam pars,uulgò *Capitaniata* uocata,& corruptè *Capitinata*,quæ quidem arboribus caret,& aquis destituitur,ac raras habet habitationes, sed ad pascendos armentorum innumeros greges peropportuna est, atq; etiam tritico,hordeo,uino,cęterisque frugibus mirè abundat. In hac autem est LVCERIA urbs antiqua satis opulenta, deinde TROIA ciuitas diues, & fęcundo agro, quæ titulo Ducatus, & Episcopatu insignis est. Et ASCVLVM titulo Ducatus clarum oppidum, quod antiqui *Asculum Satrianum* nominarunt, ad differentiam alterius Asculi in Aprutio.

Capitaniata.

Luceria.

Troia.

Asculum.

SAM-

SAMNITES, SEV APRVTIVM.

Sãnites populi.

SAMNITES populi comprehendunt *Frentanos, Caracenos, Pelignos, Marrucinos, Præcutinos, Vestinos, Samnites, & Hirpinos*, qui quidem omnes postea nomen SAMNITIVM ab vrbe Samnio obtinuerũt. Vnde autem Regioni huic *Aprutij* appellatio enata sit, non est facilè iudicare propter auctorum dissensiones. Habet autem regio ipsa ab exortu Apuliam planam cum Phiterno amne vulgò *Salino* : ab occasu pars Sabinorum & Picentinorum cum amne Truento, nunc vulgò *Tronto* : A septentrione Adriaticum mare : à meridie vero Apenninum.

Aprutij fines.

Aprutiæ la' & qualitas.

Regio hæc summa cęli salubritate gaudet, vnde populis admodum frequens est : amęna est, & commoda versus mare, sed montibus & collibus aspera in mediterraneis. est verò cæteris huius regni regionibus frigidior, atque satis rebus omnibus affluit, imprimis verò crocum abundè mittit, & & animalia innumera nutrit. Montes isthic nonnulli memorabiles sunt, vt est MAIELLA mons altissimus Apennino adiacẽs, qui amplitudinis vastissimæ, ascensu difficillimus, & rupibus asperrimus est, cuius cacumẽ perpetua niue tegitur, atque multa herbida habet prata, plurimosque effundit fluuios. sic quoque in Samnitibus montes adeò alti sunt, vt etiam ipsius Apennini celsitatem superent. Mons quoque Virginis est nominatissimus ob D. Mariæ templum, qui quidem præcelsus est, & altitudine sua Apenninum etiam excedens.

Maiella mons.

Mons Virginis.

Aqla urbs.

Primaria huius regionis vrbs & caput est AQVILA, recens quidem & in alto posita monte, quæ inter potentissimas huius regni cõnumeratur, cuius ager fęcundissimus est, præsertim croco, ex quo prouentum 40. millium aureorum incolæ recipiunt. Cætera loca insignia sunt, quæ sequuntur.

Beneuentũ.

BENEVENTVM antiquissima Vrbs, ante *Maleuentum* vocata, vt Plinius & Liuius testantur, propterea quod venti hic & turbines adeò sæuiunt, ut homines equis insidentes simul rapiant, ac in terram præcipitent. Sita autem est in colle, cui amęnissima planities, & aquis irrigua subiacet, quæ Beneuentana uallis uocatur, estque fertilis, & oppidis admodum frequens.

Terminus.

TERMINVS, uel Termole oppidum in peninsula iacens, munitissimum

Bouinianũ.

quidem & titulo Ducatus ornatum. BOVINIANVM ciuitas uulgò *Boiano.*

Luparella.

LVPARELLA oppidum in altissimi montis faucibus situm, munitum satis,

Ortona.

& ædificiis, populoque frequens. ORTONA, seu Ortonium peruetus ciuitas, ubi naues ex Epiro Dalmatia, ac aliis locis appellunt ad Lanciani nundinas merces afferentes.

Lancianum

LANCIANVM urbs quatuor à mari milliaribus distans, ubi olim Anxanum fuit, est autem emporium celebre, quod ex omnibus mundi partibus mercatores quotannis adeunt.

Sulmo.

SVLMO ciuitas Nasonis Poetæ patria, quæ pulchra, frequens, & aquis diues est.

Theate.

THEATE antiqua urbs, & uulgò *città de Chieti*, quæ edito in colle iacet 7. milliaribus

Pinna.

à mari distans, ac loci amęnitate mire gaudens. PINNA urbs antiqua uulgò *Città*

gò *Città di Penna*, quæ nobilis satis nunc est. licet non adeo ut olim opulenta, ac frequens sit. TERANVM, Ptol. *Interamnia*, quæ caput est Præcutinorum, & Episcopali ac Ducatus titulo clara.

Teranum.

ASCVLVM antiquissima

Asculum.

ciuitas, quam Ptol. & Plinius in Piceno ponunt. Lucius Florus in Apulia, sed Leander in Aprutio ; iacet munitissimo in loco mœnibus firmis, altisq; iugis cinctum, accessu militaribus copiis perdifficili.

Altauilla.

ALTAVILLA Principatus titulo ornata.

Thelesia.

THELESIA antiquissima urbs, in qua amnis adeò frigidus oritur, ut nullum generet piscem.

Sora.

SORA urbs antiqua, quam Strabo in Campania felice locat, Ptol. in Latio, & Leander in Samnitibus. Iacet autem prope Lirim amnem, nunc Garigliano, & populi frequentia, ac Ducatus titulo gaudet.

Aquinum.

AQVINVM antiqua urbs, & D. Thomæ ordinis Prædicatorum summi Philosophi, ac Theologi patria, quæ tamen nunc collapsa ferè iacet cum titulo Comitatus.

INSVLÆ CIRCA NEAPOLITANVM Regnum.

IN MARI Adriatico sunt ex aduerso Apuliæ Dauniæ DIOMEDEÆ Insulæ, seu potius scopuli, quarũ maiores nunc *D. Maria Tremitana*, & *D. Dominicus* uocantur.

Diomedeæ Inſ.

Deinde in Ionio mari è regione urbis Gallipolis est *Achatus* insula parũ celebris, & in sinu Tarãtino sunt quædam Insulæ ignobiles, quarum maior uocatur *D. Andreæ*. Ex aduerso Lacinij promontorij sunt duæ insulæ DIOSCORON, & CALYPSVS, quæ Homero est *Ogygia*.

Achat' Inſ.

Dioſcoron & Calypſus Inſ.

In Tyrrheno mari sũt aliquot insulę ad regnũ hoc spectãtes, quarũ nõnullæ sunt è regione urbis Gaetæ & sinus Formiani, nempe PANDATARIA, nũc *Palmarola*, & PONTIA, & aliæ paruæ nihil memoratu dignũ habẽtes.

Pandataria Inſ.

Pontia.

In sinu uero Puteolano, & Neapolitano sunt circiter 18. insulæ, quarum celebrior est ISCHIA una olim ex Oenotridibus, q̃ ambitu patet 18. milliaribus, & altissimis rupibus undique adeò percincta est, ut in eam ingressus ab una tantum parte pateat : arcem habet inuictissimam præcipuè ob situm. Diues est hæc insula uino optimo, fructibus, alumine, & sulphure, & balnea quoque habet, & ignibus subiecta est : olim quoque famosa fuit ob figulina uasa, quæ in ea conficiebantur.

Iſchia Inſ.


Prope Ischiam iacet PROCHYTA hodie *Prosida*, quæ ignem emittit, & Thermas calidas habet, quæ salutares sunt, eius ambitus est prope sex milliarium.

Prochyta Inſ.

Postremo est CAPREÆ insula nunc *Capri* ut Niger & alij putant uocata, & *Campanella* Leandro. Hæc autem situ aspera est sed amœna adeo & aer salubris, ut sæpè ad eam Augustus Cæsar transmigrauerit, arce etiam Tiberi nobilis fuit. Frumentis caret, sed carnibus piscibus, & uolucribus affluit. Reliquæ insulæ, quæ isthic uisuntur nihil memoratu dignum continent.

Capreę Inſ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XV.

MARCHIAE ANCONAE,

OLIM PICENVM DICTÆ

DESCRIPTIO.

PICENVM Leandro Alberto regio eſt Italiæ xiij. ſic uocata uel ab urbe Picena, quę olim circa Aſontis fluuii oſtia ſituabatur, cuius rudera etiamnum patent. Vel potius a Pico aue, quam Marti ſacratam ueteres crediderunt, cuius ductu, & auſpicio Piceni è Sabinorum agro profecti iter ingreſſi erant. A Longobardis Picenum MARCHIA ANCONITANA dicta fuit, ab Ancona ſcilicet vrbe nobiliſſima ac primaria, quæ Marchionum vniuerſæ regionis fuit ſedes. Dicta etiam fuit MARCHIA FIRMIANA a Firmo oppido, quod olim Romanorum fuit colonia, ac totius Piceni caput, fuitq; apud finitimos prętęritis tęporibus valdè potens, ac multos claros uiros producęs.

Picenum.

Marchia Anconitana.

Marchia Firmiana.

Regionis huius fines ſunt ab ortu amnis Truentus uel Druentus modo *Trontus* dictus, qui eſt regni Neapolitani limes, & Aprutium ſegregat, cuius fluuii oſtium portum efficit Aſculanum. Ab occaſu eſt Iſaurus fluuius, qui *Foglia* uulgò dicitur, & muros alluit Piſauri urbis: a Meridie Apenninus mons: & a Septentrione Adriaticum mare.

Fines huius regionis.

Regio porrò hæc rerum omnium fertilis eſt: attamen ut inquit Strabo lignariis fructibus potius, quam frumentariis præſtantior eſt, cui laus in oleis præcipua. Ager autem totius tractus oræ maritimæ ſpectatu iucundiſſimus eſt, & hortis peramęnis, uitibus pulcherrimis generoſi ſucci, & fructiferis arboribus conſitus, præcipuèque medicis ac oleis: limonibus uerò eſt adeò plenus, ut eorum uberes & magni fructus maxima in copia Venetias, Bononiam, Ferrariam, alibiq; exportętur. Infra Auximũ amęna ſternitur planities frumenti mira ubertate fertilis. Nobile cęteris vinum habetur in Sirolo oppido, quod Plinius Anconitani uini nomine celebrat Papirus quoque ſeu Charta laudatiſſima & albedine ac bonitate cęteris quibuſcunq; anteponenda maxima in copia in Fabriani nobiliſſimo oppido conficitur, quæ in totam Italiam, & in permultas etiam alias Europæ regiones defertur.

Qualitas regionis.

Fluuiis quampluribus totus hic tractus irrigatur, quorum nobiliores ſunt Chientus & Potentia, qui ex Apennino oriuntur, & in mediterraneum mare cõfluunt; atq; etiam Sentinus, quem Volaterranus diſcrimẽ Piceni, & Vmbriæ facit. Eſt etiam in hac regione famoſiſſimus ac pulcher

Fluuii Anconitanæ Marchię.

Portus Anconæ.

rimus Anconæ portus ab Vrbe,cui appositus est,denominatus, qui sanè tàm aditu opportunus,quàm statione tutissimus est,& hunc quidem Trajanus Imperator marmore cum gradibus, per quos naues commodissimè onerantur,ac exinaniuntur,instaurare fecit: unde inter primos,ac nominatissimos uniuersi orbis portus connumeratur, & inter Europæ mirabilia. Est in iugo quoq; Apennini montis, quod *Mons Victor* uocatur, Lacus Nursinus,cuius aquæ perpetuis motibus salire, uicissimq; subsidere cernuntur non sine magna admiratione, unde ibi cacodæmones inhabitare,uocatosque responsa dare imperitum uulgus putat. Est etiam in Apennino imane horribileq; antrum, quod *Sybillæ cauerna* uulgò dicitur, de qua multa fabulosa a mendacibus, ac impostoribus recitantur, quamobrem cum Nursini frequentem olim Magorum, & maleficorum hominum numerum ad hæc loca continuò cõcurrere conspexissent,speculam,seu cauernam illam Sybillinam operire coacti fuerũt, ac præterea custodes ad lacum circumspectos ponere.

Lacus Nursinus.

Sybillæ cauerna.

Incolarum mores,& cõditio.

Incolæ feroces sunt animo,bellicosi, moribus aliquanto rudes, & agrestes,atque agriculturæ potius,ac armis,quam negociationibus, & artificijs uacantes. Est autem regio ipsa maiori ex parte sub ditione Summi Pontificis, atque in ea quoque Ducatum Septem insignium Ciuitatum nobilissimum,quæ sunt Eugubium,Caglium, Forum Sempronii S. Leonem,Senogalliam, Pisaurum, & Vrbinum Metropolis, & Archiepiscopalis urbs, præter Senogalliam, Fossumbrunum, & alia oppida, potitur nunc FRANCISCVS MARIA II. ROBOREVS, princeps sanè non tàm perhumanus,quàm omni scientiarum cognitione ornatissimus. Sunt uerò sub Summo Pontifice Ancona, Recanatum, Fanum D. Mariæ Laureti,Camerinum, Fanum Fortunæ,Tolentinum,Firmum,Macerata, & alia oppida.

Regio hæc a quibus moderetur.

Ancona Vrbs.

ANCONA Primaria est Vrbs,ac totius regionis caput, Ciuitas quidem Græca,antiquissima,& a Syracusanis condita Dionysij tyrannidem fugientibus,quæ aliquando a Gothis ferro, ignique uastata fuit. Apposita autem est Cimmerio promontorio, cui nobilissimus ille portus montis gremio a Septentrione adiacet,de quo supra locuti fuimus.

Ricinetum opp.

RICINETVM oppidum,quod Helia Ricina olim uocabatur,& nũc uulgò corruptè *Rechanatum* dicitur,non longe ab Ancona uersus ortum prope fluuij Musij,seu Mulcij ostium,estque nundinis percelebre,ubi certis anni temporibus ad mercatum negociatores ex omnibus propemodum Europæ partibus, atque ex nonnullis etiam Asiæ locis conueniunt. Ager eius perbonus est,ac nitidus,totusque collibus refertus;atque uitibus, oleis,aliisque fructiferis arboribus abundans.

Lauretana Vrbs.

LAVRETANA Vrbs,seu D.Mariæ Laureti Fanum toto terrarũ orbe celebratissimum,ubi ex omnibus mundi partibus pietatis, ac deuotionis causa Christiani confluunt, locatur inter Ricinetum oppidum,ac mare, quod quidem fortissimis muris percinctum,& propugnaculis,ac bellicis tormentis munitum apprimè est contra Pyratarum, & Turcarum incursiones,

siones,ac depręd ationes. Fuit aut nostris temporibus a Sisto Quinto Sũmo Pontifice in Ciuitatem redactum.

Camerinũ.

CAMERINVM urbem ueterem, ac frequentem Volaterranus, & Leander in Piceno locant,quamuis Strabo, Liuius, ac Ptolemæus in Vmbria eam recensent. Sita autem est in Apennini iugo munitissimo in loco.

Tolentinũ.

TOLENTINVM uetus oppidum,ad Chientum amnem situm est, quod nobile nunc est ob reliquias D. Nicolai ex Heremitanorum familia.

Macerata.

MACERATA frequens est,& noua urbs in regionis meditullio sita,in qua totius Marchiæ Anconitanæ legatus residet.

Asculum.

ASCVLVM quoq; non nulli Piceno tribuunt,de quo in Aprutio dicemus.

Vrbinum.

VRBINVM urbs lautissima, & splendidissima est,ac agro perbono,ac fœcundo potitur,generosis fructibus affluente.

Pisaurum.

PISAVRVM urbs,licet inclemens habeat cœlum,est tamen perpulchris ædificiis ornata,ac lauta,mæniis firmis percincta,cum pulchra, ac munita arce,ac splendidissimis ędibus Regiis,cuius etiam ager undiq; peramęnus est,ac omnibus rebus ad uictum necessariis affluens: præcipuè autẽ fert uinum optimum,ac suauissimum,quod Venetias solet asseri,atque etiam ficus,qui arefacti magna in copia Venetias,Bononiam,& alibi exportantur.

Fossumbrunum.

FOSSVMBRVNVM antiquis Forum Sempronii dictum iuxta ripam Metauri fluuii,uulgò *Metremo*, iacet, & licet cœlum habeat ualdè inclemens,nihilominus satis frequens est,ac opulens,atque etiam agrum habet tritico aliisq; frumentis, uino præterea, oleo, ac suauissimis fructibus abundantem.

Episcopi Marchiæ Anconæ.

Est autem in Anconitana Marchia Archiepiscopus Firmianus, cui subsunt Episcopi Montaltensis, Maceratensis, qui est etiam Tolentini Episcopus,Ripætransonis,& Sanctæ Seuerinæ,Asculanensis, Humanas, Fanensis,Vrbinas,seu Sancti Leonis,Anconitanus, Pisaurensis, Camerinensis,Esinensis uulgò *Iesi*, Forosempronensis,Recanatensis, Auximanensis,Senogallensis,Callensis vulgò *Calgi*, & Lauretanensis. Duo etiã hic sunt publica Gymnasia à Romandiolis, & à Marchiæ Anconitanæ populis frequentata, unum scilicet in Firmiana ciuitate: aliud uerò Maceratæ.

Gymnasia Publica.

Universidad de Deusto
Biblioteca


LOMBARDIA, ET MARCHIA TARVISINA.
Contado de Tirolo
Lago di Como
Lago Maggiore
Lago di Garda
Valle Brenia
Val Camonica
Val Trompia
Val Sabbia
Val Lugana
Val Sugana
Val Trompia
Val Camonica

nauigabilia,itēq; piſcibus fœcunda: metallorum fodinæ: innumeræq; præterea naturæ dotes eximiæ. Incolas alit ingenio ſummo,aſpectu prę claro,corpore firmo,& cum ad armorum tractationem,tum ad diſciplinas,atq; mercaturam peridoneos. Hæc ille.

Incolarum mores.

Vrbes ſunt in hac Prouincia aliquot ſatis nobiles,& oppida complura,nimirum Ferraria, Bononia,Forum Cornelii,Fauentia, Forum Liuii, Rauenna, Ceruia, Ariminum, Ceſena, & Sarſina, deinde Bertinorum, D. Leo,& alia oppida.

Ferraria urbs.

FERRARIA uetus vrbs iacet ad ripam Padi fluuij paluſtri in loco; unde cœlo potitur inclementi,eſt tamen ſatis populo frequens, ædificiis ornata,& fertilis omnium rerum ad uictum neceſſariarum; atq; caput eſt,& ſedes Ducatus Ateſtinæ familiæ nobiliſſimæ, & antiquiſſimæ, cuius Dux inter reliquos Italiæ ualdè potens eſt, ac opulens,qui præter hanc urbem habet etiam ſub ditione Mutinam, & Rhegium Lombardiæ urbes ſatis honeſtæ,præter Centum,Graffinianam,& alia oppida nobilia. Præterea urbs ipſa Gymnaſio publicò ornata eſt,licet non admodum frequens auditoribus ſit.

Bononia.

BONONIA urbs antiquiſſima, & nobiliſſima prius Felſina uocata inter duodecim urbes ab Hetruſcis olim conditas primaria, hodieq; inter urbes Summo Pontifici ſubiectas poſt Romam facilè prima,ac præſtantiſſima,merito inter celebres Italię urbes connumeratur. Iacet peropportuno ſitu ad Apennini radices,mōtibus ab Auſtro imminentibus, torrente Apoſa,vulgò *Aueſa* mediam interluente,mœnibus, ac ædificiis tum publicis,tùm priuatis ſplendidiſſimis,ſumptuoſiſſimisq; ut quęuis Italiæ alia urbs ornata, inter quæ inſignia ſunt Turris Aſinellorum, & Turris Garriſenda huic uicina adeò obliquè fabricata,ut cadere uideatur. Eſt diuitiis mirè affluens, tanta incolarum multitudine, ut ad 80. millium numerum accedāt,familias habet nobiliſſimas ualdè opulentas ac potentes. Gymnaſio præterea publicò totius Italiæ uetuſtiſſimo, ac celeberrimo ornatur,quod à Theodoſio Imperatore primum inſtitutum fuit,deinde à Summis Pontificibus,Romanisq; Imperatoribus ita auctū, ut hinc Bononia Studiorum mater,& parens appellari meruerit. Scholas publicas habet magnificentiſſimas à Pio IIII. extructas, quæ longè cæteras Italicas antecellunt. Adhęc plura Studioſorum nobiliſſima collegia. Ager urbis amplisſimus eſt,ac fęcundiſſimus,& amœnus,partim planus,partim montanus: etenim à Meridie totus collibus,ac montibus attollitur,in quibus uites,oleæ,ficus, pomi,pyri, aliæq; fructiferæ arbores abundè ptoueniunt: A Septentrione autem totus planus eſt, humilis, humidusq;,nimirum Ferrariam uerſus,ubi ualles amplæ ſunt,& paludoſa loca. Hi campi longè,lateq; ſternuntur,atque in eis triticum,hordeum, faba,cæteræque fruges abundè proueniunt: uinum item optimum hic conficitur, non tamen adeò generoſum,ut montanum. Præterea lini,ac cānabis magna hic copia,quæ non ſolum urbi ſatis eſt, ſed alio etiam comportatur præſertim Venetias. Sunt in hoc Bononien-

Gymnaſiū Bononiēſe.

Ager Bononienſis.

ſi agro

ſi agro complura oppida, & caſtella nobilia, & incolis numeroſiſſima præter innumeras uillas, ut ſunt Butrium, D. Petri oppidum, Caſtellum Guelphum,Caſtellum Bononienſe, Tuſſinianum,Dozza,Varignanum,Argelum,D. Agatha, D. Ioannes,Creualiorium, Caſtellum Francum, Bazanum,Sauinianum,Manzolinum,Caſſium,& alia. Sunt & fontes aquarum calidarum,& frigidarum uariis propulſandis morbis longè opportuni,inter quos eſt aqua Porrectę tantopere celebrata.

Oppida agri Bononienſis.

Aqua Porrectæ.

FORVM CORNELII, uulgò *Imola* antiqua eſt etiam urbs optimo in ſitu iacens cum agro optimo,ac fœcundo.

Forum cornelii.

FAVENTIA antiqua urbs,vulgò *Faenza*, appoſita eſt Anemo fluuio & arcem habet,ac populum ſatis frequentem,ac præterea agrū frumento,uino,& lino candido fertilè, nobilitata eſt ob uaſa figulina,quę in ea ſumma induſtria conficiuntur,& in multas Italiæ partes tranſmittūtur.

Fauentia.

FORVM LIVII, vulgò *Forlì* antiqua urbs ſita eſt inter Ronchum, & Montonum amnes,ac aere iucundo,& perbono fruitur,& agro item feraciſſimo,ac frumento,uino,oleo & cæteris frugibus abundante; præterea mittit etiam coriandum, aniſum, cominum,glaſtum, & alia huius generis.

Forū liuii.

RAVENNA antiquiſſima eſt ciuitas,quæ Strabonis ætate licet inter paludes ædificijs ligneis extructa eſſet,cœlum inclemens tamen non habebat, ſed ſummam aeris ſalubritatem ob amnes intercurrentes, & ob maris inundationes, quibus cœni, lutiq; ſordes eluebantur: ſi quidem urbem ipſam duo cingunt amnes, quorum unus Bidens eſt, quem alii Roncum uocant, & Plinius Beſedum, & vulgò *Bedeſe*, & hic portum Rauennatem efficit: alter eſt Montonus vulgò aqueductum Rauennatem uocant,qui ex Apennini iugis deſcendit. Paludes uerò hę circa Rauennam paucis ab hinc annis exſiccatæ ſunt,& in frumentarios campos fertiliſſimos conuerſæ. Vrbs hæc ſplendidisſima habet ædificia, & poſt Gothorum Imperium exarchorum magiſtratus in ea incœpit anno 557. qui quidem in Italia 175. circiter perdurauit,eſt etiam Archiepiſcopalis ſedes,cui ſubſunt complures epiſcopi. Non longè à Rauenna cōſpicitur nemus uaſtiſſimum pineis miræ altitudinis frequens, quod vulgò *Pigneda* vocatur,cuius fructus per uniuerſam Italiam exportantur.

Rauenna.

CERVIA urbs maritima olim Phycocles uocata, nobilis eſt ob ſalis prouentum,nam iuxta littus propè ipſam urbem ſal ex aqua marina concreta,& ſolis ardore excocta conficitur, quod non ſolum huic regioni ſufficit,ſed etiam Piceno, & maiori Lombardiæ parti,ex quo prouentū 60. millium aureorum ſingulis annis Summus Pontifex recipit. Eſt tamen hæc urbs malè habita ob aerem inſalubrem.

Ceruiam.

ARIMINVM maritima etiam urbs eſt,ac antiqua,& Rom. colonia,quam Strabo in Vmbris,& Liuius in Piceno locant. Sita eſt in planitie (ut ait Leander) imminentibus à Meridie collibus amœnis, & uitium, olearum, ficuum, aliarumque fructiuarum arborum,quibus conueſtiti ſunt,ubertate fęcundiſſimis: ab exortu, & Occaſu latiſſimi

Ariminum.

se campi pandunt admodum frumentarij. Septentrionale latus alluit Adriaticũ mare, in quo decurrit flumen Ariminũ, vulgò nunc *Marecia*, qđ muros ipsius urbis abluit. Sunt uerò in hac Vrbe complura ædificia memoranda, nempe arcus triumphalis ab Octauio Augusto factus, rudera theatri ex latere cocto summæ antiquitatis, & palatia quędam sumptuosissima a Malatestarum gente condita, & extra ipsam Vrbem est pons sumptuosus ab eodem Octauio Augusto factus in Arimino amne, qui Flaminiam uiam Æmiliæ, simulque suburbia ciuitati coniungit.

Cesena. CESENA Vrbs antiqua iacet ad pedes montis iuxta Sauium fluuium, qui ex Apennino rapidissimè delabitur atque cum imbres cadunt finitimos agros ualdè infestat, & in mare defertur. Vrbi huic arx ex colle fortissima imminet, quæ Vrbi iungitur mole intercedente, quæ maiori ex parte ruinis interijt. Est uero Vrbs incolis frequens, & ædificijs perhonestis ornata, cuius ager copia rerum ad uictum necessariarum affluit, præcipuè uerò uino, quod a Plinio propter bonitatem memoratur.

SARSINA antiqua Vrbs iacet ad Apennini radices, quam Strabo in Vmbris ponit, cuius ager uitibus, oleis, cæterisque fructiferis arboribus abundat. Fuit autem Plauti Comici Poetæ patria.

Status ecclesiasticus Romandiolæ. Est autem in ipsa Romania, Archiepiscopus Rauennas, cui subsunt Adrienſis, Comaclenſis, Ceruienſis, Ariminenſis, Foroliuienſis, Foropompilienſis uulgò Forlimpopolo, Villimenſis, Cesenatenſis, Sarſinatenſis, Fauentinus, Imolenſis, Bononienſis, & alii in Lombardia, ut Mutinenſis, Regienſis, & Parmenſis, & Publica Gymnasia sunt duo in hac regione nempe Bononiæ, & Ferrariæ, de quibus supra locuti fuimus.

MARCHIA TARVISINA, Seu Venetia Regio.

Veneta regio quæ intelligatur. VENETIA regio intelligebatur olim totus tractus a Liquentia amne, & sinus Adriatici intimo angulo usq; ad Mincium amnem, & Benacum lacum, quæ ampliores quondam fines possederat, nimirum ad Adduam usque fluuium.

Venetia regio unde dicta. Dicebatur autem Venetia a Venetis populis, huc ex Paphlagonia, seu ex Lydia cum Antenore post Troiam capram proficiscentibus, qui quidem ex hac ipsa regione Euganeos populos famosissimos, ac nobilissimos è sedibus expulerunt. Sed postea MARCHIÆ TARVISINÆ nomen obtinuit ab urbe Taruisio, quæ fuit olim domicilium, ac sedes Marchionum Longobardici nominis, a quibus uniuersa ipsa regio moderabatur. Verum non minus hodie, quàm olim nomen Vene-

Marchiæ Taruisinæ nomen.

Venetiæ regionis conuenire ipsi uidetur, cum maior, ac potior ipsius pars, nempe a liquentia fluuio eius termino usque ad Adduam fluuium, ubi olim extendebatur, sit sub Inclytæ Venetorum Reipublicę dominio; licet horum ditio ad Padum usque fluuium non producatur. Scien- Regio hæc cõmuniter sub Lõbardiæ uocabulo comprehenditur.
dum tamen est regionem hanc sub Lombardiæ uocabulo communiter etiam comprehendi, ob harum regionum conuenientiam, tum quo ad agrorum fertilitatẽ, & aeris temperiem: tum etiam quo ad incolarum similitudinem ac mores.

Fines Marchiæ Taruisinæ. Sunt autem fines ipsius Marchiæ Taruisinæ, ab exortu Liquentia amnis, qui Fori Iulii ab hac parte limes est, deinde etiam Adriatici sinus pars: a Septentrione Alpes, quæ Italiam a Germania seiungunt; ab occasu Lombardia est iuxta Benacum lacum & Mintium ac Sarcam fluuios; a Meridie autem ostium Athesis, paludesq; Melarianæ ac Brigantinæ, a qua parte alii Padum fluuium, pro limite accipiunt.

Laudes huius regionis & qualitas. Qualitas regionis ipsius ac gentis explicatur a Leandro his uerbis. Regio est hæc pernobilis & lauta, ditissimis oppidis, urbibusque splendidissimis nitens, colonis & ingenio tum ad literas, omnemque disciplinam, tum ad rerum publicarum administrationem aptissimis, & manu armisq; cum tempus exigit promptis, nec minus in re facienda, cumulandisque diuitiis solertibus. Campos habet amænos, fęcundosque ac frumenti cęterarumque frugum, item omnigeni fructus, & uini maximè fertiles. Non desunt calidi, frigidique fontes ad medicinam mortalium utiles: adest metallorum ubertas: multi nobiles amnes & lacus: cęlum salubre, iucundum, & temperatum; breuiter, tantis equidem & tam multis municæ naturæ dotibus affatim ornata, locupletataque est, ut inter præcipuas Italiæ totius regiones optimo iure censeri possit. Hactenus ille.

Plauis flu. Fluuii insigniores huius tractus sunt Plauis, uulgò *Piaue*, Brenta, & Bachilio, sed omnium maximus Athesis. PLAVIS fluuius Plinio Anaxus uocatus ortum ducit ex Alpibus, qui uel liquatis niuibus, uel imbribus ingruentibus uehemens, fit & inter Feltrium, & Bellunum oppida incedens per confragosas ualles inquietus præcipitat, nec prius mitescit quàm in apertos campos euolutus, atque iterum rapido fluxu a D. Saluatoris, & Colle alto prouectus mox duos efformat brachios, ac deinde mari illabitur. BRENTA fluuius olim Meduacus maior ori- Brenta flu.
tur ex Alpium iugis longè a Tridento sex milliaribus, & agrum Patauinum irrigans antequam in mare exoneretur in duos ramos diducitur, quorum unus ad Pupilliam uadit (uulgò Poueia) alter portum Methamaucum procreat uulgò porto di Malamoco. BACHILIO, seu Bachilio fl.
Meduacus minor Vicentiam urbem alluit, & infra Patauium octo milliaribus cornu uno Brentæ coniungitur, atque ambo simul in mare exeuntes portum Edronem creant. ATHESIS fluuius, quem Torellus Athesis flu.
Sarnina uult esse, Atrianum Ptol. uulgò *Adige* uocatur, qui quidem ex Tridentinis alpibus exoriens et multos in se fluuios recipiens præsertim

Universidad de Deusto
Biblioteca

tim Sarcam ſubter Bolzanum oppidum,adeò aquis augetur, ut uioentè admodum,& rapido curſu incedat maximè per Veronam,infra q̃ in duo flumina diducitur,quorũ unus mare petit,aliud uero in paludes deſinit.

Vrbes Tarviſinæ Marchiæ ſunt Patauium, Vicentia, Verona, Tarviſium,Tridẽtum,ſed omnium Metropolis, & caput eſt Venetiarum Vrbs in ſinu Adriatico poſita,circa quam ſparſæ ſunt innumeræ exiguæ inſulæ per uiços habitatæ.

Patauium Vrbs.

PATAVIVM Vrbs, quam vulgus Paduam uocat, nobiliſſima eſt, ac antiquiſſima, & ab Antenore è Troia profugo poſt eius excidium in plano ubique fluuiis irrigo condita, quæ inter alias Italiæ Vrbes primaria ſemper fuit habita, de qua quidem patria noſtra dulciſſima placet potius referre, quæ alii ſcripſerunt, quàm noſtra tenui oratione eam commendare. De hac itaque ſic ſcribit Bernardinus Scardeonius. Patauium Vrbs admodum munita eſt, lata & profunda foſſa aquis repleta, ualidiſſimis muris cincta, & populo frequens. Pomærium habet amplum adeò ut hoſtis non habeat quibus in ea obſidendo protegi queat. Habet prætorium ſpetioſiſſimum, & plumbeis laminis operтum. Gymnaſium totius Europæ celeberrimum a Carolo Magno inceptum,& a Federico Secundo,anno 1212. ſtabilitum,& poſt quadraginta annos a Pontifice Vrbano Quarto confirmatum. Habetur item in hac Vrbe hortus (quem Medicorum cognominant) ſphæricus, & amplus, omni exoticarum herbarum medicinalium genere conſitus, pro inſtruendis iuuenum ingeniis in re herbaria opus ſingulare, & egregium. Ciuium inter præcipuas artes eſt lanificium, quod eſt quotannis ſexcentarum librarum millia, & amplius. Ager Patauinus olim latius, nunc his terminis continetur. A Meridie Atheſis fluuius procurrit: a Septentrione Muſo paruus amnis dilabitur: ab Oriente æſtuaria Venetiarum: ab Occidente autem colles Euganei, & ager Vicentinus. Patet omnis hic circuitus centum, & octoginta paſſuum millia, in quo ſunt ſexcentum, & quadraginta ſeptem uillæ, ſeu pagi. Patauio municipali iure hoc tempore ſubiacent ſeptem inſigna oppida, quæ ſunt Montinianum uulgò, *Montagnana*, Caſtrum Baldum, Atheſte uulgò *Eſte*, Mons Silicis, Saxi oppidum, campus Sancti Petri, & Cittadella. Item ſex uici Miranum, Oriacum, Titulum uulgo *Theolo*, Liuianum, Arquadum Franciſci Petrarchę ſepulchro celeberrimum, Conſiluium, & Anguillaria. Sunt præterea in hoc territorio Euganei colles Poetis decantati, & iuxta hos Aponus uicus, & fons, cuius Claudianus, & Martialis meminere, item Caſſiodorus in Epiſtolis, ubi Theodoricus Rex eos reſtaurandos curat. Huius agri Patauini tanta eſt fertilitas, ut ex abundanti frugum copia uicinis quoque ciuitatibus abſque ulla ſuorum ciuium inopia, quæ ad uſum uitæ neceſſaria ſunt, largè multa ſuppeditet. Generoſitas uini magna eſt. Venationes, aucupia,& piſcationes frequentes. Adeo fluminibus irrigatur, ut (maximo incolarum com-

Gymnaſiũ Patauinum.

Oppida agri Patauini.

Euganei colles.

commodo & utilitate) nullus agreſtis uicus ultra quinquepaſſuum millia diſtet a flumine. Hanc omnium rerum mirabilem copiam atque abundantiam uulgò triuiali prouerbio demonſtrant dicentes. Bologna la graſſa, Padoua la paſſa. Addit Leander vrbem hanc cœlo eſſe ſaluberrimo, & colonos eſſe ſummis ingeniis, & ad litteris,omniaque uirtutis ſtudia promptos,item lautos,politisque moribus,habitu optimo corporis,& in omnibus actionibus ciuilitate præſtantes. Cęterum quod de Gymnaſio Patauino Leander ſcribit, nimirum illud fuiſſe a Federico Secundo in Bononienſium contumeliam extructum, confutatur a Iacobo Middendorpio qui de Academiis orbis Chriſtiani duos eruditiſſimos libros conſcripſit, atque opinionem Scardeonii confirmat; quam quidem Patauinam Academiam totius Italiæ celeberrimam facit Iaſon, & ueluti Atheni enſem Ariopagum.

VINCENTIA vrbs antiqua eſt & una ex duodecim,quas Hetruſci condiderunt cis Apeninum, quæ iuxta radices collis peroptimè ædificata eſt,& ſplendidis operibus ornata, duobus amnibus nauigabilibus diuiſa Bachilione,qui meduacus eſt minor & Rerone,qui ex uicinis montibus in ipſa urbe Bachilioni iungitur, & ab Æliano Eretenus dicitur, qui optimas Italiæ totius anguillas producit. Ager urbis omnium frugum maximè fertilis eſt,& amæniſſimus, ac optimum profert uinum, quod maxima copia Venetias defertur. Incolæ ingeniis uiuidis, fiduciæque magnæ, promptiſſimi ad literas, militiam, & mercaturam, lautè admodum,& ſplendidè uiuunt, honeſtèque ueſtiuntur. Maximam conficiunt ſerici optimi & pulchri copiam non ſolum ad ciuitatis uſum, ſed etiam ad comportandum alibi, unde ex hoc ingentem faciunt quæſtum. Hæc ex Leandro collegimus. Porrò in Vicentinorum ditione ſunt oppida duo ſatis digna,nimirum Maroſtica, & Lonigum, præter aliquos uicos præcipuos, quibus ſubiacent quamplures uillæ. Sunt etiam in Vicentino agro apud pagum *Coſtoza* uulgò dictum, lapidicinæ in longis profundiſque ſpecubus, ex quibus lapis cæditur haud abſimilis Tyburtino, quo antiquæ Patauinorum,& Vicentinorum ædes confectæ ſunt, & ſunt etiam lapidicinæ marmorum in Valdanio uico.

Vincentia vrbs.

Ager Vicentinus.

Oppida agri Vicentini.

VERONA ciuitas nobiliſſima ſita iuxta colles in utraq; Atheſis ripam conſtructa fuit una ex duodecim urbibus ab Hetruſcis cis Apenninum conditis,ſeu una ex duodecim coloniis, Hetruſcorum; alii ponunt eam in Cenomanis ut Ptolomæus, Plinius in Euganeis, Anius in Volturenis Galliæ, alii etiam quibus magis adhærendum, locant eam in Tarviſina Marchia. Atheſi amne non tam diuiditur quam munitur, cui quatuor pontes inſignes appoſiti ſunt, idem fluuius,uti eã penè mediam diuidit,ſic eandem quoque circunquaque cingit, itaque hic fluuius ciuitati cuſto diæ,ornamento,& uſui eſt. Situ eſt optimo iuxta colles,qui ad Auſtrum conuerſi ſunt,colonis lautis ac nobilibus, ædificiis magnificis & ſplendidis, inter quæ Amphitheatrum ingens & priſcum, quod uulgus

Veronavrbs.

Amphitheatrum Veronæ.

Arenam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arenam uocat a L. V. Flaminio conditus anno ab urbe condita 53. quod cętera Europæ superat. Gens perlauta magnifica, splendida, iucundo aspectu, ingenio summo maximèque ad litteras idoneo. Præterea ipsa urbs rebus omnibus non solum ad uictum necessariis, sed etiam ad uoluptatem abundat. Ager est optimus & pluribus in partibus aquis irriguus, maximèque fertilis frumenti, uini, olei, cæterarumque frugum: uellerum quoque pernobilium copia affluit, unde maximum incolæ faciunt quæstum. Pomis aliis fructibus omnigenis abundat adeo ut non solum urbi & ipsi territorio sufficiant, sed etiam exportentur, uberrimosque præbeant quæstus. Vina producit uaria præcipuæ nobilitatis maximè verò Rheticum a Plinio laudatum, Falernisque solum a Virgilio post habitum. Affluit etiam Veronensis ager oleo cum primis dulci, præsertim circa læuam lacus Benaci ripam. Herbarum etiam medicinalium abundat copia præsertim in altissimo monte Baldo, in quem ex omnibus Europæ partibus herbarii confluunt. Territorium Veronense patet a Bruchelio oppidulo Riuam usque, quæ est in ultimo Benaci recessu 65. milliaria, in latitudine; quæ sumitur a Turre confinium usque ad Riuoltellam 40. Comprehenditque in uniuersum 1443378. campos, quæ est genus mensuræ Italicæ quorum 1223112. fertiles, 220266. verò steriles sunt, qui tamen in dies colonorum diligentia feraciores redduntur. Inter Veronam & Hostiliam latissimi campi sunt Veronenses dicti spatio 20. milliarium. Sed circa Veronam ad quartum uel quintum lapidem Campanea Veronensis dicitur, & uulgò Campagna di Verona, quæ in culta saxis horret, quamquam plurimis alibi in locis huiusmodi campi nunc arentur, frumentumque ac reliquas fruges proferant. Et hæc sunt, quæ ex Leandro & ex Torrello Sarnina de hac urbe collegimus.

Agri Veronensis.

Mons Baldus.

Campanea Veronensis

TRIDENTVM vrbs antiqua a Ptolomæo in Cenomanis ponitur, iacet autem in Italiæ finibus ac satis culta ac populo frequens est, cuius incolæ partim Itali sunt, partim Germani. Nobilis autem hæc urbs est ob generale concilium ibi anno 1546. celebratum sub Paulo Tertio summo Pontifice, atq; ob multos Cardinales, & episcopos, quos genuit. Est autem in Tiroli comitatu ipsa urbs.

Tridentum vrbs.

TARVISIVM vrbs iacet, in spatiosissimo campo Sili amne diuisa, quæ non admodum antiqua censetur, cum nec a Ptolomæo, nec ab aliquo prisci sęculi auctore memoretur nobilis tamen est ob sedem, quã Marchiones Longobardici in ea tenuerunt, unde toti huic regioni nomen datum fuit. Vrbs porrò Tarusium (ait Leander) rebus ad usum humanum utilibus in primis affluens est: copia namque frumenti, uini, cæterarumque frugum, & pecuaria re maximè abundat. Triticum agri eius candidissimum reddit panem, summaq; uino nobilitas. In urbe præter amnem Silem, quo perluitur, fontium scatebræ permultę claris aquis, & tam aspectu iucundis, quam potu admodum suauibus emicant: ædificia, quoque splendida quamplurima sunt: gens perhonesta, lautaque

Tarusium vrbs.

lautasque, sublimibus, & uiuidis ingeniis tam ad literarum disciplinas, quam opes quærendas, aliaque luculenta studiorum genera promptissimis. Hactenus ille.

Præter memoratas urbes sunt etiam quamplura oppida in ipsa Tarui sina Marchia, quorum præcipua sunt hæc.

LINIACVM oppidum satis nobile, iacet ad Athesis ripam dextram, cui uicinus est uicus Portus uocatus ad alteram Athesis ripam situs, amboq; ponte iunguntur. Est autem hoc oppidum amplum satis & populo frequens, & olim Veronensis ditionis fuit, sed nunc Venetis dominis immediate subiectum est, qui in eo præsidium habent munitissimum in confinibus Mirandulæ, & Mantuæ.

Liniacum oppidum.

MONTANIANA, ATESTE vulgo *Este*, CITTADELLA, MAROSTICA, LONIGVM, & CASTRVM FRANCVM oppida perlauta sunt, & satis magna, & ædificiis ac opibus adeo repleta, ut cum multis Italiæ ciuitatibus conferri possint.

Montaniana oppida.

BASSANVM oppidum in faucibus uallis, per quam meduacus fertur in plano iacet, quod quidem satis opulens ac populo frequens est.

Bassanum opp.

CENEDA Ptol. Acedum urbs in colle iacet, quæ licet episcopatus titulo ornata sit, nihilominus formam potius uici quam ciuitatis obtinet.

Ceneda.

SERAVALLIS oppidum nobilissimum est, armorum bellicorum celebris officina, atque populi frequentia, negociationibus, ciuilitate, opulentia, & agro fertilissimo, tam campestri, quàm collino quampluribus Italiæ urbibus haud cedens.

Seraualli opp.

CONEGIANVM, SACILE, & ACELVM nunc *Asolo* oppida sunt satis frequentia & opulenta.

Conegianũ

ALTINVM oppidum olim lana famosum, & amænitate agri celebre, nunc desertum est, ac insalubre.

Altinum.

BELLVNVM oppidum modo Ciuidal di Belluno uulgo uocatum satis nobile est.

Bellunum.

FELTRIA oppidum insigne, antiquum retinet nomen.

Feltri.

Opitergium oppidum uulgo Oderzo, olim famosum ac magnum fuit.

Inter Bassanum & Acelum in colle ROMANVM Castellum fuit celebre ob ortum Acciolini Tyranni, quod nunc tamen excisum est.

Romanum Castellum.

Episcopi Tarusinæ Marchiæ sunt Veronensis, Patauinus, Vicentinus, Tarusinus, Cenetensis, Feltrensis, Bellunensis, & Tridentinus, qui omnes Patriarchæ Aquileiensi subditi sunt.

Episcopi Tarusinæ Marchiæ.

INSVLÆ CIRCA MARCHIAM TARuisinam, seu Venetiam regionem.

Pupillus Gallica.

SVNT in intimo sinus Adriatici recessu complures insulæ per paludem illam famosam sparsæ, quæ apud maiores Gallica appellatur undosam habens nauigationem, inter quæ magis præstantes & habitatoribus frequentes sunt. Venetiæ, Iudaica, Murianū, Pupilia, Fossa Clodia, Tolcellum, Buranum, & Mazorbum, quæ omnes ædificiis, templis, cœnobiis, & hortis nitent.

Venetiarum vrbs.

Venetiarum urbs ampla, inclyta, ac inter reliquas Italiæ pulchritudine ac potentia admiranda, & dignitate ac præstantia ueneranda, iacet in paludis medio tum ab æstibus marinis affuso ab oriente mari, tum etiam a multis continentis amnibus factæ, quæ quidem licet non muris, non propugnaculis, non turribus ullis munita sit, attamen loci natura tutissima, ac munitissima est aquis diffusissimè circunstagnantibus, atque idoneo, peropportunoque situ gaudet. Fuit autem olim ex multarum urbium Italicarum excisione condita, ac prima ipsius ædificatio tenuis fuit circiter annum Domini 421. Sed tamen postea populi frequentia, diuitiis, ac potentia adeo percrebuit, ut augustum & amplum mari terraque Imperium sit consequuta. Eius ambitus octo milliaria propemodum colligit, & ædificiis, tum publicis, tum priuatis magnificentissimis, elegantissimis, admirandisque, ac sumptuosissimè ornatis magis quam ulla alia Italiæ urbs, ac forsan Europæ nitet; inter quæ non pauca ex priuatis ædificiis sunt, quæ quouis Principe digna reputantur. Incolarum quoque multitudine ac frequentia ut quæuis alia optimè habitata urbs gaudet, quorum numerus 300. millium circiter censetur. Et hi quidem triplicis sunt generis, nempe Patritii, penes quos Imperii & Reipublicæ administratio consistit: qui Imperio, ac iustitia nullis populis cedunt; ciues qui Scribarum, & aliorum honorum munera gerunt: & artifices, qui mechanicas artes innumeras exercent. Præter hos sunt innumeri etiam mercatores & aduenæ, ex omnibus mundi partibus mercaturæ, & negociationis gratia in ea concurrentes. Præterea urbs hæc quamplurimis canalibus, seu euripis diuisa est, quibus respondent uici seu uiæ, ut uniuersa tam pedibus, quàm cimbis excurri queat: nam uicus penè omnes riui diuidunt coniungentibus ipsis quãpluribus pontibus, quorum in uniuersum tam publici, quàm priuati ex ligno, uel lapide numerantur 400: circiter; inter hos canales, seu riuos præcipuus est quem uulgo *Canalem magnum* uocant, longitudinis trium milliarium, qui urbem totam diuidit, & circa medium admirando ponte maximo coniungitur, totusque is canalis splendidissimis ædificiis

Initiũ urbis Venetiarũ.

Ambitus urbis Venetiarum.

ficiis iuxta utranque ripam ornatus est, quæ iucundissimum prospectum exhibent. Nauicularum, seu cimbarum numerus, quibus ciuitas peragratur octo millium circiter est, quarum aliquæ conductitiæ, & mercenariæ sunt, aliquæ uero ad Patritiorum & ciuium ipsorum usum destinatæ. Est etiam intra huius urbis ambitum nauale insigne, uulgo *Arsenale*, cuius ambitus est duorum circiter milliarium, estque mœnibus undique ualidis & propugnaculis munitum, ubi quidem continuo naues & triremes fabricantur, quarum semper sunt 200. ad omnem belli occasionem paratæ, præter eas, quas Veneti continuo in multas orbis partes mittunt; ibidem etiam est armamentarium omni armorum genere copiosissimum. Ad hæc ipsa urbs affluit frumento ex diuersis partibus Europæ aduecto & tanta quidem copia, ut non tam ipsi urbi sufficiat, sed inde etiam exportetur: uino item multiplicis generis, tum ex circumuicinis regionibus continentis ipsi subiectis. tum etiam ex Dalmatia, & Illyrico, atque ex quampluribus insulis & locis Græciæ, & Asiæ, inter quæ generosum illud uinum quod uulgo *Maluasiam* uocant tanta copia huc affertur, ut inde per totam Italiam & alias regiones Italiæ mittatur. Carnium præterea, pullorum, gallinarum, uolucrum, fruuctuum omnis generis optimorũ, ac olerum, casei, butyri, & similium tanta hic abundantia ut mirum dictu sit. Piscium item prouentu & concursu ex uicinis locis tum dulcium, tum marinorum, & salitorum quoque ex loginquis regionibus mirè gaudet; Aromatum postremo, gemmarum, pannorum uarii generis mercium innumerabilis hic affertur quantitas, ut multis Italiæ & uniuersæ Europæ urbibus horum bona pars communicetur. Est etiam in hac urbe Gymnasium publicum, licet auditorum & doctorum nõ magna sit copia. & isthic est bibliotheca, quam Bessarion Cardinalis Nicænus Reipublicæ Venetæ reliquit, quæ postea instructissima a senatu paulatim reddita est. Huic urbi datus fuit primus Episcopus anno 774. cui continuo episcopi successerunt usque ad annum 1450. quo ab Eugenio Quarto Episcopus Venetus Patriarchalem dignitatem obtinuit, Primas etiam Dalmatiæ uocatur, cui quidem subditi sunt episcopi.

Nauale urbis Venetiarum.

Mira omnium rerũ affluentia in hac urbe.

Gymnasiũ Venetiarũ.

Bibliotheca Bessarionis

IVDAICA parua insula, & uicus distat ab urbe Venetiarum dimidio penè milliari, & longitudine decima milliaris parte extenditur, quæ splendidissimis, & cultissimis hortis exornatur.

Iudaica uicus.

MVRIANVM uulgo *Murano*, distat ab urbe unico milliari, & ambitu suo tria milliaria colligit. Cœlo est optimo ac salubri, incolis frequens, situ iucundo ac amæno ubi singulæ ferè domus hortis mirè consitis ornantur. Est autem hæc insula & oppidum nobile, ac celebre ob uitreamina uasa, quæ excellenti artificio in eo continuo maxima in copia elaborantur, quæ in diuersis orbis partibus distrahuntur.

Murianum.

PVPILIA uulgo *Poueia* distat quinque milliaribus ab urbe Venetiarum,

Pupilia.

rum,& olim populo ualdè frequens fuit.

Methamaucum. METHAMAVCVM uicus uulgo *Malamocco*, olim Ducis Veneti ſede nobilis fuit,ubi portus eſt profundiſſimus, quem Meduacus fluuius efficit.

Foſſa Clodia. FOSSA CLODIA oppidum, uulgo *Chioggia* diſtat ab urbe Veneta 25.milliaribus & in longum ipſa inſula protenta eſt,ſpacioſaque,ac longa platea diuiſa.Ciuitas effecta fuit anno 1105.translato in ea epiſcopatu Metthamauci, & circum ipſam ſalinæ ſunt,ubi ſal conficitur cum ingenti Reipublicæ quæſtu,iſthic eſt portus qui Clodienſis uocatur.

Torcellum. Torcellum inſula & oppidum epiſcopo ornatur,quod tamen colonis infrequens eſt ob cœlum graue.

Buranum. BVRANVM, & MAZORBVM uici ſatis frequentes ſunt.

XVI.
LOMBARDIAE DESCRIPTIO.

Lombardia vnde dicta. LONGOBARDIAM, quam LOMBARDIAM ætas noſtra vocalitatis gratia profert, à Lõgobardica gente, quæ in ea ex Germania proficiſcens Imperium annis circiter 232.adepta eſt, dictam omnes volunt. quod circa annum Domini 578. contigit. Hæc CISALPINA GALLIA prius dicebatur à Gallis, qui ſuperatis Alpibus in Italiam irruperunt, ad differentiam ſcilicet Vlterioris Galliæ, à qua ipſi venerant. GALLIA CITERIOR eſt etiam apud Appianum. Lombardia autem ipſa his concluditur finibus,ab oriente Sculteria ſeu Panario,& Mintio amnibus ex contrariis regionibus in Padum fluuium concurrentibus: à ſeptentrione alpibus: ab occaſu Secia flu. & alpibus: à meridie Apennino monte. Huius regionis duas appellationes Padus eam interlabens genuit, CISPADANAM ſcilicet & TRANSPADANAM. Lombardia Ciſpadana vulgò *di qua dal Pò* dicitur: Lombardia vero Transpadana uulgò *della dal Pò* nominatur. PADVS fluuius,ut ait Plinius,nulli amni claritate inferior,à Græcis *Eridanus* dictus,ac pœna Phaetontis illuſtratus. Fluuiorum etiam rex à Poetis dictus. Hic Strabone. Mela. Plinioque teſtibus. 30.flumina in ſe recipit, ac in Adriaticum mare ſeptenis pergrandibus oſtijs exoneratur. Ex quibus quidem fluuiis nobiliores ſunt, qui ex Apennino confluunt,Tanatus,Trebia,Tarus,Parma,Lencia,Gabellus,nunc *Secia*,Panarus,Rhenus, Ex alpibus uero Taner, Stura, Morgus, Duria Riparia,Duria Balthea,Seſſites,Ticinus,Lambrus,Abdua, Ollius, & Mincius. Fluuius hic Padus inuſitatis incrementis adeò ſupra alueũ egreſſus abundat,ut immẽſam agrorum finitimorum molem inundet, ac uaſtet.

Cisalpina Gallia. Gallia citerior. Lombardiæ fines. Duplex Lõbardia. Padus fluuius. 30.flumina Padum influentia.

Non ignorandum tamen eſt ſub Lombardiæ uocabulo communiter etiã comprehendi MARCHIAM TARVISINAM, ob ipſarum regionum conformitatem; tùm quo ad agrorum fertilitatẽ,& aeris temperiem; tum etiam quo ad populorum ſimilitudinem. Eſt autem ipſa Lombardia opulentior & ciuilior Italiæ pars, & urbibus magnificentiſſimis, munitiſſimis,& populo frequentiſſimis mirè ornata, atque etiam arcibus munitiſſimis,quibus inexpugnabilis redditur.

Marchia Tarniſina ſub Lombardia cadit.

LOMBARDIA CISPADANA, OLIM Æmilia,

Lombardiæ Ciſpadanæ fines. LOMBARDIÆ CISPADANÆ termini ſunt ab ortu Romandiola cum Panario fluuio eius limite: à meridie Apẽninus cũ Hetruriæ parte,ac itẽ Liguriæ Tranſapenninæ parte: à ſeptentrio

ne Padus fluuius ab occasu tùm Padus ipse, tùm etiam Alpes, quæ Galliã ulteriorem à citeriore diuidunt. De huius regionis præstantia sic scribit Leander Albertus. Tanta huius regionis præstantia, dignitasque est, ut præter ullam omnino controuersiam inter præcipuas, atque nobilissimas Italiæ numerari debeat, cùm ob amœnitatem, & omnium rerum tàm ad necessitatem uitæ mortalium, quàm etiam ad uoluptates, atque delicias opportunarum ubertatem, tùm ob ingeniorum, quæ fert, mirabilem excellentiam. Colles habet amœnissimos uite, ficu, olea, cæterisque fructiferis arboribus conuestitos, unde uina generosissima, fructusque omnis generis suauissimi leguntur. Campos longè, lateque patentes tritici, hordei, fabæ, zeæ, ac aliorum frumenti generum abundantia præcipue copiosos. Homines tàm præstantibus ingeniis, ut cum ad literarum disciplinas, & humanitatem, tùm ad rem militarem, itemque ad mercaturam summè sint idonei; urbes lautissimas iuxta ac permunitas, oppida, pagos, vicos, populo mirum in modum frequentes. Hæc ille.

Eius qualitates & laus.

Incolarum mores.

Porrò Cispadana hæc Lombardia uaria sortita fuit nomina pro diuersitate temporum. Primum quidem Sempronius asserit, ipsam fuisse olim DORIAM uocatam à Doria Tuscorum prima familia, non uniuersam, sed illam duntaxat partem ab Astra colonia ditionis Mõtisferrati usque ad Parmam amnem, quæ suo tempore Æmilia postea dicebatur à Romano duce sic uocato, qui Æmiliam viam eò duxit. Non desunt qui uelint Aemiliam contineri inter Trebiam, & Scultenam amnes, ac inter Apenninum & Padum. Idem Sempronius testatur partem illam, quæ est ab amne Parma ad Bononiam BIANORVM à Bianoro Duce appellatam fuisse, quæ suo tempore AVRELIA uocabatur ab Aurelio Romanorum Duce. postea FELSINA dicta fuit usque ad Rauennam à Principe Hetruriæ id nõminis, quod etiam nomen Bononiæ urbi præcipuè datum fuit. Continetur quoque in hac Italiæ parte magna GALLIÆ Togatæ pars, cuius limes Placentia Ptolemæo est, sed Leandro & Nigro Trebia amnis, nec non etiam BOIORVM GALLORVM pars, quæ quidem gens Boiorum inter Lenciam fluuium & Rubiconem nunc *Pisarello* dictum, Apenninum & Padum stringebatur: seu, ut ait Plinius, ab Arimino ad Placentiam inter Apenninũ & Padum. Ad Cispadanam etiam Lombardiam MONSFERRATVS pertinet, de quo in tabula XI. egimus. Celeberrimæ autem urbes, & oppida sunt hæ Parma, Placentia, Mutina, Regium, & Mirandola.

Cispadanæ Lombardiæ varia nomina.

Doria.

Aemilia.

Bianora.

Aurelia.

Felsina.

Galli Boij.

PARMA ciuitas peruetusta, colonia Romanorum, ab amne eiusdem nominis, à quo ipsa denominatur diuisa est, ædificiis splendet, & rebus omnibus ad uitæ usum satis affluẽs est, sed præ cæteris Italiæ pecuariæ rei mirabili abundantia prædita est, unde Parmensis caseus copiosè ad cæteras Italiæ gentes transfertur, qui unà cum Placentino principem locum tenet, populus autem uenustus, nobilis, animosus, ingenioq́; tum ad litteras tum ad arma tractanda præditus. Salubri potitur cœlo, quod etiam Plinius asserit, cuius quidem ciuitatis Ducatum possidet nunc Rainucius ex nobilissima Farnesiorum Romana familia.

Parma.

PLA-

PLACENTIA ciuitas celeberrima, & perantiqua Romanorum Colonia loco campestri iuxta Padum sita, celeberrima etiam nunc est nobilitate ciuium: fertilissima autem præ cæteris Italiæ agro est, aquis irriguo ac pascuis beato, hinc etiam maxima casei commendatissimi copia in omnem Europam exportatur. Habet aquæ salsæ fontes, ex quibus candidissimum sal cõficitur, atque etiam ferri fodinas, & sub Ducatu Parmæ Ducis manet.

Placentia.

MVTINA Liuio Romana colonia ponitur, antiqua quidem, & scriptoribus multis celebris, non procul ab Apennino abest, & splendidis satis ædificiis decoratur: sæpe cum finitimis præsertim Bononiensibus bello ac acie uario marte de finibus decertauit. Multos præclaros uiros literis & armis genuit. Ager eius tritico, faba, cæterisque frugum generibus, item optimis uinis, præcipuè autem suauissimis tribianis abundat, & eius Imperium obtinet Ferrariæ Dux.

Mutina.

REGIVM LEPIDI Romanorum colonia primæ adhuc appellationis, à Lepido ædificata, unde illi cognomẽ est, perlauta sanè urbs frequẽs, & opulenta, agro potitur fœcundissimo, ac tritici, fabæ, hordei, cæterarumq́; frugum & uini cùm albi, tùm heluoli abũdante, cœlum habet salubre, & sub ditione Ferrariæ Ducis permanet.

Regiũ Lepidi.

MIRANDOLA oppidum perlautũ & honestum temporibus Constantis Imperatoris magni Constantini filij conditum, amœno in loco iacet, frumento, aliarumque frugum ac uino maximè fertilis; populum habet lautum, humanum, uenustum, liberalem, armisque tractãdis strenuum cum arce munitissima, inter præcipuas totius Italiæ connumeranda. Huius principatum Picorum Illustris gens in hunc usque diem ab antiquissima memoria tenet, ex quibus celeberrimi, & eruditione præstantissimi fuerunt Ioannes Picus, & Ioannes Franciscus nepos.

Mirandola.

Nobiliores fluuij huius partis Italiæ piscibus copiosi, ac nauigationibus cõmodi sunt Panarus, Gabellus, nunc *Secia*, Lẽcia, Parma, Tarus, & Trebia.

Fluuij nobiles.

Episcopatus Cispadanæ Lombardiæ sunt hi, Parmensis, Mutinensis, Regiensis, Barcinensis, qui Archiepiscopi Rauennæ suffraganei sunt: & Placentinus, qui Archiepiscopo Mediolanensi subest.

Episcopat⁹.

LOMBARDIA TRANSPADANA.

HIVS Italiæ partis fines sunt ab ortu Mincius & Sarca fluuij cum Benaci Lacus dextra ripa: à septentrione Alpes, quæ Italiam ab Heluetia seiungunt: à meridie Padus fluuius: ab occasu Alpes etiã, quæ Italiam à Gallia segregant usque ad Varum. De huius laude sic scribit Leander. Longissima porrò, ut huius eximiæ regionis descriptio sit necesse est, cum propter urbium, Castellorum amnium, Lacuum, & cæterorum in ea memorabilium multitudinem, atque copiam, tùm ob rerum hic gestarum claritatem, magnitudinemq́; & uiros item innumeros, quorum insigni gloria fuit illustrata. Naturæ luculentissimis dotibus locuple-

Lombardiæ Transpadanæ fines.

Eius laus, & qualitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

tata variè est: campos quippe latissimos,& tritici,frumentiq̃ cęteri,item nobilissimi vini, aliarumq̃ frugum abundantia beatos habet: lacus insuper immensos & altos, insignia flumina tàm piscium capturæ, quàm nauigationi opportuna. Fęlix etiam mirè est ingeniorum excellentia, quæ cùm ad literas,& arma,tùm ad mercaturam promptissima generat. Hæc ille.

Populi Trãspadanę Lombardiæ

Plurimi in hac Transpadana Lõbardia continebantur olim populi, quos Strabo,Liuius,Plinius,Sempronius,& Ptolemæus passim nominãt, vt sunt, Cenomani,Insubres,Lybici,Salassi,Taurini,Rheti, Mesauci, Bechuni, Caturiges,Vennonetes,Cantiani,Camuni,Breuni, Tauriſci, cum aliis alpinis, quorum omnium proprias sedes limitare multum laboris est, & non minimæ difficultatis ob auctorum grauium discrepantiam: nihilominus de præcipuis breuiter,ac fideliter,quo ad fieri poterit pertractabimus prætermissis Lybicis,Salassis,& Taurinis,de quibus in Tabula Pedemõtij loquuti fuimus.

Cenomani.

CENOMANI populi inhabitarunt olim regionem campestrem à Mincio ad Abduam fluuium post Taruisinam marchiam, qui inter Cisalpinnos Gallos haud obscuri fuere, quorum vestigia nonnulli dicunt etiam nũ reperiri in *Vallis Serianæ* oppidulo *Ceno* Bergomensis agri. In hoc terrę tractu nobilissimus ac ditissimus continetur Ducatus Mantuæ & aliæ insuper multæ ciuitates,oppida,arces,& villæ opulẽtissimæ,quarum pręcipuas hic enumerabo.

Mantua.

Ducatus MANTVAE nomen habet ab urbe MANTVA insigni & peruetusta,antiquiore scilicet 670. annis quàm Roma,& ante bellum Troianum annis 60. condita,ea autem iacet in medio lacu,siue palude,quam superinfundit amnis Mincius, qui Sarca etiam dicitur, ex quo non nisi pontibus ad eam patet via,vnde munitissimum præ cæteris Italiæ obtinet situ; amplissimis, splendidissimisq; ædificiis tum publicis, tum priuatis,nec non etiam rectis ac peramplis viis decoratur, omnibus rebus ad vsum vitæ humanæ necessariis mirificè abundat, populum habet nõ tam ad literas,quàm ad arma, & ad negotia promptum, atque illustres viros semper genuit,qui vt plurimum ex nobilissima totius Italiæ,ac antiquissima Gõzagiæ Familia fuerunt: tum strenuos copiarum præfectos, militariq̃ virtute claros & fortissimos; tùm etiam literis eruditissimos homines (inter quos Virgilius principem habet locum) qui eximiis virtutibus non tàm patriam ipsam, quàm Italiam totam illustrarunt. Huius ciuitatis cum aliis plerisq̃ue Ducatum potitur nunc Serenissimus Vincentius Gonzaga omni virtute & splendore ornatissimus, & noster męcenas. Nam longè quàm quinque milliaribus à Mantua per viam latam, rectam atque pulchram, arboribus frequentibus hinc inde miro ordine dispositis ornatam itur MARMIROlum; regia quidem domus magno artificio ac maximis sumptibus ædificata,quæ ob multitudinem,opportunitatem, ac elegantiam conclauium & cubiculorum sufficiens longè est ad quemuis magnum Principem excipiendum. Hæc fontibus aquarum artificiosissimis, Lacubus piscibus repletissimis omnis generis, & peramęnis ac floridissimis hortis omnigenis arboribus

Marmirolũ

ribus & vitibus elegantissimis consitis maximè exornatur.

Brixia.

BRIXIA,quam paruus amnis Garcia percurrit,ciuitas peruetusta primum retinẽs nomen Cenomanorum olim caput & metropolis,clara nũc, diues multum, & pernobilis, Fortissimis mœnijs cum arce munitissima, ciuiliq̃ue populo solertis ingenij ornata est,cuius aliquot sunt familiæ patritia Venetorum dignitate decorate. hæc autem & si ampla circuitu non admodum sit,& quæ 50. tantum habitatorum millia habet,secundum tamen locum inter Lõbardiæ ciuitates tenet ob amplitudinem suæ ditionis, nam sub ea sunt multa oppida habitatoribus opulentissimis refertissima, inter quæ præstantiora sunt Asolum, & Salodium, & sub eadem etiam sunt valles quædam populosissimæ,quarũ præcipua est Vallis camunia. in Brixiẽsi territorio aiunt quidam cõtineri 350. millia homines,comprehensis in hac numeratione paruulis. Ex hac vrbe etiam prodierunt nonnulli Cardinales, & viri armis & literis celebres, & eius dominium Senatus Venetus tenet.

Brixienſe ager.

Brixienſe territorium longè lateq̃ue patet: nam protenditur in longitudine milliaribus quinquaginta inter Limonem Benaci lacus vicum,& Vrceanum oppidum,in latitudine vero milliaribus centum à *Moso* scilicet,quod à Mantua 15. milliaribus abest, vsque ad *Dialengum* extremo in *Vallis Camunicæ* capite situm. Ager hic frequens est & oppidis vicis,pagis, & industriis colonis, vt quisque alius numerosus, atque valde fertilis,totusq̃ue ferè aquis irriguus. nam præterquàm quod omnium rerum ad victum necessariarum affluens est, vt tritico, milio, leguminibusq̃ue reliquis lino,vino item,oleo,ac cæteris arborum fructibus,gaudet quoque metallorum fęcũditate præsertim ferri,& æris,vnde hinc ingentẽ coloni quæstũ recipiũt.

Vrceanum oppidum.

VRCEANVM oppidum,quod vulgo *Orci noui* dicitur à Venetis dominis egregiè munitum ac tutissimum reditum, Episcopoq̃ue insignitum, est præsidium & arx iuxta Mediolani Ducatus fines.

Bergomum

BERGOMVM in iugo seu latere montis sita, antiquissima est sanè vrbs,in cuius montis radicibus latissima suburbia ciuitati annexa sunt,splendidissimis ædificiis omnis generis vbique exornatur. Gens lauta est, quæ etsi vili asperoq̃ue sermone vtatur,ingenio nihilominus solerti, acutoq̃ue tùm ad literas, tùm ad negocia gerenda, in quibus Florentinis non impar est, pollet. Ager (ait Leander) satis fertilis est præterquàm septentrionem versus. vbi asper totus,montosus,rigidus,totusq̃ue sterilis est. Valles sunt passim multæ,*Seriana*,*Brembana*,*Vallis D. Martini*,*Mancana* & aliæ,quarum aliquæ vinum, oleumq̃ue suauissimum ferunt, nonullæ propemodum inanes,ferro tamen abundant. Cæteræ quòd solo vitibus ponendis,& arationibus idoneo non sint,vellera suppeditant,ex quibus panni cõficiuntur, qui in totam ferè Italiam exportantur. Est autem ciuitas hæc fortissimis mœnijs & arce munita sub dominio Veneto.

Valles ſub Bergomẽſi ditione.

Crema.

CREMÆ oppidum nobilissimum situm est in iucunda, pulchraq̃ue planitie spatiis amplum, tutissimis mœnijs munitum,opum,rerumq̃ue omnium ad vitam vtilium abundans,lauto populo frequens,ædificijs priuatis splendidum. Agrum habet optimum,fertilem,excultum, aquis irriguum,

qui bona vina, & fructus bonos producit, aquarum riuulis nitet, piſcium optimorum refertiſsimis, præcipuè autẽ muſtellarum, & marſonorum vulgò dictorum gratiſſimi guſtus. Manet ſub Dominio Venetæ Reipublicæ.

Cremona. CREMONA nobilis, vetus retinens nomen, colonia Romana, & peruetuſta urbs ripæ padi amnis appoſita, hæc ob eius fidelitatem Principibus ſeruatam, *Fida* vulgò meruit dici *Cremona*, ſplendidis & magnificis ædificiis tum publicis tum priuatis ornatur, præſertim vero arce, ſeu turre

Turris Cremonæ. famoſiſſima admirandæ altitudinis anno 1284. condita, quæ inter mirabilia Europæ connumeratur, vnde extat prouerbium vulgi. *Vnus Petrus Romæ, vnus portus Anconæ, Vna turris Cremonæ*. Agrum habet planum, vberrimũ, ac maximè tritici, milij, cæterorumque frumenti generum, ac vini etiam fertilem, maximam quoque lini optimi copiam profert. Hæc vrbs ſub ditione Hiſpaniarum regis ſimul cum Mediolanenſi Ducatu manet, & arcem habet præ cæteris Italiæ munitiſſimam, hoſtibusque formidabilem.

Inſubres. INSVBRES populi poſt Cenomanos ſunt inter Abduam, Ticinũq; amnes, ac vlterius ad torrentem vſque *Gognam*, qui non longè à Pado in mediis campis diſpergitur, ſed, vt alij dicunt, habent ab exortu Abduam fluuium cum Lario, à meridie Padum: ab occaſu Ticinum amnem, ſeu rectius Seciam amnem, & à Septentrione Rhetos. Hi occidentalem Larij Lacus partem tenent, & has quatuor ciuitates memorabiles habet præter alia oppida, & uicos.

Mediolanũ MEDIOLANVM eodem adhuc nomine ciuitas potentiſſima ac populoſiſſima in apertis campis opportuno admodum ſitu poſita eſt, ſpatium complectitur ampliſſimum, & uicatim olim huc habitabatur, nũc uero eximiæ dignitatis collecta urbs eſt, ac inter maximas totius Europæ urbes recenſetur; numerantur enim in ea 200. mille habitatores comprehenſis paruulis. ſuburbia longa, lataque admodum habet, quibus plurimum augetur, quam cum ſuburbiis ipſis latæ aquarum foſſæ cingunt, per quas undiq; nauigiis annonæ copia defertur tam magna, ut omnia uili pretio hic emantur. Sunt hic tàm diuerſa artificum genera, tantaque frequentia, ut mirum ſit, ædificiis quoque ſplendidis, & magnificis omnis generis, nobiliſsimis familiis, & populo mirificè induſtrio repleta eſt. Ager urbis cæteris Italiæ præſtat oryzæ copia ob aquarum commoditatem. Quatuor ſummos genuit Pontifices Alex. II. Vrbanum III. Cęleſtinum Quintum: & noſtris temporibus Gregorium XIIII. uitæ integritate cognitum, ac permultos inſuper Cardinales, & uiros armis literisque inclytos. Titulo Ducatus potitur, manetque nunc ſub Hiſpaniarum regis potentiſsimi imperio, & arcem habet, quam dicunt *Portæ Iouiæ* munitiſsimam, quæ præcipuum eſt totius Europæ propugnaculum, quod nulla profecto humana ui capi ferè poteſt. Mediolanẽſis hic Ducatus ambitu ſuo complectitur 300. milliaria, in quem Hiſpaniæ rex Gubernatorem cum titulo etiam Capitanei generalis mittit, qui præeſt 3. millibus militibus pedeſtribus, hiſpanis mille equitibus leuis armaturæ, & ſexcentis equitibus, qui pro tutela huius ſtatus continuò hic permanent. Ex hoc ſtatu Mediolani Rex Hiſp. prouentum habet 80000. ducatorum aureorum. ſed adminiſtratio cauſarum ciuilium & criminalium pendet à Mediolanenſi Senatu, in quo ſunt 16. doctores, & nonnulli prælati, ac patritij Mediolanenſes.

Laudæ. LAVDA ciuitas, quæ uulgo *Lodi* dicitur, perhoneſta, diues, lauta, rebusque omnibus abundans eſt, populum habet ad mercaturam, ad arma, & ad diuitias parandas ſolertem. Agrum habet amœnum, irriguum aquis, & fertilem tritico, ſiligine, milio, cæterisque frumentis, item lini, uini ac aliorum fructuum: campi ſunt latiſsimi cum permultis pratis ad rem pecuariã ſummè opportunis, unde tanta caſei copia hinc conficitur, quod etiam in multis Italiæ locis tranſmittitur. Paret nunc Hiſpaniarum Regi.

Papia, ſeu Ticinum. PAPIA, quæ & TICINVM à fluuij nomine, cui appoſita eſt, dicitur, qui fontes in alpibus habet, in monte ſcilicet qui S. Gothardi dicitur. urbs eſt ſitu & aere mirè ſalubris, ſed patũ amœna & populoſa, quatuor milliaribus à fluuio ẽt Pado abſens, & agro fertili mirum in modũ ac amœniſsimo potitur, qđ tãtę ubertatis eſt, ut uulgò *Mediolani hortus* nũcupetur feris ẽt, auibus, & piſcibus nobilibus affluit, pontẽ hẽt Lapideũ amni Ticino appoſitũ, & gymnaſio publico ac celebri oĩum diſciplinarũ ornatur ann. 1361. à Carolo IIII. Imp. inſtituto, quod detrimẽta non leuia paſſum fuit à Franc. Galliæ rege, quãdo urbẽ ipſam obſedit, anteq̃ à Carolo V. caperetur, ſed inde Põtificũ Rom. & aliorũ Principum munificẽtia & liberalitate iterũ conſtitit. Iſthic duo ſunt collegia literatorũ, quorũ unũ habitationib⁹ cõmodiſsimũ Pius IIII. ſummus Pont. erexit, alterũ ædificiis ſplendidiſsimũ Carolus Borromęus Card. præteritis annis inſtituit. Sacrã Philoſophiã de uero Deo primus Ticini profeſſus eſt Syrus Aquileiẽſis eo tpe, quo D. Petrus eam Romæ docebat, quã hactenus fideliter retinuit. Ex hocq; olim fuit decretũ ut nõ amplius hæc urbs à flumine Ticinũ, ſed Papia uocaretur quaſi piorũ uirorũ patria, ſeu pia & uere religionis patria. Paret autem hæc urbs Regi Hiſpaniæ, & comprehenditur in Mediolanenſi ſtatu.

Nouaria: NOVARIA ciuitas modico in colle ſita, partim plano, agro amœno ac fertili, partim mõtoſo ſteriliq; potitur. pernobiles habet familias aliquot, quæ patriæ ipſi perſæpè clades inuexere. Manet nunc ſub ditione Subdita Hiſpaniarum Regi, ſed quadã conditione ea nũc Parmẽſiũ Dux fruitur.

Comum. COMVM urbs nobilis ac opulẽta in meridionali Larij lacus ripa amęniſsimo in loco ponitur, adeo ut ad ſolas delicias uideatur cõſtructa, nã ab una parte lacũ ipſũ hẽt; ab alia uero, ſcilicet uerſus meridiẽ agrũ peramœnũ, & oĩ genere fructuũ feraciſsimũ, atq; ẽt aerẽ hẽt ſaluberrimũ & iucũdiſsimũ, coloni ſolertes sũt & induſtria pręditi. Paret nũc Philippo Hiſp. Regi.

Rheti pop. RHETI populi, quos Plin. Venonetes vocat, incoluerunt olim eum terrę tractum ſupra Veronã ac Comum, qui in duas curias partiebantur, nempe in Primam, & Secundam. ut in Heluetię deſcriptione diximus.

Cantiani. CANTIANI gens Alpina tenent AXIMAM urbem, nunc *Belenzona* uocatam in *ualle Lauentina*.

Caturiges CATVRIGES, ſeu CATVRGIDI parua gens Alpium, qui tenuerunt ciuitatem EBVRODANVM circa Verbanum lacum. *Charges*

eorum oppidum nunc Galli vocant.

Camuni. CAMVNI Plinio & Strab. dicti *Vallē Camonicæ* tenēt nunc. q̄ lōgissime 50. milliarib. ꝓtēditur, & est populo numerosissima, & ferri fodinis diues.

Bechuni. BECHVNOS Ptolemęi Hermolaus putat esse *Focunates* Plinij, alpinos scilicet populos, qui habent *Vallem Suls*, nunc *D. Bartolomæi* dictam, partim Tridentinis, partim Venetis parent. Leander scribit eos esse, qui *Vallem Serianam* incolūt, quam Serius amnis interfluit.

Mesauci. MESAVCI Plinio sunt inter *uallem Mesaucam* inter altissimos, asperrimosq́ montes conclusam, & *Belincionam*.

Breuni. BREVNI Plinio sunt in *Valle Breunia*, quam percutrit Breunius amnis.

Tauriſci. TAVRISCI vt auctor est Cato *Vallem Lepontinam* tenebant, qui populi nunc *Lepontini* dicuntur.

Mincius fl. Porrò in hac Lōbardia Transpadana ꝑstātiores fluuij cęteris sunt MINCIVS, qui profluit ex lacu Benaco ꝑcipua claritate, & ad Mātuā decurrēs eā insigni stagno circūfundit, atq; hinc eadē claritate pergēs in Padū exoneratur. OLLIVS, qui Brixiani & Cremonensis agri in parte est discrimen, atq; ex lacu *Isei* Plinio *Sebino* vocato emanat, quo Brixiense & Cremonēse territoriū maiori ex parte irrigatur: unde pleriq́ue campi ex sterilibus, atq; calculosis benigni ac fertiles fiunt. fluuius is piscium bonorū est refertissimus, in quo pręsertim prope *Palatiolum* castrū innumeræ piscantur anguillæ, q̄ postea saliūtur.

Ollius flu.

Abdua flu. ADDVA, uel ABDVA, qui nō in Adua mōte, ut cēsuit Plinius, fontes suos habet, sed in altissimi mōtis *Braulij* gremio, quē Plinius & Strabo *iuga Rhetica* uocat. in lacū aūt Lariū ꝓfluit, è quo redditus, cuius aquas supermeat, ꝑ planitiē in Padū tendit, unàque Serium amnē in eo illabentem defert.

Lambrus fl. LAMBRVS, qui *Lambro* hodie Leandro dicitur, & *Mōtia* Ber. Sacco. & ex lacu *Eupili* redditus infra Lariū in Padū defluit. Hic aquarū perpetua claritate nitet, atq; optimorū piscių copia abundat.

Ticinus flu. TICINVS, qui oritur in fine Italię ex summis alpibus, qui nunc MONS *D. Gothardi* dicitur, & in Verbanū lacū cōfluit, è quo egressus in Padū quatuor milliaribus ultra Papiā exoneratur. Hic aquis perlucidus est, & piscių nobilitate famosus, ꝑsertim laudatissimis Thymallis, aurū & argētū ex eius arena ꝑcipitur.

Sencia flu. SENCIA, uel SCESIA, qui Plinio *Sessites* uocatur, profluit ex alpibus supra Burgum per *Vallem Scesiam*, cui nomen facit, & iuxta Vercellarum urbem discurrens in Padum exoneratur.

Sunt quoque lacus præstātissimi in hac regione, & piscibus refertissimi, nempe Benacus, Idrinus, Iseus, Larius, Luganus, & Verbanus.

Benacus lacus. BENACVS lacus, qui hodie *Lago de Garda* dicitur ab oppidulo id nominis, qd̄ iuxta ipsum est, longitudinē habet maiorē prope 35. milliarium per orientalē ripā, & si Strabo eā maiorem suo sæculo ponat, hoc est quingētis stadiis, q̄ 62. milliaria reddūt, latitudinē uero habet maximam milliariorum 15. aut saltem 14. à Salodio oppido ad oppidum Gardæ. Lacus is quandoq́ue ualdè fluctuosus est, ac procellosus tempestates imitans maritimas, atque fluctibus suis nauigia sępè cū ingenti dāno & periculo iactat. Optimorū autem piscium copia refertissimus est, & in primis Truttarum,

Xl^a mēsura.

& car-

& Carpionum, qui sanè pisces perrari sunt, ac paucis in locis reperti. Cingitur ubique lacus altissimis montibus amęnissimisq́ue, prætereaquàm à meridie, lacus omnis generis arboribus, oleis pręsertim frequentissimus, & nonnullis castris ornatus, inter quæ ualdè nobile est Salodium, quod aquis Benaci abluitur mercibus satis abundans, à quo incipit iucundus & amęnus tractus circa lacum ipsum, qui uulgo *Ripa, seu Riuiera de Salò* dicitur, & agro fertilissimo, spectatuq́ue iucundissimo potitur, & adeò arboribus fructiferis præcipuè medicis, limonibus, citriis, oleis, ficubus, & aliis id genus decorato, vt nulli præstantissimæ & fertilissimæ vniuersæ Italiæ regioni cedat, incolæ ex his fructibus ingentem faciunt lucrum, qui per Lombardiam Bononiam, & Venetias exportantur.

IDRITIVS, seu Idrinus lacus, vulgò dicitur *Lago de Ider*, & nomen sumit à castro eius nominis, satis piscibus abundat. Idritius.

ISÆVS lacus Plinio *Sebinus* dicitur & vulgò *Lago de Isse*, ambo hi lacus Idrinus, & Isæus sunt in Brixiensi territorio. Isæus lacus.

LARIVS lacus, seu Comensis, & vulgò *Lago de Como*, ab oppido sibi adiacente ad septentrionem in Austrum productus Benaco lacu maior est, Strabo eius longitudinem ponit stadiorum 300. hoc est propemodum 38. milliarium, latitudinem vero stadiorum 30. seu milliariorum quatuor quidam 60. milliaria ei secundum ambitum assignant. Est autem piscium optimorum fertilis, maximè truttis permagnis, coronatur uero vndiq́ue montibus, quorum cacumina castanearum arborum nemora habent, latera uineas, oleaq́ue: radices vero syluas, in quibus ferarum venationes frequentes fiunt. Larius lac^s.

LVGANI lacus, quem alij *Fucanum* etiam vocant dicitur ab oppido id nominis iuxta illum, & admodum tortuosus est præcipuis tribus ramis. Ab hoc profluit amnis *Tressa*, qui in lacum maiorem percurrit, circumquaque uero permultis oppidis & vicis conuestitus est. Lugani lac^s

VERBANVS lacus nunc *maior* uocatur, quòd aliorum in hoc tractu maior sit. Huius longitudinem Strabo ponit stadiorum 300. alij 320. vel 363. Latitudinem maximā Strabo facit stadiorum 30. alij 33. alij vero 56. sed non mirum est, auctores in huius lacus dimensione adeò inter se variare, quia tàm tortuosis anfractibus, recessibusq́ue implicitus est, ut eius mensura commodè tradi nequeat. Maxima vero procellarum vi sæuit, quemadmodum etiam Benacus maximè à uento Australi agitatus, quem incolæ Liuernam uocant. Pisces habet optimos præsertim truttas permagnas, & lucios insignes ac pisces etiam aurei coloris. & circumquaque ornatur honestis oppidis, uicis, collibus, campis amęnis, pratis herbidis, quæ omnia fertilissima sunt. Verban^s lacus.

Sunt autem in hac Lombardiæ parte hi Episcopatus Brixiensis, Bergomensis, Cremonensis, Laudensis, Papiensis exemptus, Nouariensis, qui archiepiscopi Mediolani suffraganei sunt: Mantuæ, Comēsis, qui Patriarchę Aquileiensi subsunt: Cremensis, & Vrceorum, qui subiecti sunt etiam Mediolanensi Archiepiscopo, ut opinor. Episcopi Lombardiæ Transpadanæ.

FORI



XVII.
FORIIVLII DESCRIPTIO.

Forum Iulij olim Liburnia.

FORVM IVLII Ducatus est, & carnorum populorum terra, ac regio Italiæ decima octaua, quæ olim Blondo teste LIBVRNIA appellabatur. Fori autem Iulij nomen quidam putant sumpsisse à Iulio Cæsare, qui legiones hac trans Alpes duxerit: Blondus eam ab urbe Foro Iulio denominari asserit, quæ quidem urbs à cancano Bauorum rege fuit deleta: Regionem etiam hanc AQVILEIENSEM à metropoli urbe Aquileia uocatam fuisse ex historijs apparet. Postremo *Patriam Friuli*, licet corruptè, dictam constat Venetis, quod nomen in hunc usque diem manet.

Forum Iulij vnde dicatur.

Aquileiēsis regio.

Regio hæc ab exortu Istriam habet, quam aliqui Sontio seu Lizontio fluuio, aliqui uero rectius Formione amne, qui nūc *Risanus* seu *Disanus* est, uel secundum alios *Alben*, separant, à cuius fluuij ostijs non procul est ciuitas Iustinopolis, quæ uulgo *Caput Istriæ* uocatur. A septētrione montes Iapidij, seu Alpes ab se Iuliæ uociratæ imminent. Ab occasu Vindelicorum, & Noricorum Alpes sunt, atque ab eadem parte Liquentia amnis Forum Iulij à Marcha Tarusina seiungit. Ab austro uero Adriatico mari alluitur.

Fines regionis.

Regionis situm Leander Albertus sic describit. Incipit à planitie mari appolita, moxque paulatim crescens primum in colles, tandem in montes altissimos euehitur, qui propemodum undique fines adeò claudunt, ut hæc uallata montium iugis planities tanquàm muro, theatrum uideatur, faucibus autem unis pateat, per quas, uti porta Sontij fluminis traiectu ab Tarusio aditur. Cæteros itaque terminos alpes undique premunt, ideoque nisi per maritimos portus, aut conualles montium, seu ipsos uertices accessum præbet.

Situs regionis.

Inhabitarunt eam primum quidem Euganei, Veneti, Troiani, Galli, posteaque populus Romanus, sed maiestate populi Romani inclinante, in Barbarorum Longobardorum potestatem collapsa est, quæ continuatim 14. Longobardici sanguinis Duces habuit, duosque Gallici usque ad Caroli magni tempora, & in potestate Imperatorum ex eius stirpe usque ad Ludouicum Tertium perseuerauit, cuius inde Ducatum Berengarius sumpsit, cui successerunt Berengarius Secundus, & Berengarius Tertius, & huius filius Adelbertus, sed his duobus ultimis ab Ottone Imperatore captis, regio ipsa sub Imperij Romani ditione iterum rediit, cuius bonam partem Otto Imperator Aquileiensi Ecclesiæ condonauit, posteaque Conradus Imperator reliquum Ducatus Fori Iulij cum Istriæ marchionatu dictæ

Incolæ antiqui.

Ecclesiæ

Forum Iulij est sub Venetis & particularib' dominis.

ecclesiæ addidit,atque sic Regionis imperium apud Aquileienſes Patriarchas fuit: donec tandem Veneti domini eam totam ſuæ ditionis effecerũt circiter annum Domini 1420. qua etiam nunc hodie tranquillè potiuntur. Attamen bona pars ſubiecta eſt comitibus & particularibus Dominis, qui omnes Dominio Veneto parent,& plerique eorum nobilitatem etiam Venetam obtinuerunt.

Regionis qualitas.

Regio hæc campos latos & irriguos, maximeque fertiles habet, unde fructifera eſt tota præter eam partem,quæ Alpibus uicina eſt, ubi colles neque ardui deſcendunt, in quibus caſtella non pauca ſunt; abundat uitibus, quæ gignunt generoſum uinum,quod Plinius in uinorum cenſura primo loco celebrat, Pucinumque uocat à loco,cuius ingentem copiam ad Venetiarum ciuitatem emittunt incolæ: fructus hic omnigeni, pomaque nobiliſsimi ſaporis: ſyluæ tùm ligno materiaque,tùm uenatu munificæ, prata nitidiſsima, paſcuaque gregibus pecudum utilia, agrum cunctis rebus tam neceſsitati mortalium, quàm deliciis & uoluptatibus opportunis per ſe abundat,cælum temperatum, aer ſalubris,rarò quippe ibi peſtis corpora hominũ inuadit. montes habet quoque omnium metallorum generibus fœcũdos,marmor habet candidum nigrum,uarium, lapillos cornelios,cambnitas,& berillos,ac criſtallum.

Hydra fluuius.

Eſt in hac regione Hydra ſeu Idria inſignis fluuius, ubi argentiuiui fodina habetur, & non procul à Montefalcone ſunt aquæ calidæ medicatæ, quarum meminit etiam Plinius, quæ nunc dicuntur *Balneæ Montisfalconis*. Eſt ibi etiam Tiliauentum amnis nauigabilis, qui in monte Mauro ortum habet ſupra uicum Phornium, ubi fons mirabilis, in quo lignum deiectum lapideo cortice obducitur, & uirgulta, foliaque immerſa lapideſcunt.

Tiliauentũ flu.

Vtinum.

Metropolis huius regionis eſt VTINA, ſeu VTINVM ciuitas ſatis ampla & magnifica, & non ab Hunnis condita, ut aliqui uolunt,nec ab Auſtriæ Ducibus, ſed peruetuſta & Plinio non ſemel nominata,in qua aliàs propter euerſam Aquileiam,fuit ſedes Patriarchatus, eſtque urbs omnibus rebus neceſſariis affluens, & quæ uiros ſumma ingenij claritate ſemper genuit. ad hanc Reſpu. Veneta præſidem mittit, quem Locumtenentem uocant,eius ambitus eſt milliarium quinque ac eius populus aſcendit ad numerum 16.millium. In hac etiam regione eſt AQVILEIA ubi Patriarchatus,olim urbs ditiſſima ac populoſiſsima, & domicilium Imperatorum; unde altera Roma dicebatur, mœnibus ſumptuoſiſsimis percincta, templorum apparatu,magnificoque amphiteatro,ac aliis ſplendidiſsimis tùm publicis, tùm priuatis operibus exornata. In hac Octauianus Auguſtus interdum conſidere ſolebat, hic quoque Cæſar Auguſtus controuerſias Herodis & filiorum audiuit,iudiciumque dedit,ut refert Ioſephus. Tiberius hic quoque cum Iulia uxore cõmoratus eſt. quæ ibi immaturũ edidit partum. Nunc autem infrequens eſt colonis, & ad ſolitudinem propemodum perducta, poſtquàm direpta & flammis incendioque planè uaſtata fuit ab Attila Hunnorum Rege cum internicione 37. ferè millium hominum in ea

Aquileia.

in eâ degentium, multos autem & præclaros homines omnibus ſæculis tulit.

Aquileiæ porrò Patriarcha etiam num creatur, qui Venetiis ſuam ſedem habet, ſub quo ſunt hi Epiſcopatus,Concordiæ, Polæ, Parentij, Tergeſtinenſis,Comaclenſis,uel Petenſis, Iuſtinopolitanus, Madrienſis ciuitatis nouæ. præter alios etiam Epiſcopatus marchiæ Taruiſinæ ipſi ſubiectos, ut Mantuanus, Cumanus, Tridentinenſis, Veronenſis, Marauenſis, Patauinus,Vincentinus,Taruiſinus,Cenetenſis,Feltrij, & Bellunenſis. Primus autem Aquileiæ patriarcha fuit Diuus Marcus Euangeliſta miſſus à Sancto Petro Apoſtolo, ut prima religionis,ac fidei Chriſtianæ fundamenta proferret, conſtarque ibi Chriſti Euangelium conſcripſiſſe. Sunt etiam aliæ celebres ciuitates in hoc Foroiulienſi Ducatu, ut TERGESTVM in littore maris colonia Romanorũ,ſic dictum,q ter egeſſerit radicem,ideſt ter euerſum fuerit, cuius ager pretioſum uinum producit, quo nullum aptius medicamentis iudicatur. hunc Græci miris laudibus celebrarunt *Pictanum* appellantes, incolæ nunc *Ribollam* dicunt. GORITIA olim *Nereia*, in qua multa uetuſtatis ſuperſunt monumenta, PORTVS GRVARIVS antiquis *Portus Roncalus* dictus, deinde SPILIMBERGVM, MARANVM, MONS FALCONIS & aliæ, fuit in hac etiam regione CONCORDIA urbs famoſa ſatis, quæ ab Attila Hunnorum Rege comminuta fuit, cuius nunc extant ſolum murorum fundamenta. Tandem portus habet regio ipſa in ora quamplurimos,coſque peroportunos.

Status eccleſiaſticus.

Vrbes præcipuæ.

Concordia.

ISTRIÆ DESCRIPTIO.

ISTRIA regio eſt Italiæ decimanona, idem quod prius nomen retinens, ſub Cherſoneſi, ſeu peninſulæ forma, quemadmodum à Plinio, Ptolemæoque deſcribitur,quæ inter duos impetuoſos ſinus extollitur Tergeſtinum ſcilicet, & Carnarium, excurrens in mari Adriatico. Hæc autem Plinio teſte IAPIDIA olim dicta fuit, & *Iſtria* nunc ab Iſtro Principe,quem Ianus tum Italiæ præſidens hæc in loca miſit, ut Cato cenſuit, denominatur: non autem ab Iſtro fluuio, ut cum Plinio multi putarunt.

Iſtriæ forma.

Iſtria dicta fuit Iapidia.

Huius terminum ab occidente Petrus Copus in Iſtriæ coſmographia & alij Timauum amnem conſtituunt, & ſic Tergeſtum, Mugilam & Duinum Iſtriæ adnectunt, Verum rectius cum Leandro Alberto Plinium inſequuto ab occaſu fines erunt Formio amnis, & pars maris Adriatici, à meridie mare Adriaticum, atque etiam ab oriente mare cum Arſiæ fluuij oſtio, ubi incipit Liburnia. A ſeptentrione uero Alpes, quæ Carniolam, & Pannoniam ab Italia ſubmouent. Latitudo Iſtriæ Plinio teſte eſt 40. milliarium

Iſtriæ termini.

Iſtriæ menſura.

milliarium ſcilicet in Iſthmo & ſecundum alios. 30. milliarium circuitus 122. nempe à Formione fluuio, qui nunc *Riſanus* eſt uſque ad intimum angulum Carnarij, ſeu Fanatici ſinus, ubi Caſtellum nouum cum Arſiæ fluminis oſtio, alij uero nauigationem circiter 150. milliarium eſſe aſſerunt.

Iſtriani à quibus ortum duxerint.

Iſtrorum gentem fama eſt originem à Colchis duxiſſe miſſis ab Æeta Rege ad Argonautas, raptoresque filiæ perſequendos, atque horum populorum Liuius perſepè mentionem facit, eorumque audaciam in inuadendis legionibus Romanis narrat, ſic quoque Florus & alij Scriptores antiqui.

Regionis qualitas.

Tota regio aſpera potius quàm plana eſt, non tamen arduos habet montes, imo potius colles, eosque non infecundos, nam uitibus, oleis, aliisque pomiferis arboribus; paſcuis item, & pecoribus ſatis abundant, unum tamen altum habet montem, uulgo *mons maior* dicitur, qui à nauigantibus primum detegitur, ac multas profert rariſsimas herbas, quarum gratia longinqui etiam medici ſæpius magno cum labore illum conſcendunt, in eius etiam uertice fons emanat uberrimus. Frumento uero, ac cæteris leguminibus ingratus ager, attamen *Piſinus* fertilis & iucundus planè eſt, & ager quoque *Vmacus* ſeu *Humagus* in uniuerſum ferè planus, & arationibus ac

Saline Iſtrię

ſyluis munificus. Salem quoque regio hæc abundè præbet, & ad *D. Vincentium* uaſtiſsimæ ſunt ſyluæ materia nauibus fabricandis munificæ; piſci-

Saxifodinæ.

bus diues eſt ob inſularum & ſinuum multitudinem. Sunt etiam ſaxifodinæ nõ inutiles, quibus Venetiarum urbs in primis tàm in publicis, quàm in priuatis ædificiis opportunè ſatis exornatur, nam in *Rouinienſi* agro marmor cæditur Iſtricum uocatum, quod in tota Italia maximo æſtimatur pretio, & in *Breonia* lapis etiam cęditur Rouinienſe mollior, quem ad ædificia magnifica Veneti, aliæque Italiæ ciuitates eligunt. Incolæ corpore &

Incolarum mores.

animo parum præſtant; ſuntque pauperes, ut plurimum ob uicinitatem urbis Venetiarum, quæ omnem negotiationem ad ſe trahit.

Sunt in hac regione urbes, oppida, pagique multi enm modicis inſulis, & ſcopulis, in ora ipſoque mari ad eam pertinentibus, & præter reliqua habet POLAM, peruetuſtum ſatis, ac nobile oppidum priſcum retinens

Pola.

nomen à Colchis in ſolo plano conditum, quod Græcorum ſermone exulum ciuitatem ſignificat, quod poſtquàm colonia Romana factum fuit, PIETAS IVLIA uocatur, ubi etiamnum in agris præcipue antiquitatis ſemirupta opera, amphitheatrũ ſcilicet ac ſepulchra uetuſtis inſcripta literis paſsim reperiuntur ab Athila primum euerſa. deinde à Genuenſibus quoque non ſemel dirupta, nunc uero urbs Epiſcopalis eſt.

Iuſtinopolis.

Eſt etiam IVSTINOPOLIS quoque Epiſcopalis, uetuſta ſanè urbs ab ijſdem Colchis ſicut Pola ædificata, ſed à Iuſtino Imperatore, à quo poſtea nomen cępit, inſtaurata; hæc totius Cherſoneſi primaria erat, ſed à Genuenſibus planè direpta incendioque uaſtata fuit, quam poſtea refectam fuiſſe conſtat, nunque *Caput Iſtriæ* uocatur, quoniam in capite prin

Caput Iſtriæ.

cipioq; regionis ſita eſt, cuius ager bonus eſt, & haud ignobili uino, oleoq; & ſale fęcundus.


Maiori

Maiori ex parte Iſtria Venetis patet Dominis, & vna pars oppidorum ipſius Auſtriacis ſubiecta eſt. Præcipuos & nobiles fluuios habet tres. Formionem, quem Accolæ *Riſanum* vocant. Nauportum quem *Quietum* appellant, & Arſiam qui in ſinum Fanaticum fluit, & eſt modo Italiæ terminus.

Iſtria Venetis, & Auſtriacis ſubeſt.

Iſtriæ fluuij

Universidad de Deusto
Biblioteca



XVIII.
SARDINIAE INSVLAE
DESCRIPTIO.

SARDINIA insula magna est, & Siciliæ maximè par, quæ à Sardo Herculis filio sic vocitata fuit, qui è Lybia veniēs insulam hanc occupauit: antea Ichnusa teste Arist. & Plinio dicta fuit, *Signosa* Martianus corruptè ponit; ab effigie autem soleæ Timæus & alij ipsam *Sandaliothem* appellarunt vnde Manlius. Sardinia vnde dicta.

Sardiniam in lybico signat vestigia plantæ.

Hæc autem à septentrione in Austrum porrigitur, & in occidentem magis, quàm in orientem latior est, quæ à septentrione Corsicæ adiacet, neque nisi octo milliaribus ab ea tantum abest. Quod interuallum nonnullis etiã modicis scopulis coarctatur, qui *Taphrossæ* insulæ vocitantur, ab hisque fretum ipsum inter Corsicam & ipsam Sardiniam *Taphros* nominatur. Ab ortu Tyrrheno alluitur mari, qua ex parte obiectam habet Siciliam 200. milliaribus velifico cursu disiunctam. A meridie ab Africo mari abluitur distans ab Africa milliaribus plus minus 160. Ab occasu vero mare habet ab se Sardoum vocatum, quod nomen ad Gaditanum vsque fretum proenire Erathosteni placuit. Sardiniæ fines.

Huius ambitus Straboni ponitur 500. mill. Plinio 562. alijs autē 660. Et longitudo à septentrione in Austrum est Straboni mill. 220. iuxta Plinium 188. mill. secundum Ptolemæum 234. at vero iuxta recentiores 240. quam tamen longiorem mill. 180. per dimensionem ex tabulis Mercatoris non inueni, & secundum latitudinem 90. secūdum vero ambitum 500. vt etiam Strabo ponit. Sardiniæ mensura.

Posita est sub quarto climate complectens 11. & 12. parallelos, in quo tractu maior dies æstatis est horarum prope 14. cum tribus quartis. Situs cœlestis.

Incolæ Straboni & Diodoro *Iolai*, seu *Iolaenses* dicuntur, eosque postea Strabo *Diagrebes* dictos scribit. sed qui insulam ipsam primum habitarint, non satis certò inter auctores constat: hoc tamē verum est Romanos cum Carthaginiensibus de ipsa decertantes, eius dominium obtinuisse, ibique suas colonias posuisse. Decidente postea Romano Imperio Paracennorum iugum insula hæc substinuit, donec capta fuisset à Genuensibus & Pisanis, ipsamque summus Pontifex ex horum manibus ereptam in feudum Aragonensium Regi dedit, quæ postea hæreditario iure ad Carolum quintum translata fuit, atque nunc ad Philippum Hispaniæ regem eius filium. Incolæ Sardiniæ.

Pardi autem populi corpore robusti sunt, colore fusco ob solis ardorem, Sardorum mores.

mores habent incultos, laboris dediti & venationibus sunt, cibis vescuntur libenter grossis, at maxima cum hospitalitate exteras gentes tractant, pacificeque inter ipsos viuunt, tametsi nõ desint, qui ipsos crudeles esse asserãt.

Sardinię diuisio.

Diuiditur insula hęc in duas regiones seu partes, nempe in caput *Calaris*, quæ respiciens Corsicam montuosior, sed tamen amena est; & in caput *Lugudori*, quæ Africam respicit.

Regionis qualitas.

Regio autẽ argẽti plenes & fertilis, & in vniuersum fructibus omnigenis, atque frugum præcipuè tritico abundantissima est, sicut & Sicilia, est tamen solo, quàm cęlo melior; nam vt secunda ita penè pestilens est. ex quo parum habitatur, quod æstiuo tempore ac in locis maximè ferrilibus accidit, hoc est in parte Lugodori, vbi paludes multæ insident, quę planitie tota sternitur, nam quæ pars Boream respicit scilicet caput *Caliaris* scopulis aspera, ac immitis aquilonaribus flatibus est, ac morbosa minus. Secũdum optimã parentem vocat Ælianus, & præter reliqua copiosè animalia habet, *Mufrones* uel *Muscriones* vocata, nullo alio in loco Europæ comperta, quæ ceruis in aliquibus assimilantur. quorum pelles loco armaturæ seruiunt, quarum bona pars in Italiam adducitur: animalibus nocuis, serpentibusque caret, & si vulpem habeat, & solifugam nutriat animal perexiguum, araneis forma simile. Nascitur quoque ibi sardonica herba, vulgò *Rianuncula* vocata in fontaneis aquis, quæ neruos vescentibus contrahit, ipsique dum ea commesta moriuntur ridere quodammodo videntur, vnde prouerbium natum est de risu sardonico. Hybernæ pluuiæ in æstiuam penuriam conseruantur, nam rarò isthic imbres cadunt. Stagna pisculentissima sunt, similiter fontes calidi sunt, & salubres aliquot locis scaturiunt, qui medelas hominibus afferunt, sunt etiam ibidem sulphuris, argenti, & aluminis minęræ, & sabinæ quoque permultæ.

Sardonica herba.

Episcopat. Sardiniæ.

Sunt autem in tota insula tres Archiepiscopatus, qui episcopatibus nonnullis moderantur, & hi sunt Archiepiscopus CALARITANENSIS, cui subsunt Sulcitanus, vel Sulcitensis, Dolitensis, Puellensis: Archiepiscopus TVRRITANVS, cui subsunt Sorrensis, Plonatensis, Ampurinensis, Gisacensis, vel Girardensis, Castrensis, Othauensis, vel Othaicensis, Bosanensis: & Archiepiscopus ALBORENSIS, cui subsunt Vssellensis, Sanctæ Iustæ, Terræ albæ, Ciuitatensis, exemptus, Galtellensis exemptus.

Calaris.

Ciuitates illustriores in hac insula sunt CALARIS in monte prope mare Africæ sita cum amplo & pulchro portu, in qua residet Vicerex totius insulæ cum Baronibus & aliis nobilibus. ORISTAGNA item, olim *Arborea* nuncupata, cuius regio Oristani Marchionatus dicitur, in qua olim erat TVRRITA vel TVRRITA colonia Romanorum, quæ Tolomeo *Turris libisontis* vocatur; deinde SASSARIS, vbi originem ducit nobilis aquæductus altitudinis palmorum 18. qui duodecim milliaribus extenditur vsque ad S. Gauini templum. *Alghes, Bosa* Principis Salernitani, & *Aragonense* oppidum.

Oristagnã.

Sassaris.

INSVLÆ CIRCA SARDINIAM.

PROPE ipsam insulam sunt nonnullæ paruæ insulæ, ac scopuli, ut PHINTONIS insula, nunc *Isola rossa* vulgò dicta: ASINARIA, quæ olim *Herculis* Ptol. Insula S. TERAMI olim *Diabase*, Insula SANCTI PETRI olim *Hieracum* seu *Accipitrum* Insula. Insula PLVMBEA hodie *del Torro*, FICARIA nunc *Serpentaria*. Et HERMEA, nunc *Tolaro*.

Phitõtis in. Asinaria. D Petri. Plumbea. Hermea.

SICILIÆ DESCRIPTIO.

SICILIA insula antiquitate, rerum claritate, & beatitudine nulli in mediterraneo mari secunda: posita est inter Italiam & Africam, atque sic dicta fuit à Siculis Liguriæ populis, qui expulsis Sicanis eam inhabitarunt. Prius namque SICANIA à Sicanis habitatoribus vocabatur, TRINACRIA etiam à tribus promontoriis, & TRIQVETRA ab eius forma Plinio teste dicta fuit. TRINACRIS Ouidius legit, & TRINACIA Dion Alexandrinus. Alia quoque nomina, seu mauis Epitheta apud Poetas & Historiographos obtinuit. Homerus enim *Cycloporum*, Lycophron *Triceruicem*, *Pindarusque Tricuspidem*, ali vero *Solis* insulam nominarunt.

Sicilia. Varia Siciliæ nomina

Hæc à septentrione alluitur à mari Tyrrheno *Infero* vocato: ab ortu ab Adriatico & Ionio, quod etiam *superum* dicitur: à meridie ab Africo, & ab occasu à Sardoo. Extrinsecæ partes huius insulæ efformant trianguli figuram, cuius tres anguli totidem producunt promontoria, quorum unum dicitur PELORVM, uulgò *Capo del Faro*, quod ad boream situm respicit Italiam, seu Cenè promontorium Calabriæ, hodie *cauda vulpij* uulgò uocatum: aliud est PACHINVM, vulgò *Capo Passero* uersus Ostrum & Leuantem, quod Peloponnesum Græciæ spectat: Vltimum est Lilybęum uersus meridiem & occasum, uulgo *capo Boco* uocatum, quod montem Mercurij promontorium Africæ aspicit, à quo ut uiciniore Africæ parte centũ milliaribus distat; quamuis Strabo, & Ptolemæus 180. ponant. nam in remotiore parte Insulæ, à Pachino ad Tripolim Barbariæ 400. millia computantur. Distat uero dictum Lilybæum prom. à Calaritano Sardiniæ promontorio, milliaribus 190. uel secundum alios 200. Sed ab Italia in uiciniore eius parte non recedit plusquã mille & quingentis passibus, & in remotiore 300. millibus, hoc est à Drepano Siciliæ ad Neapolim, quamobrem Siciliam Italiæ, ceu peninsulam, coniunctam olim fuisse Scriptores unanimi consensu tradunt, quæ postea ob terræ motum: uel ob Æthnæ montis incendium

Siciliæ fines. Inf. forma. Distantia Siciliæ à continenti. Sicilia olim Italiæ coniuncta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendium : aut etiam ob continuum vtriusque maris, Ionij scilicet, & Tyrrheni fluxum,& refluxum ab Italiæ continenti auulsa seu recisa fuit. Quod hæc maximè indicia esse possunt, quia mare illius freti plusquàm octoginta passibus non profundatur: & Rhegium oppidum in margine Italiæ situm scissuram significat: atque etiam, quia terra ibi fragilis & cauernis quibusdam,fistulisque ita penetrabilis est,vt uentorum tota fermè flatibus pateat. Mare porrò illud,quod inter Italiam & Siciliam intercedit,est adeò æquum, & atrox, ut ab antiquis *Scyllæ & Charybdis* inuisis nominibus fuerit insignitum:*Scylla* saxum est,*Charybdis* mare, utrunque noxium appulsis nauibus.

Scilla & Charybdis.

Cæterum quamuis insula hæc triquetram habet formam, obliqua sunt tamen eius latera,nam latus ortum respiciens concauum est,& septentrionale latus aliquantum curuatur. Continet autem Septentrionale latus à Lilybeo ad Pelorum milliaria 281. uel iuxta alios 285. Meridionale latus à Lilybeo ad Pachinum mill. 193.uel iuxta alios 240. Orientale uerò latus à Pachino ad Pelorum mill. 150.uel secundum alios 175.Vnde isti ambitum 700.milliarium, illi uero ambitum 624. colligunt. Posidonius uerò referente Strabone 550.tantum milliaria in ambitu colligit.

Insula mensura.

Ponitur uero sicut & Sardinia in quarto climate inter 11.& 12.parallelum, in quo tractu maior dies æstatis fit horarum 14. cum duabus tertijs & amplius,in quibus quidem insulis conspicitur Canobus stella omnium splendidissima in Argonauti,quæ maiori Italiæ parte absconditur.

Situs cœlestis Siciliæ.

Incoluerunt olim insulam primum cyclopes atque Lestrigones, hoc est gigantes,gētes barbaræ, & inhumanę,ut historiæ & fabulæ unanimiter produnt, & ut clarè ossa illorum ingentia diuersis temporibus per totam insulam reperta fidem faciunt,deinde Sicani natione Hispani,post hos uero Siculi,ultimo tandem Græci colonias suas in insulam posuerūt, urbesque maritimas condiderunt & mutua consuetudine cum Siculis utentes, Siculi omnes simul appellati fuere. Troiani quoque post Troiæ excidium appulerunt ad hanc insulam, qui de nomine maioris eorum ducis. Elimi uocabantur circiter etiam illa tempora Cretenses cum Rege illorum Minoë ibidem conuenerunt, & post hos Græci ex diuersis partibus Græciæ proficiscentes huc colonias posuerunt. Præterea missæ etiam fuerunt in Sicilia coloniæ à Romano Senatu tempore primi belli Carthaginensis,atque Cæsaris Aug. Imperatoris. Cecidit uerò sub orientali & Constantinopolitano imperio anno 624. à Christi natali post imperij scilicet diuisionem, atque sic 200.annorum spatio permulti Græci ad insulam inhabitandam concurrerunt: uerum tempore Iustiniani Imperatoris insulam ipsam occuparunt Gothi, qui tamen post 17. annos à Belisario Iustiniani duce pulsi ab ea fuerunt. Saraceni deinde,regnante Michaele Balbo, eam occuparunt,in eamq; 400.annis dominati sunt,donec à Normanij, uicti & pulsi fuerunt, tuncq; magna Longobardorum multitudo in insulam uenit', postea uero Sueui & Germani, sed his à Clemente Quarto ex Sicilia pulsis ingrediūtur insulam Galli, qui omnes post 17. annum dum uesperæ canebantur à Siculis trucidati fuere anno scilicet 1282. quo quidem Aragonenses Insulæ dominium

Varij huius insl. habitatores.

Sicilia sub Imp. oriētis

Gothi accipiūt Siciliā.

Saracēni in Sicilia.

Normani.

Galli in Sicilia ab incolis trucidati.

obtinuerunt

obtinuerunt, quod perdurauit annis 230. vsque ad Ferdinandum Regem, qui anno 1516. Hispaniæ obijt. Huic verò Carolus V. Imperator, ac Hispaniæ Rex successit, & post eum Philippus Hispaniæ Rex, nunc Siciliæ moderatur, ex qua prouentum vnius millionis aureorum quotannis recipit, mittitq; ad eam gubernandum Proregem.

Sicilia, nūc sub Rege Hispaniæ.

Tota insula diuisa est hodie in tres regiones, quæ sunt Vallis Demona, Vallis Neeti, & Vallis Mazaræ. VALLIS DEMONA à fluminibus Teria, & Imeria clausa angulum Pelori promontorij continet, & hanc Ptol. ætate inhabitarunt Messenij, & Catanæi. VALLIS NEETI à fluuio Teria, & Gela clauditur complectens totum promontorij Pachini angulum,& hanc tenuerunt olim Siracusij. VALLIS autem MAZARÆ reliquum habet insulæ,in qua Lilybeus est angulus,cuius incolię Ptol. temporibus fuerunt Orbitæ, & Segestani.

Patriæ qualitas.

Inſ. diuiſio.

Vallis Demona.

Vallis Neeti

Vallis Mazaræ.

Insula porrò ipsa naturæ multo dissimilis est,cum & ignibus, & frugibus largè scateat. Est enim flatibus & matinis montibus vndique exposita, totaq; cauernosa,sulphur, & bitumen intrinsecus continens, quæ generandis, alendisq; ignibus naturalis est materia: quo fit, vt sæpè nunc gnes, nunc vapores compluribus in locis eructet; ex quo calidarum aquarum scaturigines multis in locis existunt: Tritico autem cæterisq; frugibus adeò benigna,atque copiosa est,vt Cato *cellam penariam, nutricemq; Romanę plebis* hanc insulam esse dixerit: Cicero autem & alij *Aerarium & vrbis Romę animam* fuisse tradunt olim. Quod etiam nunc videtur in agro *Leontino*, ac in multis alijs locis, vbi triticum agreste oriri asserunt, in quo quidem *Leontino* agro, & in territorio *Ennæ* & *Assoræ* ex vna segetū mensura centum colliguntur, vnde vulgò hæc loca *Campi dalle cento salme* dicuntur. Sæpius autem insulæ huius annona Italicæ vrbes fame oppressæ subleuantur. Similiter quoque Siciliæ terra vites sponte producit,& vina dat generosa cæteris quibuscunque Italię paria, inter quæ Plinius *Balinthium* laudat, quod saporem habet vini mulsi, hoc autem putant aliqui esse *muscatellum dulce* vulgò vocatum. Abundat quoque melle, oleo, pice, croco,lana,& cæteris eiusdem generis, & profert Ebosiam cannam vulgò *Canna mele* dictam, ex qua per decoctionem magna sacchari extrahitur copia,maximè in *schizzo* oppido: Fructus omnis generis suauissimos habet, atque cardorum, & radicum sylvestrium palmarum maximam copiam, sal minerale hic etiam inuenitur in quampluribus montibus; præter factitium, quod multis in locis conficitur. Sericum colligitur copiosè præsertim in *Messinensi* agro, quod optimum est: venationibus amnibus quibus tota abluitur,piscationibus, & fontibus cōmodissima: & aquis calidis, vt sunt Thermæ *Segestanæ* antiquis famosæ, & aliæ prope *Xancham vrbem* est regio; atque lapillos non paucos pretiosos profert. nam Agathes in fluuij Agathi ripis adinuenitur. Beryllum propè oppidum *Gratterium* extrahitur: Porphireticum lapidem duorum generum habet, rubeum, scilicet albo permixtum, & viridem, & Diasprum rubeum porphido pretiosius. Sunt lapicidinæ marmorum nigrorum, & aliorum diuersicolorum, atque

Tritici in Sicilia minus prouentus.

Triticum agreste.

Vites sponte prouenientes.

Sachari copia.

Serici copia

Aurifodinæ Siciliæ.

alabastri minera in *Entellano* agro vallis *Mazaræ* reperitur, & in agro *Iuliano* eiusdem vallis sunt mineræ auri, argenti, & ferri, vbi etiam adamantes,& porphidi habentur. Generatur corallum etiam hodie sicut olim inter Drepanum & insulam Eliam.

Aetna mõs ardens.

Mirabilia quoque de hac insula traduntur, nam ÆTHNA mons, etsi continuo flagret, nihilominus in summitate ipsius,ubi ignis maior est, niues continuæ,& densissimæ sunt,quæ æstate etiam uisuntur. In agro *Menci* reperitur celebratissimus ille lacus PALICORI à Plinio *Ephintia* uocatus hodie *Naptia*, qui à tribus ostijs aquam feruentissimam emittit, quæ dum feruet fœtidissima est, & magnos strepitus facit. Apud Æthnæ montem est fons aquæ frigidæ acetosæ, quæ tamen feruet, in qua panni gallis prius intincti mox nigri efficiuntur. In ripa *Bonalia* apud montem *Tricem* post Drepanum est fons, cuius aqua semel tantum exhausta uentrem mouet,tandem in territorio Lilibei galli, & gallinę magnitudine sua reliquas Europæ, & Aphricæ excedunt. Præcipue autem sunt quæ insulam hanc nobilem reddũt hæc,ut scribit Ortelius. Cereris natiuitas,Proserpinæ raptus, Enceladus gigas, Archimedes Mathematicus, Euclides Geometra, Diodorus Historicus, Empedocles Philosophus, Dædali ingeniosa opera, Sybillæ Cumanæ sepulchrum, Syracusæ pentapolis, seu quadriubrs, Arethusa fons,Aethna mons,Palicus lacus,Scylla, & Carybdis,atque Lais meretrix, quibus addi potest ingens Siracusæ portus.

Lacus aquę feruentissimæ.

Aqua tingens in nigrum.

Notãda huius insulæ.

Incolarum mores.

Sunt autem ut plurimum SICVLI ingenio acuti, natura facundi; unde Apuleius eos *trilingues* nuncupauit; faceti, sententiosi, & arguti, sed nihilominus loquaces; unde apud antiquos sunt *gerræ siculæ*. Præterea suspicione pleni sunt, & inuidi,necnon etiam asperi, & rustici: strenui bello sunt, & qui facile iniurias inferunt,& de ijs facilè uindictam sumunt; adulatores quoque sunt,attamen grato animo aduenas recipiunt;in inuentionibus uerò multum apti sunt. Et ab iis inuentam fuisse oratoriam artem, & pastorales Eglogas Aristoteles,& Diodorus asserunt,horologiorũ etiam inuentores Plinius,& catapultarũ Plutarchus faciunt.Idioma habent Italicũ,sed corruptũ,atq; ingratum,uestitum quoq; cum Italis cõmune tenent.

Vrbium huius Regni numerus.

In Siciliæ regno sunt hoc tempore ciuitates, & oppida 173. quamuis Plinii ætas 72. tantum numerauerit, inter quas tres sunt, Archiepiscopali dignitate claræ, PANORMVM scilicet, MESSANA, & MONSREALIS, quibus Archiepiscopalibus subsunt alii suffraganei Episcopi, nam

Archiepiscopatus

PANORMI Archiepiscopatus habet sub se Agrigentinum Episcopũ,

Episcopatus Siciliæ.

Mazarensem, & Mileuitanum, seu Maltensem, qui est in insula Melita. MESSANENSIS Archiepiscopus habet sub se Lipsaledensem, Pacensem, Liparien sem in insula Lipari, Pattensem, & Sancti Marci. MONTISREGALIS demum Archiepiscopus continet sub se Siracusensem,& Catanensem.

Panormum.

PANORMVM Rom.olim Colonia, FOELIX cognominata,ædificiis magnificis nunc ornata, & gymnasio publico, in hoc Sicilhæ Prorex cum baronibus & nobilibus sedet, atque etiam antiquitus Regum insulæ

sedes

sedes erat propter loci amęnitatem.

Messana.

MESSANA etiam Colonia Romanorum fuit, & olim *Zancle* uocabatur, nunc autem insignis urbs est.

Siracusa.

SIRACVSA urbs grandior olim, pulchrior & amęnior omnium fuit,quas Greci in hanc Ins.condiderũt quę nũc maiori ex parte destructa.

Catenia.

CATANIA olim nobilissima, & antiqua urbs, nunc studio generali claret,sed prope ipsam est nemus octo mill.in ambitu, in quo latrones degunt, qui crebrò uiatoribus insidias parant.

INSVLÆ, CIRCA SICILIAM.

Liparęæ insulæ.

CIRCVM ipsam Siciliam sunt aliæ insulæ, & primo quidem ad Boream sunt LIPAREAE insulæ, *Aeoliæ* prius uocatæ,deinde ARNAE, postea à Græcis *Ephestiades*, à nostris uero *Vulcaniæ*,cum eas ardere dixerit Plinius. PLOTAE etiam Dionysio Alexandrino dicũtur,quas quidem nunc undecim esse comperio, quamuis antiqui septem tantum posuerint, & sunt hæ.

Vulcania insula.

VVLCANIA, seu Hiera,uel Therasia cæteris eius loci amplior extat,saxosa tota deserta,& ignita,cum sæpè flammas eiactet, unde Deo Vulcano quondam consecrata fuit, atque eius domus dicitur, hanc repente in mari editam esse tempore mortis Scipionis Aphricani auctores perhibent, in qua collis est nocturnas etiam num euomens flammas,nam anno 1444. 5. Feb.circa auroram maximam flammæ copiam, ignitaque saxa adeò impetuosè eiecit, vt nõ tàm cæteræ Æoliæ,verũ & ipsa Sicilia contremuerit.

Lipara ins.

LIPARA, antea *Thermessa*, seu Thermesia à balneis quæ in ea sunt, & Plinio rectè *Melingunis*,à priscis dicta ob eius nigredinem; circuitum habet paulò minorem quinque millium passuum, si Nigro credimus, uel decem si Leandro,uel 18 si Fazellæ, distatque à Sicilia 20. milliaribus, uel secundum Plinium 12. Quæ quidem fertilissima est,& suauissimorum fructuum domesticorum,hic bitumen,& sulphur gignitur,alumenq; copiosè producit, scaturigines quoque aquarum habet calidarum medicarum ad ualetudinem simul & uoluptatẽ accommodatissimas, quæ olim à Siculis morbo affectis,incolumitatis gratia admodum frequentabãtur,& mare circum se omnigenos pisces abundè præbet præsertim męnas, quæ uulgò dicũtur *menole*.Ignes huius insulæ extincti prorsus superiore sæculo fuerunt absumpta omni sulphurea materia, cuius uestigia adhuc conspiciuntur, Anno 1544. ferro,igneq; totã uastarunt insulam Turcæ,quæ tamen confestim à Carlo V.instaurata,& munita fuit missis,ad eã Hispanorũ Colonijs.

Lisca blãca.

LISCA BLANCA, quæ milliaris ambitum habet, estque octo milliaribus ad ortum Liparæ, visuntur adhuc in ea antiquæ habitationis monumenta, & vetus cisterna ad imbres suscipiendos.

Basiluzus.

BASILVZVS, cuius circuitus est duorum milliarium,atq; in Oriẽtem à Lipara 10.milliaribus recedit,quæ quidem culturæ in primis idonea est.

Euonymos. EVONYMOS parua insula nũc STRAMBOLINVS dicitur, vel VVLCANETVM secũdũ alios, estq; inter Liparã & Didymã, & hodie interdũ emittit ignes, & tenuissimo Euripo à Vulcania recedit, qui olim peruius erat ac fida nauium statio, sed paucis, ab hinc annis cinere, ac lapidib. præclusus est.

Dinaras. DINA, seu DIDYME à forma sic dicta, i. gemella, ideo duæ à quibusdam putãtur, nunc *Alendi* à iunioribus nominantur, vt scribit Niger, Leandro *Panarię*, sed si Fazellæ Siculo credimus dicitur nunc vulgò *le Saline*. Habet in circuitu 12. mill. & antiquitus emittebat ignem, vt à quibusdã locis voragines ipsæ indicant. Producit maximam vini copiam & fructuũ, & aluminis etiam multum, distatq; à Lipara versus Septentr. 4. milliaribus.

Strongyle. STRONGYLE, OSTRONGYLA, & Straboni *Strombolis* à figura circulari vocatur, & circuitũ 10. mill. habet, & totidẽ à Lipara versus Ortũ distat. In hac Æoli domicilium fuisse autores tradũt. Emittit ignẽ & pomicẽ cum ingẽti fętore, noctu & interdiu, qui ignis clarè noctu ardet, eminusq; à nauigantibus conspicitur. Vna autẽ eius pars ob continuũ ignẽ sterilis, & aratri impatiẽs redditur, nec aliquo pacto coli põt, reliqua verò fertilis est, ac arborũ fructuumq; copiosissima, ubi etiã maxima gossinij copia habetur.

Thermisia. THERMISIA à multis falsò, *Hicesia*, Ptolemæo, vocatur *le Saline* nunc Nigro, & Leando, sed *Panaria* Fazellæ dicitur. Ambitus eius est 6. mill. & à Lipara uersus Ortum mill. octo abest, at secundum Leandrũ 5. stationem habet non in commodam, ubi & prostrata arcis vestigia apparent.

Phęnicodes. PHOENICODES, siue PHOENICVSA, quasi *Palmaria*, seu *Palmularea* dicitur à palmis, quibus olim maximè abundabat, nunc verò Nautis *Filicudi* uocatur, cuius circuitus continet 10. mill. & totidem distat à Lipara uersus Occasum, Estq; pascuis admodum idonea, ac Segetibus apta, & turris iacentis monstrat uestigia.

Ericodes. ERICODES, Ptolom. *Ericusa*, Straboni, Solino & Melę dicta, & Leandro *Alicur* abest à Lipara uersus Occidentem 15. mill. & à Phęnicusa quinque, hæc pascuis omissa est.

Vstica. VSTICA, quã sic hodie, & Ptol. dictã uult Fazella esse *Euonymon* Strab. distat ab Æolijs Occasum uersus propè 60. mill. & totidem à Sicilia uersus Boream, in qua oppidum erat eiusdẽ nominis. Quod nũc prostratum iacet. Hæc autem omnino deserta est, & commodam Pyratis stationem præbet.

Post Lilibeum Promontorium Sardiniam uersus tres sunt hæ insulæ,

Leuanzum inf. IEVANZVM, quæ Ptol. *Phorbantia* dicebatur, distatq; à Drepano 12. mill.

Fauognana FAVOGNANA, seu FANGIANA à Ptol. *Aegusa* uocata, quæ pingui agro, & optimis aquis præstat, unde agriculturæ est maximè accommoda. Fuit autem Carthaginensium clade nobilis, ac in ea nunc antiquæ arcis uestigia supersunt. Tutissimos habet sinus numerosissimæ classis capaces, & eurydo à Lilybeo dirimitur, in quo formicarum, & aliquot aliæ sunt paruæ insulæ, seu potius scopuli. In Drepani autẽ portu est exiguus scopulus, ubi arx uetustissima his proximis tpibus restaurata fuit, quæ *Colũbraria* dicitur.

Maresimus. MARESIMVS, quæ Ptol. *Sacca*, uel *Sacra*, à Drepano distat 30. mill. & thymo abundat, unde apes maximam mellis copiam ibi producunt.

Postre-

Postremò Meridiem versus sunt hæ aliæ insulæ.

MALTA, quæ *Melita* antea uocabatur, hæc autẽ posita est inter Sicilia Melita inf.
liam, & Tripolim Barbariæ, distatq; à Siciliæ Promontorio mill. 100. uel ut alij dicunt 60. Ab Aphrica uerò mill. 190. Eius ambitus est 60. mill. & lõgitudo ab Ortu ad Occasum 22. mill. atq; eius maior latitudo 12. Insula hæc maiori ex parte plana est, sed humilis, saxosa, & vẽtis exposita, aer isthic ęsta te feruidus est, ac ardens. Quinq; in ea sunt portus satis tuti, ac capaces parũ inter sese distantes, ac inter duos ex eis sita est arx in scopulo natura & arte inexpugnabilis, arq; formẽtis bellicis benè munita. Vrbs autẽ MELITA Melitaurbs.
distat ab arce sex mil. montibus, ut plurimũ, ac asperrimis uallibus circũual lata, & præsulatu clara. Isthic sũt circiter 60. pagi, seu casales populosi nullo męniũ ambitu obsepti. Incolæ huius insulæ tamesi Christiani sint, Saracenico tamen sermone, qui parum à ueteri Punico differt, utuntur. Deficiunt isthic aquæ à Boreali parte quibus tamẽ abundat Occasum uersus, ibiq; arboribus fęcundis, & fructiferis insita est. In uniuersum uerò insula ipsa copiosè, gossipium, hordeum, cominũ, & fructus bonos affert. Fontem habet aquæ uiuæ præstantem 2. mil. Meridiem uersus ab urbe Melita distantẽ, in quo anguillæ innumeræ expiscãtur. Muli & equi ex stirpe Hispanica isthic nutriuntur. Insulã porrò hanc D. Paulus Apost. olim appulsu suo naufragio facto nobilitauit, cui Ecclesia Cathedralis dicata fuit. Sed cũ anno 1523. uel ut alij scribunt 1529. Hierosolymitanis equitibus ab insula Rhodo per Turcam fugatis à Carolo V. donata fuerit, multo celebrior facta est. Fuit quoque celebris ob Concilium tempore Innocẽtij primi contra Pelagium hęreticum celebratum. Scorpiones in hac insula nullam afferunt hominibus noxiam, imo permulti affirmãt isthic terram reperiri, quæ serpentes necat.

GAVLOS, siue GAVDVM, seu GLAVCONIS insula nũc *Gozo*, & inco Gaulos inf.
lis *Gaudico*, distat à Melita 5. mil. in Occasum, & ambitu suo 30. mill. amplectitur. Estq; aquis irrigua, frumento fertilissima, serpentes in ea nõ nascuntur, neq; aliunde illatos isthic niuunt, namq; terra eius ipsos fugat, ac scorpiones occidit. Est in edito loco oppidum eiusdem nominis. Insulam hanc Carolus V. Imp. equitibus D. Ioannis simul cum Melisa concessit. & incolæ ipsi Christiani sunt, licèt Saracenicè loquantur.

COSYRA inf. Strab. *Cosura*, hodie *Pantalaria*, habet in circuitu 30. mil. Cosyra inf.
& ab utroq; Promontorio Aphricæ, s. & Siciliæ 60. mill. elõgatur. Hanc uerò Pantalariã nõnulli *Paconiam* ab antiquis fuisse dictã tradunt, asseruntq; ipsam 30. mill. esse longam, & 10. latam. Est autẽ maiori ex parte montuosa, nigroq; lapide asperrimã, in cuius medio patet specus, seu uorago, quę uulgo *Fossa* dicitur. Frumento & aqua ingratus ager, sed gossipio, capparis, ficubus, mellonibus, & uuis optimis abũdat. Istic est arx cum oppido eiusdẽ nõis inf. ad Aquilonẽ, quã mare alluit, cuius incolæ Christiani sunt, & Regi Hisp. subiecti, quanuis habitu, & idiomate Saracenorũ utuntur: pauperes præterea sunt, ac nullos habent equos, sed boues tantũ magna copia. Egregiè uerò tàm homines, quàm mulieres natant. Sunt & in hoc mediterraneo mari aliæ insulæ præter has, quas in descriptione Aphricæ attingemus.

POLO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



XIX.
POLONIAE REGNI DESCRIPTIO.

POLONIA, siue Polana uasta est admodum regio, quæ in Europæa Sarmatia partim complectitur, ut eius Orientalis pars ultra Vistulam, partim uerò in Germania, atque plana, & nemorosa est, ut nomen ipsum sonat: nam Sclauonica lingua, qua ipsa utitur, *Pole* planum significat. A Lecho autem primo Poloniæ habitatore, cuius prima sedes fuit circa annum Domini 550. in Gnesna, quæ adhuc extat in maiore Polonia, LECHITORVM REGNVM nuncupatur. Hoc autem nobilissimum, & amplissimum Regnum ab Oriente aliquantum in Septentrionem reflectendo Massouiæ, Lituaniæque contiguum est. A Septentrione Prussiæ, & Pomeratiæ adhæret: A Meridie & Oriente simul clauditur à Russia, & Vngariæ montibus: Ab Occidente Lusatia, Silesia, & Morauia terminatur, sed si complecti simul uolumus prouincias huic Regno adiunctas, habebit quidem ab ortu Tartaros & Moscos iuxta Boristhenem, à Septentrione Balthicum mare, & Moscouiæ partem, & à Meridie Vngariæ montes, & Vallacos, nec multo minus terrarum ambit, quam tota propemodum Hispania trans Pyrenæum habeat.

Polonia partim in sarmatia Europæa, partim in Germania. Poloniæ fines.

Regio igitur ipsa, ut diximus plana, multis cooperta syluis, & intus à paucis montibus munita, frigida, & gelida est, unde priuata est oleo, nec uineæ cultura cognita, quamuis bibacissimum genus hominum habeat, qui pro potu cerusia factitia utuntur: omnium uerò aliarum rerum ex terra nascentium fertilissima est, frumenti enim & hordei, ac cæterorum leguminum maximè ferax est, cuius ubertatem cæteræ regiones transmarinæ affatim persentiunt, ad quas frumentum grandi copia de Polonia nauibus aduehitur: armentis quoque omnis generis, abundat, ita ut Saxonia, cæteræque Germanorum gentes Polonicis bouibus uictitent: piscibus, & ferarum uenationibus abundans, non tamen pro terrarum amplitudine illis in locis aut culta, aut frequens; nam & syluis immanibus distinguitur, in quibus multa fera animalia capiuntur: abundat etiam auibus & fructibus, butyro, melle & cera, nam mellis est copia tam ingens, ut non satis loci supersit, quo illam recondant, arbores namque omnes & syluæ aluearibus mellificantium nigricant. Auri & argenti inops terra licet in territorio Cracouiensi inueniantur mineræ argenti, necnon etiam & in Sandomira, in qua etiam extat minera lapidis lazuli, sed plumbum perfectissimum, ferrum, & cuprum in fructibus profert, atque maximam salis copiam præ-

Regionis qualitas.

sertim mineralis perfectissimum. Poloniæ maximus dies æstatis non est minor unquam horarum 16. neque excedit horas 16. cum duabus tertijs. Gens ipsa in plenum Sclauonorum est, Scithicæq; originis, & quæ citra mille annorum ætatem in has terras migrauerit, sed clarissima tamen & humanitate longè à Sarmatarum ueterum asperitate aliena, multaque comitate in hospites, latrocinia præcipuè Polonia ignorat, & tanta securitas est, ut hybernis mensibus etiam singuli tenuibus uehiculis, & uno quidem duntaxat aut altero iumento immensa itinerum spatia conficiant. Viri sunt excellentissima industria præditi, uariarumque gentium idiomata callent, imprimis uerò linguæ Latinæ peritissimi, qua ut uulgari maiori ex parte in ciuitatibus & pagis passim utuntur, idque omnibus diuitibus, ac pauperibus peculiare est. Equitatu in bello maximè præstant, militiæ uero munus non nisi nobilibus, ijsque qui ex oppidis honestiore ordine sunt permittitur, qui in ornamentis equorum armorum uestibusq; pręsumptuosis plurimum delectantur, suntque bellicosi, strenui, hostiumque quamuis ualidissimorum impauidi, & nobiles humilioris fortunæ iniurias à Magnatibus illatas non ita facilè patiuntur, sed quilibet amicis, cognatisque suis collectis quam maximum magnatem debellare tentat. In uniuersum uero Poloni non tam liberales, quàm prodigi uidentur ob nimias commessationes, & diuitiarum profusiones maximè in alendo aulicorum & seruorum magnas turmas. Diuiditur Polonia in MAIOREM, quæ & Septentrionalis dicitur, quam mediam pene intersecat Varta fluuius, & in MINOREM, quæ Meridionalis vocatur, quam percurrit Vistula fluuius, Maior Polonia, quæ Saxones, & Prusenos conterminos habet, dicta fuit, quia in ipsam suam sedem tenuit lectus primus auctor & fundator Polonorum, in qua quidem Gnesnam construxit ciuitatem, quæ tunc erat Regni sedes; quæ postea Cracouiã minoris Poloniæ metropolim translata fuit, ubi adhuc perdurat. Qua ratione minor Polonia Russiæ & Vngariæ obiecta maiori præponitur.

Incolarum mores.

Poloni bellicosi.

Poloni prodigi.

Poloniæ diuisio.

Vrbes minoris Poloniæ.

Sunt autem in minore Polonia tres ciuitates principales, Cracouia, Sandomira, & Iublin, quarum vnaquæque plures habet ciuitates districtuales totam minorem Poloniam concludentes.

Cracouia.

CRACOVIA, vulgo *Krakouu* vrbs celeberrima Metropolis est minoris Poloniæ, quam Ptolæm. Carrodunum fuisse Petrus Apianus putat. huius arx sede Regum Poloniæ, ubi coronantur, & sepelliuntur, celebris. Gymnasioque, & vniuersitate clara in ea maior dies ęstatis est horarum 16. cum 8. parte. Cracouiæ tres aliæ ciuitates contiguę adhærent, quæ sunt *Clepardia*, *Stradomia*, & *Casiniria*, & has ciuitates districtuales continet *Biecz*, *Vuoynicz*, *Sandecz*, *Lelouian*, *Kzyez*, & *Proszouice*, in quibus iudicia, & causæ nobilium disceptantur præter multas alias ciuitates & oppida nobilium & magnatum. Habet eadem terra Cracouiensis duos Ducatus, qui iure naturali in ditionem Regni cesserunt, *Zatonensem* scilicet, & *Osuiecimensem*.

Cracouię oppida subiecta.

Sandomiriē sis ditio.

Sub SANDOMIRIENSI terra sunt hæ ciuitates districtuales.

Che-

Checiny, Korczin, Uuislicia, Pilzno, Opozno, Radomia, Polouiec, Zauuichost, Zarnouu, & Malogost.

Lubliensis ditio.

LVBLIENSE territorium has continet sub suo districtu ciuitates, & oppida. *Vrzendouu, Luloun, Parcouu, & Casimira.*

Vrbes maioris Polonię.

Maior verò Polonia habet has ciuitates principales, quæ sub se alias districtuales habent. POSNANIAM, nempè ciuitatem insignem, & Metropolim, quę has districtuales complectitur *Kosciem, Medzyrzecze, Ostresouu, Vuschoun, Sremk, Prænecz, Rogozno:* CALIS ciuitatem, cuius districtuales sũt *Gnezna, Pizadry, Vuarta, Naklo, Land, Konin, Slupeza, Kolo;* SIRADIAM, quæ pro Ducatu amplissimo computabatur, secundoque genitis Regũ Poloniæ attributa erat, huius districtus sunt. *Vielunia, Sadck, Retricouia, Rosprza, Spicimiria:* LANCICIAM, cuius sunt districtuales, *Orlouia, Piatek, Bresinia, Kornazeuu, Inoulodz, Biechoun,* & aliæ. CVIAVIAM, seu VLADISLAVIAM amplam, & sede Episcopali clarã, cuius districtus est *Bidgostia.* BRESTE, cuius districtuales *Radzieioun, Crusphicia, & Kouualouu:* RAVAM, cuius districtuales *Sochaczouia, Gostinin, & Gambin:* PLOCZKO sede Episcopali claram, in cuius districtu *Bielsko, Raczyayas, Sieprcz, Srensko, Mlauua, Plonsko,* & *Radzanouu:* DOBRINIAM, incuius districtu *Slonsk, Ripin, Gorzno.*

Antiquorũ Polonorum Religio.

Cæterum Polonorũ Regio, antiquitus Gentilium ritum obseruabat, Solemque, Lunam, Auroram, Iouem, Plutonem, Cererem, Venerem, Castorem, & Pollucem, ac alias creaturas pro Dijs colebat, donec Anno Christi 965. sub Miesko primo, Christianam suscepit religionem, qui in sacro baptismate mutato nomine dictus fuit in posterum Mieczlaus, & nouem Ecclesias Cathedrales fundauit, quas copiosis prouentibus ditauit, duas scilicet Metropolitanas in Gnezna, & in Cracouia, alias suffraganeas, nempè *Cruzuicensem: Smorgotzouiensem*, quæ translata fuit in Vratislauia: *Posnaniensem: Plocensem: Culmensem: Camiensem: & Lubucensem.* Obtinuit verò Polonia primum dignitatem Regiã anno 1001. ab Ottone III. Romanorum Imperatore, primusq; Polonorum Rex fuit Boleslaus Chabri. Sed sub Boleslao cognomento Audaci, qui in Regem coronatur anno 1078. Polonia Regio diademate priuatur à Summo Pontifice, eò quia præfatus Rex crudeliter Sanctum Stanislaum Cracouiæ Episcopum trucidauit, membratimque dissecare fecit. Iterum verò Poloni Regiam coronam potiuntur anno 1295. electo in Regem Præmislao secundo Duce maioris Poloniæ, & Pomeraniæ. Et anno 1320. Cracouia celeberrima minoris Poloniæ vrbs cœpit esse Metropolis, vbi fit coronatio Regum, cum prius in Gnezna coronarentur, & primus Rex, qui in Cathedrali Ecclesia Cracouiensi sacrum diadema susceperit, fuit Vladislaus Cubitalis. Nunc verò temporis Reges in Polonia non nascuntur, sed communibus Senatus, & equitum suffragijs eliguntur, Regesq; secundum legum, & Senatus præscripta uiuere tenentur, qui quidem grauissimis Senatorũ consiliis nituntur: Senatores autem uoto Regis ex Illustri totius Regni nobilitate delecti in Senatum eliguntur. Regnum hoc sine ullis stipendijs contra hostem

Polonia quãdo Regnum facta fuit.

Polonorum Rex eligit.

educere

Regni Polonici potētia

educere poteſt, quotieſcunque opus fuerit, fortiſſimum 200. millium Militum exercitum ex ſolis tantum voluntarijs nobilibus, omni ſcilicet armorum genere ad bellum neceſſariorum paratiſſimum: uniuerſa enim nobilitas Polona omnibus ſoluta uectigalibus, bellica tantum munera obire tenetur, quando pro bono publico bellum conficiendum eſt. Vltra hos nobiles 300. milia equites ſtipendiarios Rex poteſt etiam conſcribere.

status politicus Poloniæ.

Status uerò politicus uniuerſi Regni Poloniæ duobus conſtat membris, quæ ad comitia Regia conuocantur, & penes quos iuſtitiæ, & regiminis eſt adminiſtratio.

Primum membrum ſunt principes Eccleſiaſtici, in quibus etiam ſtatus Eccleſiaſticus conſiſtit; hoc eſt duo Archiepiſcopi, quorum primus eſt GNESNENSIS primas Regni, & Legatus natus Summi Pontificis in uniuerſa Sarmatia, qui habet autoritatem Reges nouellos coronandi: ſecundus eſt LEOPOLENSIS in nigra Ruſſia. Deinde hi Epiſcopi, qui omnes ferè ſunt magni Principes. CRACOVIENSIS in minore Polonia. POSNANIÆ, in maiore Polonia: PLOCENSIS in Maſouia: CHELMENSIS in Volhinia: PRESMILIENSIS, in Ruſſia: CAMENECENSIS in Podolia: VLADISLAVIAE in Cuiauia: Vilnenſis, Kiouienſis, Lucenſis, Ianoucenſis in Ducatu Lituaniæ, quibus præeſt Archiepiſcopus Leopolenſis in Ruſſia: Samogitienſis in Samogitiæ Ducatu: Vuarmienſis, Culmenſis, Sambienſis, Pomeſanienſis in Pruſſia.

Alterum membrum ſunt nobiles laici, qui ſunt Palatini, Caſtellani, Archimarſchalci, Marſchalci, Cancellarij, Vicecancellarij, Generales militiæ duces, capitanei, & alij. Primum uerò locum poſt Principes Eccleſiaſticos, quando Regi aſſident, Caſtellanus Cracouienſis tenet, deinde ſubſequuntur Palatini Cracouienſis, & Vilnenſis, Palatinos uerò quidam caſtellani præcipui intermixti, tunc demum alij Caſtellani maiores, & minores loca ſua occupant.

Palatini autem ſunt hi in toto Poloniæ regno Cracouienſis, Sandomirienſis, Lublinenſis, in minore Polonia. Poſnanienſis, Caliſienſis, Siradienſis, Lancicienſis, Vladislauienſis, Breſtienſis, Rauenſis, Plocenſis in maiore Polonia, Maſouię Palatinus Generalis. Drohicienſis, Ruſſiæ generalis. Belzenſis. Podolię Generalis. Volhiniæ item in Lithuania Vilnenſis, Trocenſis, Minſcenſis, Nouogrodenſis, Breſtienſis, Kiouienſis, Mſczislauienſis, Vitebſcienſis, & Polocenſis. Item in Pruſſia Culmenſis, Marienbourgenſis, Pomeraniæ. Caſtellani uerò per uniuerſum Regnum ſunt circiter ſexaginta, & Archimarſchalci, & Marſchalci ſunt Poloniæ, & Lithuaniæ de utroque Imperio bini, terreſtres uidelicet, & curiales. Cancellarij, & Vicecancellarii, qui Marſchalcos ordine ſequuntur, ſunt ſimiliter bini cum binis ſigillis. Generales militiæ duces ſunt duo, nempe in Polonia unus, alter in Lithuaniæ magno Ducatu. Capitanei generales ſunt in minore Polonia 40. in maiore 30. in Maſouia 12. qui à Rege benemeriti eligũtur.

Regiones

Sub Regno Poloniæ continentur Lithuania, Samogitia, Maſouia, Volhinia,

nia, Podolia, Ruſſia Meridionalis, quæ dicitur Ruthenia, Podlaſia, Pomerania: item tota Pruſſia excepta duntaxat ea parte, quæ proprium ducem agnoſcit, & bona pars Liuoniæ, hæ omnes ſiquidem prouinciæ Regno Poloniæ adiunctæ, atque incorporatæ ſunt.

ad Poloniæ Regnũ ſpectantes.

LIVONIA.

Liuoniç magnitudo.

LIVONIA nobiliſſima eſt prouincia, ac ampliſſima, quæ iuxta mare Balthicum in longitudinem 125. Germanicis milliaribus expanditur, quæ ſunt noſtrorum milliariorum 500. utque eius latitudo ad minimum 40. milliarium Germanicorum eſt, ſeu noſtrorum 160. Quam quidem regionem Prutheni, Lithuani, ac Ruſſi circumhabitant, præterquam ubi Oceanum attingit. Nam habet quidem ab Ortu Ruſſiam regionem Moſchorum Principi ſubiectam, Nerua fluuio & Beibas lacu diſcretam. A Meridie Samogithiam attingit: ab Occaſu mari Balthico pulſatur: à Septentrione autem Finlandiam habet Finnico ſinu ſeparatam.

Liuones ſitus, & fines.

Liuoniæ qualitas.

Regio hęc paluſtris eſt, nemoroſa, plana pro magna parte, & ſine montibus, fluuiiſque irrigua: ſed ut plurimum inculta, licet agri fertiles admodum ſint. Nam frumentum & omnia frugum genera tanta copia profert, ut earum bonam partem ad exteras nationes mittat: piſcibus quoque, & animalibus tùm domeſticis, tùm feris, mirè abundat, præcipuè autẽ equis, qui firmi admodum ſunt: cera item, mel, cineres, pix arida, & liquida magna abundantia aliis regionibus impartitur: uinum tamen, & oleum non fert, ſed iis aduentitiis fruitur. Fluuii nauigabiles ſunt RVBO, & NERVA. & alii quoque ſatis inſignes ſunt, ut DVINA, qui ex lacu Prutheníco oritur: VVINDA, qui in Balthicum mare exoneratur, non longè à cuius oſtio maxima eſt, maris profunditas, & periculoſiſſimus locus, atq; etiam BECA, incolis *Einbec*ĸ, qui uno fertur alueo in Oceanum, & ex præruptis ſcopulis præcipitans ingentem adeò ſtrepitum efficit, ut uicini habitatores paulatim ſurdeſcant. Iſthic permulti reperiuntur lacus, quorum inſignior eſt BEIBAS, qui in longitudinem 45. milliaria Italica porrigitur, atque uario piſcium genere abundat.

Fluuij Liuoniæ.

Beibas lacus

Incolæ Liuoniæ.

Incolæ diuerſarum ſunt nationum utpote Curones, Eſtheni, & Letti, ſeu Leci, & alii, qui omnes tam moribus, quàm lingua inter ſe differunt: in arcibus tamen, & oppidis lingua Saxonica, ſeu Germanica prævalet, cũ ibi coloniæ ſint eorum. Liuonianos ad Chriſti cultum milites Teutonici traxerunt, cum olim cacodęmones colerent, atque veræ fidei cultricem ipſam regionem tunc uocari meruit, At nunc Caluiniana, & Lutheriana hęreſi ſœdiſſimè commaculata eſt, præſertim urbes & oppida maritima; ſed in Mediterraneis, & in uillis, ac pagis incolæ idolatriæ, & ſuperſtitioni uacant.

Liuoniæ

Liuoniæ urbes & oppida ampla sunt,& summa elegantia extracta, quarum præcipua, & Metropolis est RIGA, uulgò *Rig*, non longè ab ostiis Duinæ amnis sita,quæ quidem Bremensium Germanorum colonia est, & emporium celebre,ubi naues onerantur cera,pice,& siligine. In hac præter Rigensem Archiepiscopum,Riualensis, & Ossiliensis Episcopi sunt,atque olim Teutonici ordinis magister isthic sedem habebat. Post Rigam insignes urbes sunt RIVALIA, quam incolæ *Reuuel*, & Rutheni *Roliuam* uocant,hæc insignem habet portum in sinu maris Balthici,atque commerciis Rigæ haud quaquam cedit. DORPATVM, incolis *Derpt*, uel *Derbten*, & Ruthenis *Juryouugorod*,quæ ad ripam fluuii Becæ inter duos lacus iacet in Mediterraneis regionis. Alia oppida maiora magnificis arcibus munita, præter iam dictas urbes, sunt VENDA, uulgò *Vuendem* in Meditullio regionis sita,quæ ob aulam Magistri Ordinis Teutonici celebris est. VELINVM, PERNOVIA, maritima. VOLMARIA uulgò *Vualmer*, VESEMBVRGVM uulgò *Vuesemborg*, VITESTENVM, & NARVA. Paret ipsa Regio maiori ex parte Poloniæ regi, & ex parte etiam Sueciæ regi, cui subsunt Riualia, Narua, cum aliquot oppidis,atque etiam ex parte Moscouiæ Duci,& Daniæ Regi.

Riga vrbs.

Riualia vrbs.

Dorpatum vrbs.

Venda opp.

Liuoniequi dominetur.

INSVLÆ CIRCA LIVONIAM.

ADIACENT Liuoniæ, iuxta sinum Liuonicum insulæ aliquot,inter quas præcipua est OESILIA, uulgò Osel, cuius longitudo est mill. 14. & latitudo 7. atque duo habet oppida munitissima,quę à Rege Daniæ occupata fuere. Distat hæc insula à continente milliaribus 12.

Oesilia insu.

LITHVANIA.

LITHVANIA regio latissima, Moscouiæ proxima est, & habet ad ortum illam partem Russiæ, quæ magno Duci Moscouiæ paret: ab Occasu habet Podlassiam, Masouiam,Poloniam,& aliquantum deflectens ad Septentrionem Prussiæ fit contermina: respicit uerò à Septentrione Liuoniam,& Samogitiam: & à meridie Podoliam, & Volhiniam. Est autem regio hæc magna sui parte palustris, siluosa, & nemorosa, & ob eam rem difficilis aditu, lacusque amplissimos, qui in aliquibus locis mari assimilantur, & multos fluuios habet nauigabiles, & hyberno tempore magis à mercatoribus frequentatur, paludibus enim & stagnis alta glacie concretis, niueque superinfusa commodum satis fit ipsis iter, unde ueluti alto mari quando nulla certa sit uia, sidera signant ipsis iter. Porrò cœlum habet inclemens: animalia omnis generis parua producit,

Lithuaniæ fines.

Regionis qualitas.

ducit, & feras habet præter eas, quæ in Germania reperiuntur, Bisontes, Vros,Alces,quos alij onagros vocant,& equos syluestres, frumentum quo que abundè præbet, sed panem non cribratum, & nigricantem incolæ comedunt,seges verò ad maturitatem rarò peruenit,& vini rarissimus vsus; sale caret, quod venale ex Britannia habet: Lithuani præterea ex pecoribus & pellibus variorum syluestrium animalium,vt sunt Zebellini,& Harmelini, quęstum faciunt; & sic quoque ex melle, cera, & cinere, quæ magna ab eis copia Gedanum, deinde in Holandiam deferunt. Picem quo que & asseres ad fabricandas naues satis copiosè colligunt, & omnis illa roborea materia, ex qua in Germaniæ inferioris, & Belgicæ maritimis regionibus vniuersa ferè lignea opera Architectonica tam publica,quàm priuata fabricantur ex hac regione cæsa ad illos per Balticum, & Germanicũ mare aduehitur.

Cæterum gens hæc misera est,& graui seruitute oppressa,maximè in villis, & pagis, & vestitu vili, eoque vt plurimum cineritio vtitur, & sermo eis est, vt Polonis Sclauonicus. Ante Iagelli magni Lithuaniæ ducis tempora,alii ex Lithuanis ignem, quem continuo accensum conseruabant,alii solem, syluas, & serpentes adorabant, sed cum præfatus dux in Poloniæ Regem coronaretur anno 1386. baptizatus fuit,Vladislausque vocatus,& sequenti anno tota Lithuania relicta idolatria sanctissimam Christi fidem amplexatur, & regno Poloniæ incorporata fuit. Dissoluuntur à Lithuanis facilè matrimonia mutuo consensu, & denuo, ac denuo nubunt, & inter se matronæ palam concubinos habent maritorum permissu,quos connubii uocant adiutores: contra pellicatus viris probro datur, cum quis fortè ad mortem damnatus fuerit de seipso iubente domino supplicium sumere,suisq; manibus se suspendere cogitur, quod si recusauerit, tantisper minis & verberibus exagitatur,donec mortem sibi inferat. Lithuania porrò maxima est continens in se multos ducatus, regiones, & prouincias, atque diuisa est in Palatinatus, & districtus certos,non secus ac Polonia, vt sunt Palatinatus *Vilnensis,Trocensis, Minscensis,Nouogrodiensis, Brestiensis, Kiouiensis*, & alij, qui pro Ducatibus computari possunt, sunt tamen in eis rara oppida, & villarum incolatus frequens. Caput vero Regionis & metropolis est VILNA Episcopalis ciuitas, quæ magnitudine sua Cracouiã cum omnibus suis suburbiis adæquat,in hac est dies maximus horarum 17. cum octaua circiter horæ parte, nec in tota regione datur maximus dies minor horarum 16.cum sexta parte, & in extremo regionis ad boream sit, dies paulò minor horarum 18. Est, & NOVIGRODVM vrbs hodie in Lithuania, quam aiunt maiorem Roma esse; nam complectitur in circuitu suo 7. milliaria Germanica cum Roma duntaxat sex habeat, & dimidium:Ex Moscouia autem aduenit,& per Lithuaniam percurrit fluuius *Neper*, seu *Nijeper*, qui Ptolemæo dicitur BORISTHENES, hic autem sub Smolensko,& sub Chiouia labens in mari Pontico exoneratur.

Incolarum mores, & cõditio.

Lithuaniæ amplitudo.

Vilna.

Nouigrodũ

Boristhenes fluuius.

SAMOGITIÆ DVCATVS.

SAMOGITIA Regio Septentrionalis, & gelida est, satis ampla, Lithuaniæ proxima, syluis & fluminibus circumsepta, quinquaginta milliarium longitudine: A Septentrione Liuoniam habet, ab Occasu mari Balthico, siue Germanico, quod sinus Balthicus propriè nuncupatur, non nihil uersus Septent. reflectendo, alluitur; cui vicina est etiam Prussia. Nullo oppido, aut castro munito insignis est, & si habeat plures ciuitates, & uillas tàm regias, quàm nobilium, immo nec ullus illic ædificiorum nobilium, sed tantummodo tugurii usus. Agrestis uerò turba in humilibus casis, iisque oblongioribus uitam ducit in carinarum, aut galearum formam, in quarum culminibus fenestram unam faciunt tam patentem: ut toti ædificio lucem supernè præbeat: ignis in medio peraccensus perpetuo ardet, ut uehemens frigus, quo pro maiori anni parte terra hæc congelata, constrictaque iacet, propellat, circa ignem paterfamilias sedens, iumenta totamque domus suæ supellectilem cernit; Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant, tecto sine ullo interstitio pecora habere.

Samogitę uiliter habitãt

Prouincia autem hæc nemoribus, & syluis abundat, in quibus horrendæ quandoque uisiones fieri solent. & incolæ magnam à syluis trahunt utilitatem, & opes: quia in omni arbore excauato perfectissimum mel inuenitur, quod quidem nobilius, delicatius, albius, & cum minore ceræ portione existit, quàm in quouis alio loco.

Samogitiæ qualitas.

Samogitiæ autem incolæ originem à Saxonibus trahunt, suntque homines altæ staturæ, & formosi, agrestes tamen, moribusque inculti, modesti uerò in uictu, aqua enim tantummodo sitim extinguunt, & raro cerusia, & medone utuntur, & maiores pro poculis urorum cornibus utũtnur. vescuntur pane nigro, & uilissimo: in habitu autem, moribus, & lingua parum à Lituanis differunt, atque ad diuinationem, & auguria maximè inclinant: matrimonia plura celebrant, & absque consanguineitatis respectu: patre mortuo filius nouercam, fratre frater glotem in uxorem accipiunt. Sunt porrò strenui, audaces, & ad bellum prompti, qui loricis, aliisq; plurimis armis, præcipuè autem cuspide; & ea breuiore uenatorum more in bello utuntur, atque equos adeò paruos habent, ut vix credibile sit ad tantos labores eos sufficere posse, quibus foris in bello, domique in colendis agris vtuntur: terram non ferro, sed ligno proscindunt, quod eò magis mirandum est, cum terra eorum tenax, & non arenosa sit; vnde quando ad arandum eunt, ligna quamplura, quibus loco vomeris utuntur, secum deferunt, ut vno fracto, alijs vtantur.

Insulatum conditio, & mores.

Samogitæ bellicosi.

Antiquitus Gentilitium ritum hi populi seruabant, sed Vladislaus Poloniæ Rex, post annum 1386. eos ad Christi fidem compulit. Sunt tamen, & nunc inter Samogitas aliqui rustici idolatræ, qui tanquam penates domi suæ serpentes quosdam quatuor pedes habentes ad instar lacertarum nigro colore nutriunt, & timore quodam uenerantur, & rustici ferè omnes

Samogitarũ religio.

nes quotannis 1. Octobris die sacrificant ex antiquo more cuidam dęmoni, qui ab ipsis Deus *Ziemiennix* uocatur, neque vllum festum obseruant, sed ipso etiam die Dominico sua exercent opera.

Episcopum habent Romano Pontifici subiectum, & huius prouinciæ præfecturam concedit Rex Poloniæ, & magnus Lithuaniæ Dux ad libitũ, neque temere is, nisi ob grauissimas causas officio mouetur, sed quoad uiuit perpetuo manet. Maximus autem æstatis dies ibi est ho. 17. & amplius.

Episcopatus Samogitiæ.

MASOVIA.

MASOVIA amplissima est Regio cõiuncta Poloniæ, quę tali nomine nuncupata fuit à Maslao eius Duce, qui circiter annum 1045. à Casimiro Polonorum Duce funditus fusus desperatis suis rebus ad Prutenos profugit, ubi uarijs tormentis exanimatus laqueo uitam finiuit. Habet autem à Septentrione Prussiam: ab Ortu Lithuaniã: à Meridie Russiam, & Poloniam: ab Occasu verò Poloniam quoque.

Masouia vnde dicta.

Masouiæ fines.

Hæc antiquitus proprium habebat principem, & assignabatur secundogenitis Regis Poloniæ: sed anno 1526. cum immatura morte extincti essent Ioannes, & Stanislaus Duces vnici hæredes illius status, cecidit hic Ducatus sub corona Poloniæ. Incolæ cum Polonibus in uestitu, moribus, & religione conueniunt, & eodem idiomate, quo ipsi utuntur, nisi sibilis quibusdam differenti. Sunt uerò strenui, bellicosi, atque in bello audaces.

Masouię dominium.

Incolarum conditio, & mores.

Metropolis huius ducatus est MARSCHOVIA, vbi optimus conficitur medo, quæ sub suo districtu multas alias habet ciuitates, ut sunt *Czerko, Egrod, Zakrozin, Cziechanouu, Czerniensk, Pultouuosk, Rosan, Varka, Blonie, Tarcin, Godziek, Prasni, & Loraza*. Magnas passus fuit hic Ducatus uastationes, & depopulationes à Mendoglithuaniæ Duce pręsertim anno 1246. & 1260. qui tandem anno 1262. Semouitum Masouiæ Ducem crudeliter decollauit.

Marschouia vrbs.

Vrbes Masouiæ.

VOLHINIA.

VOLHINIA Regio, quę inter Lithuaniam, Podoliam, & Russiam clauditur, est frugum omnigenarum propter agri fertilitatem abundans, syluis ferigenis, stagnisque piscosis referta, incolæ strenui, & bellicosi sunt, Ruthenicoq; idiomate, moribusq; & religione utũtur, qui quidem à Vuolga fluuio amplissimo, volgari dicti, in hanc regionem uenerunt, quam à suo nomine Volgariam, postea successu temporis Vuoloniam, seu Volhiniam nuncupauerunt. Regio hæc ad magnum Lithuaniæ Ducatum pertinebat, sed nunc Regno Poloniæ adiuncta est. Diuiditur autem in tres districtus, seu prouincias, nempè in *Lucensem, Volodimirien sem*, & *Cremenecensem*, & tres ciuitates prouinciales sunt *Luczko, Vuolodimiria*, & *Kyzemenec*, quæ complura oppida, & munitiones ad se pertinentes complectuntur.

Volhiniæ descriptio.

Incolarum mores.

Volhiniæ diuisio.

PODOLIA.

Podoliæ fines.

PODOLIA, Regio versus Meridiem, habet Moldauiam iuxta Tyram amnem, qui modo *Nijester* vocatur, ab Ortu habet vastissimos campos, & inhabitatos vsq; ad paludem Męotidem, & ad mare maius, & Tartaros Præcopenses. Est autem omnium rerum ex terra nascentium fertilissima, adeo, vt ex vna mẽsura segetum centuplum colligatur & agro rude culto, frumentoq; insperso, tribus perpetuis annis fructum serat: nec opus est agrum quotannis inuertere, sed inter metendum segete leniter excussa alia in sequentem annum sua sponte crescit. Prata quoque mirum in modum luxuriantia sunt, adeò vt boum cornua uix è gramine appareant, quod quidem gramen perticam tribus diebus supercrescendo contegit, atq; aratrum in locis graminosis derelictum paulò pluribus cooperit. Terra tamen dura, & petrosa nimis, quæ bissenos saltem boues inter arandum exposcit, idque intolerabili boum, & coloni labore, melle, armentis, gregibus que, & feris omni generis redundans. Cæterum quamuis hic ager fertilissimus, & circumquaque tam commodus sit habitationi, desertè, tamen, nec nisi sparsis vinculis colitur propter crebras Tartorum Pręcopensium incursiones, sale, melle, cera, & equis tam domesticis, quàm syluestribus abundant, & maior dies solstitij æstiui est hic horarũ 16. ferè. Præcipua uero vrbs est CAMYENIEC, diuina ferè manu inter arduas, cliuosasq; rupes condita, quæ inexpugnabilis est, ac sæpius ab ea Tartari, Valachij, & Turcæ cum ingenti strage, & dedecore repulsi, & fugati sunt. Et quoque in Podolia LEMBVRGVM oppidũ salsamentis nobile.

Podoliæ qualitas.

Camyeniec vrbs.

Lemburgũ.

RVSSIA MERIDIONALIS.

Russia vnde dicta sit.

RVSSIA, quæ Roxolania etiam dicitur & Ruthenia, vnde nomen acceperit, variæ extant opiniones, inter quas verisimilior est, eã antiquitus *Rossciam* appellatam fuisse, quasi gentem disseminatam, seu dispersam (*Rossciа* enim Ruthenorũ lingua disseminatio, seu dispersio interpretatur) eo quod hi populi totam Sarmaticam Europęam, & Asiaticę partem occuparunt, atq; ab Oceano glaciali ad Mediterraneum vsq; mare & sinum Adriaticum, necnon à Ponto Euxino ad Balthicum Oceanũ usq; suas colonias extenderunt: omnes itaq; illi populi, qui lingua Sclauonica utuntur, atq; ritum, & fidem CHRISTI Græcorum more sequũtur, cõmuni uocabulo RVSSI, seu RHVTENI appellantur. Nos autem non hic de tota Russia agemus, cuius maior pars Duci Moscouiæ paret: sed de ea tantummodo, quæ Meridionalis, seu Nigra dicitur.

Russię fines

Clauditur igitur Russia nigra à Meridie Sarmaticis mõtibus, qui Carpates etiam & Tatri dicuntur ab Ortu habet Volhiniam, Podoliam, & Moldauiam conterminas: à Septentr. Lithuaniam, ab Occasu uero Poloniam con-

contingit. Russia porrò cum sit fertilissima abundat equis, bobus, & ouiũ gregibus, pellibus q;, mardarum, scisurorum, uulpium, & bouum, inter quas quædam præciosissimæ sunt: apum uerò ibi est tanta copia, ut mella nedum in aluearijs, aut arboribus, uerum in rupium, & terræ cauernis reponant, maximamq; ceræ copiam colligunt incolæ, quam in grandes orbes efformatam ad alias regiones mittunt. ibi quoque optimus conficitur modo ex melle, quo utuntur pro potu, non enim habent uinum, nisi ex Pannonia, Moldauia, & Valachia adducatur: abundat fluminibus, quibus irrigatur, & aquis pisculentis, nec stagna, & piscinæ Russorum impiscantur, sed ubicunque aquæ reperiuntur illic, & pisces ex cœli clementia succrescunt absque hominum cura, & impiscatione. Mirum contingere dicunt in tractu Chelmẽsi, ramos, scilicet pini desectos, & super terram duobus, aut tribus annis iacentes in saxa indurari: est quoque ibi copiosè creta, seu terra alba, quæ ad exteras nationes ducitur.

Incolarum conditio, & mores.

Gens est ualida, arcuq; in bello, & lanceis duodenum pedum utitur, cui maxime inuisum est Regium nomen, unde Ducis appellationem libentius usurpant, qui in totam gentem imperium obtinet. Nunc in Nigra Russia magna ex parte Poloni colonias suas habent, proceresq; & equites ferè omnes Poloni sunt sequentes religionem Romanam: reliqua uerò colonorum, & agrestium turba Græcorũ dogmata in religione adhuc retinẽt.

Russiæ distrietus.

Habet uerò Russia hæc *Leopolienſem*, & *Halicienſem* terram, *Belzenſem*, *Chelmenſem*, & *Præmislienſem*, quæ omnes cum sint præcipuè alias plures districtuales sub se complectuntur. Metropolis autem urbs est LEOPOLIS, quã *Leunpurg* uocant, Emporio sedeque Archiepiscopali clara, in qua Metropolitanus quoque Russiæ suam sedem retinet, & ibi sunt Ecclesiæ plurimæ tum Romanæ, tum Græcorum ritus. Armeni quoque, qui mercaturam exercentes ibidem degunt, Basilicam suæ religionis, Antistitemque & sacerdotes habent.

Leopolis.

PODLASSIA.

Podlasiæ fines.

PODLASSIÆ regio ampla Massouiam ab Occasu, Lithuaniam uerò ab Ortu habet contiguam. Hæc olim sub potestate, & ditione Lithuanorum erat: sed anno Domini 1569. per Sigismundum Augustum Regem, & Poloniæ, & magnum Ducem Lithuaniæ Regno Poloniæ adiũcta, & incorporata est. Incolæ sunt Masouitæ, Rhuteni, & Poloni. Continet autem has districtuales terras. *Byelsko*, *Bransko*, *Suras*, *Tykoczin*, quę machinis, tormentisque bellicis est benè prouisa, atq; in ea thesaurus Regius asseruatur. *Knyssyn*, in qua curia Regia extructa est cum horto quoque amplissimo uario genere animalium, piscinisque diuersis referto, in quo uenationes omnium ferarum copiosè exercentur. *Narewu*, *Vuasilkowu*, *Augustowu*, quæ ciuitas amplissima est, & à Rege Sigismundo Augusto fundata.

Oppida Podlasiæ.

POMERANIA.

Pomeraniæ fines.

POMERANIA regio maxima nunc Ducatus est, maríque Balthico adiacet, & ab Holsanæ finibus ad fines Liuoniæ longo tractu extenditur. Dicitur verò Pomerania quasi maritima, aut iuxta mare Sclauonica lingua, & à primis suis incolis *Pamorci* dicebatur, incoleq́; ipsi prius Sidini appellati fuerunt. Hodie maiori ex parte à Germanis populatur, cum antea Sclauonorum, & Vuandalorum fuisset sedes. Pomerania vnde dicatur.

Qualitas Pomeraniæ.

Porrò Pomerania terra, plana, paucisq́; montibus prædita fertilis est in uniuersum, atque adaquatur, campis egregiè cultis, pascuis lętis, syluis ferarum cuiuscunque generis repletis, lacubus piscosis, fluuiis nauigabilibus locupletissima est: animalibus uerò domesticis, frumento, butyro, melle, cera, rebusq́ue similibus adeò abundat, ut etiam ea circumiacentibus terris submistret: colligunt quoque indigenæ ambram, seu succinum in littore maris æstu eiectum, sed minus quàm Pruteni. Præterea regio hæc adeo urbibus, oppidis, arcibus, pagis, & uillis culta est, ut nullus in ea locus uacuus, & incultus inueniatur, nisi quem aut lacus, aut montes occupant, atq; hodie floret 40. ciuitatibus mari, & fossis cinctis præter castra, & monasteria, sed in littore insigniores eius urbes positæ sunt præter paucas in mediterraneis sitas: littus autem ipsum uallo solidissimo à natura taliter est munitum, ut nullam maris inundationem timeat, maximeq́ue fit nauibus peruium.

Pomerania cultissima.

Stetinũ vrbs & reliquæ Pomeraniæ.

Haber autem ciuitates mediterraneas principales hasce. STETINVM metropolim totius regionis ubi fiunt commercia, & unde nomẽ trahit ducatus Stetinensis, *Neugardiam*, *Lemburgam*, *Stargardiam*, *Bergradum*, *Camenez*, *Publinam*, *Grifemburgam*, & alias cõplures. Quæ uerò iuxta littus ponũtur, sunt *Colberg*, *Emporiũ*, *Camin*, *Coslin*, *Gribsuuald*, quæ gymnasiũ habet publicum, anno 1546. constructum *Sundt*, *Pucka*, *Reuecol*, *Louemburg*, *Hechel Straslunda* vrbs splendida, & amęna, magnisq́ue commerciis celebris, & aliæ. IVLINVM, quod nunc dicitur *Voltinum*, in hac regione vrbs erat celeberrima, nunc ruinis deformis iacet. Fuerunt autem Pomerani antiquitus idolatræ, semperq́ue in subuersionem Religionis Christianæ conspirauerunt, nec vnquam Christi fidem suscipere voluerunt, nisi coacti à Principibus vicinis circiter annum Domini 980. à quo quidem usque ad annum 1066. semper in religione fuerunt inconstantes, sæpiusq́; à fide desciuerunt, & eoipso anno 1066. reuerterunt prorsus ad idolatriam trucidando omnes Christianos. Verum de anno 1122. cum S. Otho Episcopus Bambergensis, Perurgente, Boleslao Poloniæ Duce, & Danorum Rege, Christi Euangelium in Pomerania prædicasset, conuersi fuerunt denuo Pomerani ad fidem Christianam, atque tres fratres Principes Ratisborus, Bugislaus, & Suantepolcus baptizati fuerunt: deinde etiam Vratislaus tertius eorum frater suscepit iterum fidem Catholicam; nam & si antea baptizatus Saxoniæ fuisset, nihilominus ad patriam rediens idolatriam amplexatus

Incolarum religio.

plexatus fuerat. Primus autem Episcopus, sub Principe Vratislao, & Ratisboro fratribus institutus fuit Adelbertus Episcop. Iuliensis an. 1151. qui Episcopatus, postea ab Vratislao secundo de anno 1185. translatus fuit in Caminum, cui permulti alij episcopi continuò successerunt.

Primus Pomeraniæ Episcopus.

Subiacet vero nunc Pomerania maiori ex parte Duci Poloniæ, quamuis Duces Prussiæ feudatarij Regni Poloniæ domini quoque Pomeraniæ intitulentur: nam anno 1466. sub Casimiro quarto Regno Poloniæ adiuncta fuit, pro qua Poloni 180. annis armis cum Crucigeris decertarunt. Seruarunt autem indigenæ Vuandalicam linguam, & mores ad susceptum vsque Christianismum, tuncq́ue vnà cum religione linguam didicerunt Saxonicam, quam etiam in hodiernum diem retinent. Adiacent ipsi Pomeraniæ insulæ tres nempè RVGIA, vulgò *Rugen*, quæ à sinubus maris in plures paruas insulas partitur, ac peninsulas, in qua quinque oppida satis culta sunt. VFEDAMIA, seu Vsedom, in qua tria extant oppida, & VOLINIA vnicum habens oppidum.

Pomerania ad Poloniã spectat.

Insc circa Pomeraniam.

PRVSSIA.

PRVSSIA; quàm alij Borussiam, Pruteniam, Vlmigauiã, & Hulmigeriam vocant, habet suos fines, à Septentrione mare Balthicum, seu Venedicum sinum: ab ortu Lithuaniam, & Samogitiam; ab occasu Pomeraniam, & à meridie Poloniæ Regnum, & Masouiæ Ducatum. Eius autem longitudo, quæ à Septentrione in meridiem porrigitur, milliarium est Polonorum 58. ab vrbe, scilicet Torunia confini Masouiæ ad castrum vsque Memula: latitudo verò complectitur mill. 50.

Prussiæ fines.

Prussiæ mensura.

Regio hæc fæcundissima est, & adiacentibus prouincijs longè beatior; nam omni ex parte amęna, & multum cõmoda est propter frequentes portus, & opportunos, quos supra mare Balthicum habet, & propter varios maris sinus, orasq́ue maritimas: aere potitur temperato, & amęno; pecorumq́ue omnigenum copiosissima est: ager frumenti feracissimus, quod Polonicum, & Lituanicum bonitate excellit: abundat melle, & apibus æquè ac cæteræ Septentrionales regiones, quæ cauis in arboribus mellificant, vnde tanta cæræ copia ad nos defertur: ingentes, vastęque in ea syluæ magnis, & præstantioribus feris refertissimæ, inter quas sunt bisontes, quos Romani Vros vocant, & uulgus *Bubalos*: alces ceruis haud dissormes, qui vulgò *Helendi* uocantur, & syluestres equi, quorum carne incolę uescuntur. Præterea fluuijs, & piscosis aquis abundat, habetque multos lacus piscibus omnis generis repletissimos, quorum nonnulli 7. milliaria Polonica in circuitu complectuntur: Præcipui autem fluuij sunt ijque piscibus satis abundantes duodecim *Vistula*, *Nemeni*, uel *Cronon*, *Nogat*, *Elbinga*, *Vusera*, *Passaria*, *Alla*, *Pregel*, *Ossa*, *Drebnicz*, *Lica*, & *Lauia*. Colligitur quoque in littoribus supra mare Balthicum gumma illa, quæ dicitur succi-

Prussiæ Lacus, & qualitas.

Fluuij Prussiæ.

num, electrum, seu ambra, & ab incolis *Burstin*, quam scilicet mare æstuãs, & tempestuosum eiicit, ex qua non exiguum quæstum incolæ percipiunt.

Incolę Prussiæ, & corũ mores.

Coluerunt olim regionem hanc maximè iuxta Vistulam fluuium Vmigaui, Alani, Amaxobii, Gothique Ptol. testè, qui sanè omnes barbari, & literarum rudes omnino fuerunt adeò, ut nec credibile putarent, si quispiã diceret, hominem homini per literas animum, & uoluntatem aperire posse: hi quidem idiomate proprio, & à Liuonico non dissimili utebantur, ualdeque liberales, & hospitales sese aduenis exhibebant, quorum potus aqua melli commixta, & lac equinum erat. Præterea cacodæmones, & profanas creaturas adorabant, usque ad Federici II. Imp. tempora, cuius opera à Crucigeris Ordinis Teutonici anno 1215. perdomiti fuerunt, & ad Christianam Religionem conuersi, atque tunc Poloni, & Masouitæ, quibus Pruteni prius tributarii erant, Crucigeris ipsis totam Prussiam quibusdam conditionibus concesserunt. Verumtamen paulò post annũ 1419. prouinciæ & ciuitates Prussiæ ad Regem Poloniæ Casimirum à Crucigeris defecerunt, atq; etiam iterum post annum 1450. Prussia ab ordine Crucigerorum desciuit, ad Regemq; Poloniæ Casimirum maior pars eorum defecit, & milites ordinis præsidiarii Marienburgam, cum aliis castellis, atque urbibus dicto Regi anno Domini 1457. 476000. florenis uendiderunt, Crucigeris tamen post annum 1498. iuramentum Poloniæ Regi præstare nolentibus bella inter ipsos uario Marte gesta fuerunt, donec tandem Prussia, quam primo Religiosi Crucigeri tenuerunt, in mundanam policiam, & principatum sæcularem anno 1526. cessisset sub Alberto Marchione Brandeburghensi 34. & ult. Crucigerorum Magistro, qui quidem Cracouiæ à Sigismundo Poloniæ Rege post iuramentũ ei solemniter præstitum in Principem sæcularem, & Equitem auratum creatus, eidemque prædictus Rex terras omnes Prussiæ, ut feudali, clientique, & uassallo suo concessit. Quare nunc extirpatis barbaris regio hæc à Polonis, & Germanis Equitibus, ciuibus, & agricolis habitatur, barbarorum tamen reliquiæ ad Curlãdicum lacum hucusque supersunt, qui cum Liuonibus, & Lituanis uicinis idiomate, moribus, habituque conueniunt.

Prutenorũ religio.

Prussiæ dominium varium.

Prussia nũc sub Polonia & Germania.

Cæterum diuisa fuit olim Prussia in duodecim Ducatus, seu prouincias anno Domini 573. à Veneduso eius principe iuxta numerum filiorũ, quos habebunt, quorum unicuique suum Ducatum, seu prouinciam assignauit, quæ singulæ nomen à suo principe sortiebantur, suntque hæ: SVDAVIA, quæ prorsus deuastata est à Crucigeris, paludibusq; ac syluis maximis obsita scatet: SAMBIA, quæ nunc *Szamland* uocatur: NATANGIA: NADRAVIA, & ipsa à Crucigeris deuastata uix ut reliquiæ, & uestigia uisantur: BARTONIA, GALINDIA, VARMIA, uel Vuermelandia, HOGKERLANDIA, CVLMA, POEMSANIA, & MICHLOVIA. Vnaquæque autem harum prouinciarum permultas habet ciuitates, & oppida à Crucigeris Teutonicis diuersis temporibus extructa: namque post susceptum Christianismum fuerunt in hac regione ædificatæ ab ipsis Crucigeris 72. arces præcipuę, & 62. ciuitates principales, quo-

Prussiæ diuisio antiqua.

Vrbes, & arces à Crucigeris cõditę

quorum numerus nunc auctus est, ita vt in vniuerso Poloniæ Regis dominio nulla reperiatur regio, quæ tam frequentibus ciuitatibus, illustribusq; arcibus, & oppidis, vt Prussia abundet. Nunc hæc Prussiæ regio bipartita est in Ducalem, & Regalem. Dux suam habet sedem REGIOMONTI, ciuitate maritima, in qua est collegium communis studij à præfato Alberto primo Duce institutum, qui quidem Dux beneficio Regis Poloniæ in suis ciuitatibus, & arcibus integrè rerum potitur, vt vassallus, & feudalis, ac beneficiarius Regni. MARIENBVRGVM verò ciuitas nobilissima est caput, & metropolis Regalis Prussiæ, hoc est omnium illorum oppidorum, arcium, & ciuitatum quas Rex electas extra Ducem armis maiorum suorum acquisitas possidet, atque in ea assiduè milites præsidiarij à Rege Poloniæ asseruantur victu, & omnibus ad bellum necessarijs tam bene instructa, vt sex annorum obsidionem sustinere possit.

Prussiæ recẽs diuisio.

Regio monarum.

Marienburgum.


Sunt autem in Ducatu Prusenico quinque celeberrima emporia, nimirum Dantiscum, Meluingum, Brunsberga, Mons Regius, & Memelium, quorum primas tenet Dantiscum, ubi dieb. singulis venduntur, aut cõmuttantur plura quàm mille onera siliginis, & tritici: necnon etiam tigna, pixnaualis & liquida, linum, canabis, ceruisia, aliæque innumeræ merces. Similes quoque tradunt innumeras merces reliqua emporia. Quatuor autem in hac prouincia fuerũt Episcopatus Varmiensis, Culmensis, Sambiensis, & Pomesnanienſis; sed hodie Sambiensis Varmiensi, & Pomesnaniensis Culmensi coniunctus est. *Konisperg* verò publicum est Gymnasium.

Emporia Prussiæ.

Episcopatus Prussiæ.

VNGA-

Universidad de Deusto
Biblioteca



XX.
VNGARIAE, ET TRANSILVANIÆ DESCRIPTIO.

VNGARIÆ Regnum ea est hodie Regio, quæ totam PANNONIAM INFERIOREM, complectitur, Secundam Proconsularem vocatam; totam IAZYGVM METANASTARVM regionem, quam Ptolæmeus Danubio, & Tybisco fluminibus, ac Sarmatiæ montibus includit: ac insuper eam DACIÆ partem, quam Transyluania occupat. Sumit autem nomen ab Hunnis, vel Hungaris Scythiæ populis eam incolentibus, qui quidem egressi sunt à Iugra, seu Iuhra Regione Scythiæ ad Occasum Septentrionale posita, quæ nunc Moscouiæ Principis tributaria est, vt in Moscouiæ descriptione diximus.

Regiones antiquę sub Hungaria compræhensæ.

Hungaria vnde dicatur.

Habet Vngaria à Meridie Sauum amnem, qui eam à Cronatia, & Seruia seiungit, quæ sunt in parte Illyrici Adriatico pelago obuersa: à Septentrione Poloniam, & Russiam, Carpato monte diuisas: ab Occasu Austriam habet superioris quondam Pannoniæ caput cum Morauia, & Stiria; ab Ortu uero Tybiscum amnem modo *Tissum*, vel *Patissum* vocatum. Sed si Transyluaniam, intra huius fines concludere volumus habebit ab Ortu utramque Valachiam conterminam, Subalpinam, scilicet, & Moldauiam Aluta fluuio separatas, qui fluuius nunc OLT Hungaris, & ALT Germanis dicitur.

Hungariæ fines.

Locatur verò inter sexti, & septimi climatis medium, capiens 16. & 17. parallelos, & habet longissimam æstatis diem supra horas 15. cum semisse usque ad horas 16.

Situs Hungariæ, cœlestis.

Regnum Hungariæ omnium rerum natura præstantium affluentissimũ est: nam tritici, frugumque omnis generis, ac uariorum optimorum fructuum infinitam præbet copiam, tanta enim isthic est terræ fertilitas, ut frumentum tertio anno in meliorem mutetur speciem, & isthic sunt aliæ frumenti species à nostris diuersæ, & terra quidem absque cultura ferè fruges profert: vina mittit uaria pro locorum diuersitate, eaque præstantissima, & saluberrima, quorum nonnulla sunt adeò generosa, ut Cretico haud cedant, & Sirmium quidem oppidum uini prouentu, & bonitate clarum est: sed quod in Pilissiensi comitatu nascitur ob aquas calidas, & sulphureas grauem habet odorem, ac subito inebriat. Animalibus domesticis, pecoribus nempè, & bouibus adeò diues est, ut in externas regiones tot, tantaque boum, & ouium agmina mittat, ut mirum sit, præsertim in Italiam & Germaniam. Nam sæpè (ut refert quidam) unus rusticus centum

Hungariæ laus, & qualitas.

boues

boues per aliquot annos in pascuis habet, nec nisi triplo auctos uidet. Vnde tota ferè Europa posset ex hac una prouincia ali. Feris quoque mirificè abundat, ut sunt lepores, damæ, capreoli, cerui, apri, lupi, ursi, & aliæ huiusmodi, auibus item & uolucribus, præsertim turdis, perdicibus, & phasianis. Auro præterea, argento, cupro, chalybe, & ferro fœcundissima est regio, ut quæ uis alia, & aurum quidem non solum in mineris reperitur, sed amnes multi feraces auri sunt, & in vitibus aurifero in solo satis aurum quandoque legitur: plumbum tamen paucum habet, & stamnum uix producit. calcanthum copiosè profert uiridi coloris, quod in diuersas mundi partes distribuitur, atque à loco Hungaricum dicitur.

Metalla in Hungaria.

Porrò nulla est æqualis regio ipsi Hungariæ, quæ pluribus, & maioribus abundet fluuijs, quorum laus est eos esse nauibus ferendis idoneos, ac piscosos: inter eos quatuor sunt principaliores, nempè Danubius: *Ister* aliis Sauus, Drauus, & Tibiscus; horum tres priores communes sunt nonnullis aliis regionibus, sed Tibiscum totum sola Hungaria sibi uendicat, qui quidem in Maromarusio sub altissimis carpati iugis nascitur, & omnes Hungariæ fluuios prouentu piscium superat, omnibus enim temporibus ijs mirificè abundat, præcipuè sturionibus, luciis, quorum epar sesqui ulnam longitudine interdum superat, Cyprinis, & syluribus. Alij etiam amnes præter hos sunt, qui optimorum, & saluberrimorum piscium copia affluunt nimirum fundulis, trutis, salmonibus, percis, murenis, barbis, & aliis pluribus, quorum amnium plerique feraces auri sunt.

Fluuij Hungariæ.

Vibiscus Sunius.

Sunt etiam illic famosissimi lacus, ac nobilissimi quorum principalior est BALATON, qui Germanis *Platse* dicitur 40. Italica milliaria, iuxta longitudinem possidens, & Hungarica octo, extenditur enim à Borea in Austrum, & latitudo eius inæqualis est, nam ubi amplior decem milliaria habet, & ubi angustior tria. Abundat etiam Hungaria sale natiuo, & minerali, qui lapicidinarum modo cæditur in Maromarusio, & alibi, & est etiam fons, cuius aqua prosiliens in petram uertitur. Thermas, seu aquas medicatas, alias que admirabiles nulla regio copiosiores habet ipsa Hungaria, aut salubriores: nam supra infraque Budam Thermæ salubrimæ mirabili aquarum copia, & uarietate scaturiunt, quas Turcæ qui his summopere delectantur, post captam ab eis Budam cultiores, & augustiores reddiderunt. Ibidem sunt etiam aquæ calidæ, in quibus nascuntur, & uiuunt pisces, qui in frigidam translati emoriuntur. supra Istrogranum non longè abarce Comarienſi sunt calidæ aquæ Pestenienses, uulgò dictæ, aduersus diuturnos, ac penè insperatos morbos efficacissimæ. Et quę in comitatu Liptouienſi pagum diui Ionanis sunt, salutem præstant, quibus scabie, aut pso risędata est cutis. Non desunt etiam aquæ in Zepusienſi agro nonnullis in locis, in quibus ligna iniecta lapide, seu cortice obducuntur, & eodem in loco ad ædem D. Martini erumpit aqua bullenti similis, quæ tam supra, quam subtus terram lapidescit, qui lapides leuitate, & raritate pumicibus non sunt dissimiles. Non longè ab his adnueniuntur aquæ nitrosæ, quæ hyeme fluuidę sunt, æstate uero ita congelantur, ut refrigerandis poculis

Balaton lacus.

Sal minerale.

Thermæ Vngariæ.

Aquæ Pestenienses.

Aquæ lapidescentes.

Aquę nitrosæ.

glacies

glacies inde peti soleat. Sunt quampluribus in locis aquæ auibus, & animalibus eas bibentibus lætales. Et in Comitatu Zolienſi hiatus terræ famosus extat ob pestilentes expirationes, quibus aues superuolantes necat, nam inaccessibilis est is locus, & uolatilibus solum patens. Ad oppidum Smolniciam intra montes aqua emanat in foueas, in qua ferrum impositum in limum, seu lutum pauco tempore uertitur, quod quidem eliquatum cuprum est optimum. Et ad oppidum Bistriciam quod Germanis *Meusola* dicitur, sunt fodinæ æris opulentissimæ, quæ nunc Regiæ dicuntur, ex quibus aqua uiridis emanat, quæ congelata Chrysocollam efficit.

Vhiatus terræ famosus.

Aqua uertens ferrum in æs.

Eris fodinę.

Incolæ olim feroces fuerunt inquieti, seditiosi, turbulenti, instabiles, auaritiæ dediti, uindictæ cupidi, & aduenis, seu exteris parum amici, & æqui: nunc autem mitiores facti sunt, & cultiores, sed tamen otiosi sunt, aut bellatores, artificijs parũ incumbunt, & negociationibus robusti ualdè sunt, & Scythica utũtur lingua ab omnibus finitimis diuersa, quæ tamen alijs cum linguis permixta est. Sed qui inter Danubium, & Tibiscum sunt idioma proprium habent Vngarico dissimillimum, ij enim sunt ex Iazygum Metanastarum gentibus, atque etiamnum *Iaz* uoce decurtata nuncupantur. Apud Hungaros porrò masculi tantum fiunt hæredes, quibus decedentibus absq; masculis, mulieres in hæreditate non succedunt, sed bona ad Fiscum deducuntur: nullam mulieribus dotem tribuunt præter simplicem uestitum.

Incolarum mores.

Reliquiæ Iazygum Metanastarum.

Est autem HVNGARIA duplex, CITERIOR nempè, quæ citra Danubium fluuium iacet, cuius caput est Buda Regni sedes, & VLTERIOR, quæ ultra Danubium est, quam quidem Tibiscus amnis mediam interfluit. Et tota ipsa Regio diuisa est in Comitatus circiter quinquaginta (qui prouinciæ, seu præfecturæ sunt) quò facilior, expeditiorque esset iuris dicendi ratio, quorum supra Danubium ad occidentem Tibisci sunt 24. supra Danubium ad Orientem Tibisci sunt Comitatus octo, inter Danubium, & Drauum numerantur 12. & inter Drauum, & Sauum sex. Nobiliores Hungariæ urbes, & oppida sunt, quæ sequuntur. BVDA haud dubiè vetus, clarissima, potentissima, & amœnissima in edito colle sita, ampla potius suburbio propter Danubij ripam deducto, quàm mœnijs magna, & regni sedes. Hæc *Offen* vulgò dicitur, & Curtam fuisse Ptolęmæi quidam putant: alij verò Aquincum. ALBAREGALIS, vulgò *Stuluueysenburg*. coronatione, & sepultura Regum insignis, quæ palustri in planitie sita est. STRIGONIVM Metropolitana, vulgò *Gran*, vbi Archiepiscopus, qui primas est regni residet, iacet autem ad Danubium, non longè à qua fuit legio decima Germanica. QVINQVE ECCLESIENSIS vrbs Episcopalis. Deinde SOPRONIVM, vulgo *Sopron* versus Austriæ fines. TAVRVNVM, quæ ad confluentia Saui in Danubium posita est, & ab Italis, & Latinis Scriptoribus BELGRADVM dicitur, & ALBAGRÆCA, à Germanis verò *Griedisc Vucisseburg*. SABARIA D. Martini patria, quæ ab Hungaris Kimarorubath dicitur. VESPRINIVM, SIGETHVM, & KOMARA oppida, & arces munitissimæ,

Diuisio Hũgariæ.

Comitatus Hũgarię 50.

Buda Regni sedes.

Albaregalis

Strigonium

Quinqueecclesiæ & Sopronium.

Belgradum

Sabaria.

Vesprinium

Universidad de Deusto Biblioteca

Iauarinum. nitissimæ, & IAVARINVM, quod incolis *Rab* dicitur, iacetque non procul à Komara, à qua diuiditur Danubio, habetq; arcem, quæ recta uergit uersus oram Borealem, & amplis fossis plenis aqua fluuiali præcingitur. Oppidum hoc anno 1594. quo hæc scribimus à Turca immanissimo Christianorum hoste obsidetur, qui etiam Komaræ insulam occupare pertentat; quam quidem Insulam Danubius apud Posonium in duo flumina diuisus à Posonio Komaram usque (infra quam uersus confluunt) ad duodecim Hungaria milliaria facit, sed in latitudinem quinque milliaria habet.

Comara inf.

Hæc insula optimum gramen uiri longitudine producit, ibique ante paucos annos fuerunt circiter 300. pagi, & naues 28. quarum singulæ 40. aut 50. milites uehunt. Fuit etiam hęc insula olim Hungariæ diuerticulum piscandi causa, postea Vaiuodæ Transiluaniæ paruit.

Regni Hungarici varia fortuna.

Cæterum Hungarorum prouincia multo tempore peregrinarum nationum sedes fuit, & diuersorium. Primum quidem inhabitarunt eam Pannones, & Pœones; deinde post Romani Imperij inclinationem Gothi, quos expulerunt Hunni. Sed his eiectis Longobardi hunc 42. annis consederunt omnem impendentes operam pro vniuersæ Italiæ acquisitione: his iterum successerunt Hunni, quorum Rex Attila vniuersam ferè Europam vastauit, & terram hanc exterarum nationum rapinis magnopere ditauit. Post cuius mortem à Carolo Magno Hunni expugnati fuere surrepto ipsis immenso Thesauro, quem Budæ præcipuè congregauerant. Tandem anno à Christo nato 900. sub Arnolpho Imperatore venerunt ex Scythiæ partibus Hungari, qui reliquijs Hunnorum coniuncti multas toti Germaniæ excursiones, & vastationes intulerunt, donec anno 954. à Cæsare Ottone propè Augustam Vindelicorum strage magna cœsi humiliores effecti sunt. Anno vero Christi 1006. cum S. Henricus Imperator sororem suam Ghiselam Regi Hungarorum Stephano in matrimonium iunxisset, breui ille Sacrosanctam Christi fidem toti Hungariæ impertiuit, & hic fuit primus Hungariæ Christianus Rex, cui successerũt ordinatim 30. Reges vsque ad Rodulphum II. Rom. Imp. huius Regni legitimum hæredem, qui in ordine est XXXI. Rex tametsi tota Hungaria non potiatur. Nam Regnum hoc, quod antea florentissimum, & potentissimum fuit, afflictissimum superiori sęculo factum est, & mala, ac iniqua administratione planè ad interitum redactum. Post enim inclyti Regis Matthiæ obitum, qui ipsum ad summam potestatem deduxerat, adeò inclinare cœpit ob Hungarorum insolentiam, ac discordiam, ut tandem post expugnatum à Turcis Belgradum anno 1521. vnicum Hungariæ contra Turcas præsidium, quod hodie Alba Græca dicitur, & post deiectum, ac extinctum anno 1526. Ludouicum Hungariæ Regem maiorem, ac posteriorem Solimanus Turcarum Imperator huius Regni partem occupauit, capta, scilicet *Buda*, regali ciuitate anno 1541. & paulò post Strigonio, Albaque Regali, & Quinque ecclesijs euersis, cuius quidem Regni residuum quod ad Septentrionem Danubii in Poloniæ, & Casouiæ finibus iacet, sub Rodul-

Primus Hungarorũ Christianus Rex

Turca Hungarię partẽ occupat.

Rodulphi II. Imperatoris ditione nunc est. Sed postremò etiam his temporibus, quibus hæc scribimus, bellum iterum à Turca Hungaris illatũ est.

Status Vngarię Ecclesiasticus.

Duo in hoc Regno sunt Archiepiscopi nempe Strigonienſis, qui est Legatus Apostolicus, & Primas Regni. Et Colocensis. STRIGONIENSI Archiepiscopo subsunt hi Episcopi, nempè Agrienſis, Vacienſis, Nitriẽsis, QuinqueEcclesienſis, Vesprimienſis Reginæ Cancellarius, qui etiam eam coronat, & Iauarinenſis. sed COLOCENSI subsunt Zagabrienſis, Transyluanienſis, Voccadrenſis, Suinienſis, Visemburgenſis, Cenadienſis, siue Chonad, & Bosnenſis.

TRANSILVANIÆ DESCRIPTIO.

TRANSILVANIA olim [1] Dacia Mediterranea, ac Ripenſis dicta, prima, ac potissima Dacię Prouincia est. Dicta autem est Transiluania à [2] siluarum, montiumq; ambitu, quibus insinuatur. Sunt autem montes, quibus circumgiratur, Carpatii, [3] qui è Sarmaticis Orientes mõtibus, radicibus bifidis, seu dispalatis descendunt in Daciam, ac diuaricati, insulari quasi forma Regionem hanc constituunt. Diuiditur hodie in plures districtus, pluresuè Comitatus, de quibus in Tabula Topographica dicetur. Habet autem uicinas, & conterminas ab Occidente quidem Pannoniam, à Septentrione Poloniam, à Meridie Valachiam Cisalpinam (vulgò Transalpinam vocatam) ab Oriente ferè Moldauiam. Dicitur vulgò Regio [4] Septemcastrensis, mutato nomine è Germanico idiomate, quod Sybemburgen appellant. Hungaris Erdeli dicitur. Porrò hanc variæ gentes inde ab initio (quarum quidem memoria ad nostra tempora peruenit) incoluere: in primis quidem [5] Iazyges [6] Metanastæ, Getæ, Bastarnæ, Sarmatæ, [7] Græci, Romani, Scythæ, [8] Saxones, Hungari. Ex quibus omnibus cum quattuor posteriores adhuc supersint, aliis relictis, de his tantum agere decreui. Romani itaque primum sub Traiano, qui [9] Decebalum Dacorum Regem vicerat, subiugaratque habitare cœperunt. (Traianus enim primus Romano Imperio adiecit, ac in formam Prouinciæ redegit; in qua Vrbem Zarmizegethusam prius dictam, Vlpiam Traianam de suo nomine vocauit, ac Rempub. constituit, Romanisq; [10] legibus exornauit, ut author est Iustin.) quã Galienus primum ducentis ferè post annis amisit; quo temporis interuallo, uicissitudine que interposita à moribus Romanis, linguaque politiori degenerarunt. Neq; Romanis (quod tamen nomen interfese adhuc retinent) sed [11] Valachi hodie à plerisq; nuncupantur. Gens aspera, bonarum artiũ, atque honestarum disciplinarum expers, armentorum ferè, pecudumque curæ dedita, (non negarim tamen aliquos uitę politioris reperiri posse quem-

quemamodum inter Scythas Anacharsis,sed vt plurimũ ab alijs regionis incolis educati) [12] neque oppida, & ciuitates possident, neque domos ut alij lapideas, uel alisà ornatè extructas habitãt,solis paleacijs contenti,qui ut plurimum in montibus, saltibusque degunt. Religio ipsorum fermè Græca est schismatica,licèt Patriarcham Constantinopolitanum caput suę fidei agnoscant. Habent præterea cum Ethnicis multa commnnia, ut sunt præstigia,diuinationes,incantationes,iuramenta per Iouem,& Venerem, (quam ipsi sanctam uocant,) modum [13] sepeliendi mortuos, ducendi [14] uxores, easque repudiandi, & id genus alia, sed de his satis. Restat iam,ut sermonem conuertamus ad Schytas ([15] Scyculi aliàs dicti) qui primum (ut historiæ perhibent) cum Atthila in Pannoniam venerunt,mox profecti in Transyluaniam,in qua sibi sedes [16] septem liberas constituerũt, nimirum Kisdi, Orbai, Scepsi, Cyk, Vduarheli, Aranios, Maros. [17] Lingua eorum hodiè exigua dialecto à Sermone Vungarico differt, quamuis olim peculiari lingua uterentur. Leges ipsorum diuersæ,diuersaque Iura Heluetiorum instar; quæ tamen temporis uicissitudine immutari cœpere. Sunt etiam inter illos, quemadmodum,& inter alias nationes,Nobiles ditissimi,ac magnæ existimationis, qui alios sibi in seruitutem redegerunt. Pacem, & bella studiosè (prout res postulat) obseruant. Religionem,disciplinas, & bonas artes cum alijs communes habent; His successere [18] Saxones (ut recentiores testantur) Caroli Magni tempore, qui cum leges ab ipso impositas tolerare non possent, in has oras se contulerunt, & cum ui armorum Regionem obtinuissent; in ea septem amœnissimas Vrbes, partim de nouo, partim iam antea factas extruxerunt, quas forma Reipublicæ exornarunt,iuribusque decorarunt, ac liberas (ad normam aliarum Imperij Germanici liberarum urbium) pronunciarunt.

Harum prima & Metropolis est [19] Hermanopolis,uel Cibinium (ab amnec Ibin dicto) vulgò uocata, consularis, reliquæ autem proconsulares, altera [20] Stephanopolis, Corona, & Brassouia hodie dicta, [21] tertia Bistricium, [22] quarta Mediesus, [23] quinta Schiespurgum, [24] sexta Claudiopolis, [25] septima Alba Iulia, quæ sedes hodie Principis est Sereniſſimi. Lingua eorum Germanica est, ac à Saxonica moderna, parum differt, habent pro locorum diuersitate dialectos diuersas,non tamen ita differentes,ut se mutuò loquentes non intelligant. Hos nouissimè omnium [26] Hungari subsequuti sunt, primũ quidem sub initium Secundi, Hunnorum è Scythia in Pannoniam ingressus. Mox tempore S. Stephani,Pannoniæ Rege (qui Transyluaniam expugnarat,tributariamque fecerat) deindè sub alijs eius successoribus. Magna horum præ aliis potentia, & authoritas est. Nam, & Principes, & alii fermè in Regno Magistratus ex ipsis creantur: Neque tamen creatio ab ipsis solum,sed etiam ab alijs duobus Transyluaniæ populis Saxonibus, nimirum, & Scyculis dependet, horum dignitas perennis est, merumque Imperium. At neque filij, si idonei sint, excluduntur,quod cum potentissimo Princie Sigismundo Bathoreo factum esse constat,qui ob egregiam indolem,heroicumque animum, Patre adhuc

viuo

uiuo Christophoro Bathoreo (pio, & sancto Principe) ore omnium,omniũq; suffragijs [27] Princeps declaratus fuit. Horum oppida cultiora, elegantioraque sunt, Varadinum (quod in principio Vngariæ est) [28] Thorda, Desus, Riuuli dominorum, [29] Egniedinum, * Deua, Zylahi, Gela, & quedam alia. Cæterum de origine, natura, moribus, bellicisque virtutibus, quibus gens ista pollet, hoc loco, tempore, & occasione destitutus partim; partim etiam cum multa de ijs ab Historicis prodita sint, silentio transeo. Porrò Transiluania non tantummodo amœnissimis oppidis (vt dictum fuit) abundat, sed etiam omnibus alijs ad humanam uitam necessariis rebus fertilis est, vt puta, [30] frumenti, [31] vini, [32] fructuum, pecudum, [33] armentorum, [34] equorum præstantissimorum, volatilium, piscium. Præterea metallorum, [35] auri nimirum, & [36] argenti, [37] cupri, æris, [38] stagni, plumbi, argenti viui. [39] Chalybis, ferri, [40] antimonij, cinabrij, sulphuris, vetrioli, [41] salis (cibi condimentum præstantissimum) [42] Pisasphalti, vt alias regiones (quod absit inuidia dictum) facile superet; Thermæ in ea sunt diuersarum minerarum, Iogyenses, nimirum, & Varadinæ, quarum hæ calidæ, illæ verò frigidæ existunt. Scaturigines item aquarum acidarum, quę fermè vini saporem sapiunt. Aliæ item, quarum aquæ scaturientes mox in petras conuertuntur. Riuuli item qui posteaquã è fonte suo emanarunt ligna, & alias res leues petreis crustis subducunt. Mellis etiam ibi tanta copia est, vt præter communem vsum obseruatum, Incolæ peculiarem adinuenerint: Enimuerò ex eo adeò delicatum potum conficiunt, vt etiam rerum peritis (pramnium, seu maluaticum opinantes) facilè imponat. Habet hæc & saltus prægrandes, ac nemora ingentia, in quibus Vri, Bubali, Alces, Capricorni, Cerui immanis magnitudinis, Lynces, Martures, Mures pontici, Vrsi, à communibus differentes. Lepores albi, Aues denique in ea reperiuntur alpestres, & nemorales, ut sunt Aquilæ, [43] Falconum quoddam genus rarum, & exoticum, & præter rapaces, Phasiani, Perdices, duum generum: Pauones syluestres, Gallinagines, Galli syluestres,& alpestres, ab alijs non parum differentes. Inter aquatiles maiores sunt Olores, Pigargi, Tardi aliàs dicti, Onocrotali Gruibus maiores. Non desunt & [44] herbæ præstantissimæ, ut cæteras omittam, Rauponticum, Centaurium maius duorum generum, Gentiana maxima flore flauo, & purpureo, Rhodia radix, Absinthium Ponticum legitimum, Appios bellonii, libanotis prima Theophrasti, Crocus, qui passim prouenit: Sunt item quidam montes Valachiæ Cisalpinæ, & Moldauiæ uicini, qui Agaricum, ac [45] Therebintum stillant. Fluuii in ea tres nauigabiles Aluta nimirum, [46] Morossus, Samus, quorum duo priores è montibus Scyculicis originem suam trahẽtes,hic in [47] Tibiscum,ille uerò rectam in [48] Danubium tendens,delabuntur. Tertius samus (Thimes Germanis, ab Vngaris idem nomen tenet) è alpibus Calota dictis, Oriens, qui æque in Tibiscum delabitur. Sunt præterea, & alii amnes, ut Chicel maior, & minor, Sabesus,Chrysius, [49] Chrysolores, [50] Strygius, quorum tres ultimi ramenta aurea,baluces que quandoque pondere [51] dragmarum septua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ginta uehunt: Pisces in iis, & supradictis optimi, ac uarii reperiuntur, Accipenser nimirum magnus, & paruus, Ciprius trium generum, Salmo, Lampetra fluuiatilis, & 53 Lacustris, Silurus, Mulus barbatus uocatus, 54 Murenæ genus rarum, Truta alba, & nigra, Gobii squammati, ac sine squammis, aliis penitus incogniti. De Lupis, Percis, Tinis, Murena uulgo dicta nil memoro; qui inauditę ferè magnitudinis inueniuntur. Non desunt huic Regioni stagna, atque paludes, quæ piscibus præstantissimis affluunt. Et hæc hactenus compendiosè dicta de Transiluania sufficiant. Pluribus enim persequi neque nostrum nunc ocium, nec institutum patitur, addo etiam occupationes quibus ita distinemur, ut interdum omittere etiam ea, quæ magis sunt necessaria cogamur: accedit rursum Impressoris quoque festinatio, qui quod prælo subijciat semper exigit, & efflagitat, quo fit interdum, ut in doctissimis etiam Vitis multa desiderentur, quæ homines facile condonarent, si scirent, quantum sint eorum etiam ingenia, & calami operarum Imperijs addicta, vt plerunque multa subito cogantur effundere, & exarare, quæ si lentius has esset illis considerare, minus essent certe obnoxia maleuolis, qui contra ac Poeta ille Venusinus, paucis plurimum offenduntur maculis, quas uel incuria fudit, aut humana parum cauit natura.

1 *Daciæ veteris duæ aliæ partes sunt Moldauia, olim Mæotania, à Mæotide palude, qua ex vna parte terminatur, dicta: altera Cisalpina Valachia ab Alpium dorsis, sub quibus sita est, nominata; Romanis olim Collia, quibus abundat, appellata fuit.*

2 *Sunt quidam qui Hyrcinias putent, quibus ego non reluctor: cum Cæs. Comm. lib. 6. hanc syluam in Europa omnium maximã in Germania oriri, ac recta fluminis Danubij regione ad fines Dacorum pertinere memoria tradat.*

3 *Hic puto Carpatii nomen obtinuit, ex Ptolæmei descriptione.*

4 *Dicitur & Pannodacia, & Dacia Ripensis, Mediterraneaq; Pannodacia, quod Regibus Pannoniæ subfuerit, atque etiam quod & Pannones incolas habeat. Ripensis autem, quod à multis fluminibus, riuulisq; irrigua sit, mediterranea denique, quod in medio quasi duarum aliarum Datiæ partium sita sit.*

5 *Iacygum reliquiæ in hodiernum diem in Vngaria reperiuntur Iazab Vngaris hodie dictæ.*

6 *Sunt quidam, qui Matanastas non in Trasiluania, sed extra Transiluaniam ad ripas Danubij habitasse prodiderint, quibus Plinius manifestè contradicit.*

7 *Liquidò ex historiis constat, sed istius rei ueritatem Numi triumphales Græcorum, qui passim in Transiluania effodiuntur, demonstrant. Idem Zarmizæ-*

mizægethusæ nomen ostendit, quo Coloniæ Græce Byzantinę etusan vocabant. Nam & Constantinopolin Aetusan olim appellatam fuisse Volateranus testatur.

8 *Credunt quidam Germanos antè tempora Caroli in Transiluania extitisse, inter quos Chytræus. Simile quid asserit Dom. Marius in sua Geograph. comm. 246.*

9 *Extant adhuc rudera oppidi cuiusdam, quod de suo nomine considerat Vezel dictum.*

10 *In Pandectis Iustinianus. ff. de censibus. l. 1. §. 9.*

11 *Dicuntur, vt quidam volunt à Flaccho Romano, quæ sententia mihi non probatur, putarim ego communem ferè omnium idiomatum appellationem huic nomini rectè quadrare, dicuntur enim à Germanis Vualchen. q.d. Vuelchsin, quod Italos signant, ita enim, & Poloni Italos Vuolsch appellant, Hungari Olach. Olhas Italos vocitant; ita alij ferè omnes in ijs duobus nominibus parum diserepant. Vnde colligi potest, quòd ab Italis potiusq; à Flaccho Valachos vocati sint.*

12 *Præcipui huius nationis incolæ Vallem Zarmizægethusæ, (vix rudera illius extant Vepribus, & Dumetis obsita) & loca circumiacentia (amænum satis territorium) habitant, alijsq; Valachis humaniores censentur.*

13 *Affatim victum, & amictum mortuis suis largiuntur: credentes ipsos mortuos in itinere, antequam in Paradisum, uel in alium locum illis destinatum perueniant, fami, & frigori succurrere posse.*

14 *Furantur Virgines Sabinorum antiquorum instar, quibus vt primum Zonã Virgineam ruperunt, coniuges tandem eas recipiunt; vxores ferè liberè repudiant.*

15 *Dicuntur ab Idiomate Vngarico, quos ipsi Sekheli vocant, quod nomen locum sedium significat, q.d. habitatores sedium.*

16 *Tres posteriores Scyculicæ sedes promiscuè, & ab Vngaris habitantur, Comitibusq; temporalibus subsunt.*

17 *Caracteres ipsorum cum, Abissinis, hebraicis, syrisque affinitatem habent, & à dextra ad sinistram more istorum scribunt. Extat talium Caracterum liber in Bibliotheca Ducis Florentini.*

18 *Saxones in Transil. migrarunt Vienario elapso, post victoriam à Carolo Magno in Pannoniobtentam. Hic Chebam regem filium Atilæ, Budæ comprehensum in carceres poni curauit mærore ingenti qui ob aduersam fortunam perculsus inibi moritur. Bonfin, Decade I. lib. 9.*

19 *Hermenstad ab Herman (ut quidam uolunt) fundatore Græcorum Imperatore. Hæc non multo minor est Vienna, quod & Munsterus asseruit, arte, & natura munitissima, nam præter mænia fortissima ad miliare germanicum stagna circumcirca habet.*

20 *Cronstad Germani uocant Valachia contermina, Emporium totius Transiluaniæ, in quam tempore Nundinarum Turcæ hodie, Arabes, Armeni, Græci, Valachi, Itali, & Poloni cateruatim cum maximis, & pretiosissimis mer-*

cibus commeant.

21 Nezen dictum, Germanis, Bistricio amni in medio secatur, amœnissimum, oppidum, in quo nihil cœni lutique conspicitur. solent enim Ciues exiguo temporis spatio amne regurgitante plateas emundare, adeò ut manuaria arte lotæ appareant.

22 Meduish Germanicè dicta, forte, quod in medio Transiluanię sita sit, Mediessus q.d. medius consessus, & hæc aliquid tale habet quod & Bistricium.

23 Nomen Germanicum, quod idem est ac si dicas, locus explosionis, est enim in acclini loco sita.

24 Clausemburgum Germanis dictum, Zeugma est Ptolęmei, ac primum à Græcis ędificata, postea à Romanis, qui Claudiopoli nomine ipsam insignibant (putant nonnulli à Claudio Imperatore ita vocatam) hęc ante paucos annos à Saxonibus solum habitabatur, sed temporis successu, ob magistratus in ea vrbe incuriam, primum quidem Hungaros hospites admisit, qui pedetentim Patricijs se insinuantes, mox ciues recepti sunt, & hoc tempore communia cum Saxonibus priuilegia, iuraque tenent.

25 Apulum olim, & non minus ut Zarmizegethusa Romanis legibus clara erat, ante paucos annos sedes erat Episcopi Transiluaniæ, ut hodie est Colonia Agrippina Electoris Archiepiscopi, at statu Ecclesiastico temporis, & hominum iniuria mutato, alio sedet translata est, neque amplius à Saxonibus, sed Hungaris iisque militibus Principis habitatur. Meminit Ptolomæus. 42. urbium, ex quibus solum quinque hodie extant. Vocatur Apulum ab Apuo fluuio, qui ex una parte alluit. Oratas vulgo dictus.

26 In materna lingua sua Magyar se nocitant, q.d. magor qui filius erat, Iaphet, huic sententiæ Beatus Augustinus videtur astipulari. Hi An. Christi 74. in Transil. authore Bonf. profecti sunt. Et in eo consentiunt Chronologi Vngarici Carolus autem Magnus gessit bellum in Pannonia An. salutis hum. Ex quo constat Saxones ante, Hunnos in Transil. profectos esse.

27 Olim vaiuoda, quod nomen primum (Stephano Bathoreo) (opt. mem.) Polonorum Rege inuictiss. Principe Transiluanię creato) desiit.

28 Salinæ Ptolomæo, est enim fodinarum salinarum præstantissima, Sed hodie oppidum aliud extructum est, paulò inferius priori relicto, cuius adhuc porta, & nonnulla alia rudera extant.

29 Engniadinum, à Romanis Annium, de uia Annia dicta lapidibus Strata, & hodie superest.

30 Frumentum in ea in tanta copia quotannis crescit, vt non tantum horrea impleant, sed etiam in summis aceruis partim, partim in cauernis subterraneis ad multos annos conseruent, sed hæc Transiluaniæ fertilitas conspicua est, in numis Traianis, in quibus Daciæ abundantia notatur horum numerum pars altera Cererem habet, quæ stans erecta dextra Cornu Copiæ spicis plenum, leua tabellam habet manu sublatam, hac Inscriptione ABVNDANTIA DACIAE.

sunt

sunt pręterea, & loca quædam Transiluaniæ, in qua si siligo seratur, facilè in triticum degenerat, legumina omnis generis profert, sed pręter panicum, frumentum trigonum, ciceres, & fabas, nil in uictum humanum cœdit.

31 Vinò non minus quam frumento abundat, est in ea quidam districtus, Germani vuinlarez dictus, ab Vngaris uocato Borfuld, quod regionẽ uini significat, præcipua autem loca sunt, quæ præstantissima proferunt. Alba Iulia, Deua, Egniedinum, Birthælbinum, Fenuscium, quod Venusino Italico, ne, utique cedit.

32 Fructuum ut & aliarum rerum magna copia est (exceptis malis aranciis, punicis, medicis ac limonibus, quæ quidem in Magnatum hortu quandoque reperiuntur, illaque potius delectationis, quam utilitatis causa aluntur) ut alios intermittam, præstantissima illa pruna Damascena vulgò vocata, Cotonea, Cerasa, meratia, & dulcia, quæ cum marosticanis Italicis conferri possunt, Melones, & Melopepones Galeni præstantissimi (quos uulgus Angurias uocant) Brassicæ (licet communiter ubiuis reperiantur; (ego tamen illius magnitudinis, et coloris in aliis locis non obseruaui. Sunt illæ brassicæ uiolacei coloris, eius magnitudinis, ut etiam albas illas communes etiam prægrandes superent.

33 Arguit abundantiam pascuorum, Ex quibus quotannis in Italiam, in Austriam, & quædam alia Germaniæ loca plurima deducuntur armenta. Memini quandoque (in qua re mihi Bonfinius fidem facit) uel prægrandem bouem floreno emptum esse.

34 Sunt elegantissimæ formæ, qui subinde millenis, ses qui millenis, ac duobus millenis florenorum emuntur. Ac istud genus multifariam diuersis locis reperitur.

35 Excinduntur glebæ, massęq; auri purissimi, aliæ quidem ita puræ, ut nulla indigeant separatione cõmodeq; operis quibuslibet possint accommodari. Idem & mixtum cum aliis metallis foditur, quod depuratione opus habet, loca autem in quibus foditur, ferme sunt schlatem (quod scobem metallicam significat) Riuuli dominorum, lapus; sed satis sine istis, auri ubertas ex Cai Catonis numis apparet, qui effigiem habent galea impositam, ac in formam petasi Mercurialis utrinque geminis insignita unitam. Ab occipitio bacilli sunt transuerse positi, ac ueluti harundines internodiis distincti. Inscriptum autem subest. C.CATO. altera facies numi Diuam habet, palla ad lęuam brachium suspensa, lumbo humi diffuso, cui libella in dextra est æquo pondere dependens cum litteris Idolo substratis. AVR. PVR. huiusmodi numi creberrimè in Transiluania effodiuntur. Loca (nut Sculattin, Zulakna Vngaris Zermizirga Ptolęmei forte, Kimili dominurdz, & quædam alia loca.

36 Argentum in supradictis locis foditur, sed Offea, & Radna fodinę hoc solum metallum producunt.

37 Cuprum ubi fere argentum, & aurum reperitur.

38 Passim circa fodinas argenti hæc quattuor inueniuntur.

39 *Præstantissimus à quodam Scyculiæ Comitatu Cyk uocato exhibetur, licet in alijs locis passim conficiatur. Ferrum autem in Thoroſco, & Vaidahuniadiæ.*

40 *Sulphur, & Antimonium in Cupri fodinis. Sunt tamen quædam loca, quæ antimonium solum procreant, cinabrium, & argentum uiuum in auri fodinis.*

41 *Salis fossilis tanta est copia, vt & uicinas regiones facile sustentet neque nigrum ut Polonicum, quod in triplici differẽtia est, album unum transparens crystalli instar, candidum alterum, sed non solidum, ac primum, tertium denique cinerei est coloris, sed contusum niuis instar dealbatur, magna olim eius erant vectigalia (neque intelligo quatenus in fodinis uendebatur, qui census etiã Principis est ingens, sed solum pensionem, quæ ad oppidum lippa uocatum quotannis colligebatur) ad trecentena fere millia florenorum, vt Ascanius Centorius de bello Transiluanico lib. 2. fol. 93. memorat.*

42 *Non procul Bistricio oppido foditur. Au autem Bitumen, uel aliud quoddam resinæ genus sit, disputationem hoc loco non ingredior.*

43 *Hoc genus falconum ab omnibus alijs differt, & vix Nisi magnitudinem superat, præstantissima venationis auis est, quæ à magnatibus summe exoptatur, neque in alijs locis reperiri eam credo, solent enim prægrandes aues rapaces, & alias facile duæ istarum interficere, vt Aquilas, Tardas, Olores; Vnde non abs re Imperator Turcarum exoptat, qui singulis annis muneris loco, dum tributum à Transiluanis transmittitur deferat.*

44 *Aiunt quidam gingiber reperiri, quod quidem ego nondum uidi, neque tamen impossibile iudico, cum Valachiæ Cisalpinæ montes quidam uicini lacustres perpetuo fere soli expositi sint.*

45 *Non effluit propriè ex arbore therebinto uocata, sed ex quadam Laricis specie, non deterior Cyprica therebinto; existit.*

46 *Maros, & Marus antiquis Geographis dictus.*

47 *Thibiscus in Transiluania oritur, non longe ab arce Maramaros uocata,*

48 *Hic non amplius Danubius, sed Ister appellatur.*

49 *Aranios Vngaris, Lorens Germanis dictus.*

50 *Sergetia hodie dicitur.*

51 *Minores particulæ communes inueniuntur.*

52 *Alius forma longa præditus, corpulentus admodum, ita ut apertus per medium, porcum aliquem saginatum repræsentet, cuius caro condita sale, in maximis uasis reseruatur, quæ potissimum tempore Quadragesimæ editur. Alterum genus est formæ teretis, & orbicularis quodammodo, quem Beatæ Virginis piscem Incolæ uocant. Tertium id quandoque palmorum duorum magnitudine crescit sed vt plurimum vnius palmæ inuenitur. Caras vocant, aureis squammis nitet; hunc Kores, illum uero Vnerfrauen Kores incolæ uocant, Carpiones uocantur a nostris malè, neque enim carpionem nisi lacu Benaco reperiuntur.*


53 *Lacustres aliquando sub locis subterraneis ad decem modios usque reperiuntur, neque ipsorum loca, quemadmodum aliorum piscium semper conspicua*

cua sunt; sed latent in terræ uisceribus, ita ut prætereuntes, non aquam, sed terram aridam conspiciant.

54 *Hic piscis ab Incolis Germanis Alchaten, ab Vngaris Menihali dicitur, q.d. piscis cœlestis, nec immerito, delicatissimi enim saporis est, differt à piscibus Quappen à Septentrionalibus Saxonibus uocatis.*

De his omnibus Transiluaniæ Tabellæ locis, & natura accurate, & fideliter fuimus eruditi à Ioanne Hortylio Transiluano, Viro doctissimo, Patauij nunc studiorum causa commorante.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXI.

GRAECIAE DESCRIPTIO,

CVM SIBI CONIVNCTA THRACIA,

ET ADIACENTIBVS INSVLIS.

Græciæ nomen variè accipitur.

GRÆCIÆ nomen variè apud Scriptores vſurpatur. Primo enim dicitur propria, & vera Græcia, ea prouincia, quæ Ptolæmeo, & Plinio ATTICA vocatur, in qua eſt famoſiſſima Athenę vrbs: deindè largè, & communi ſumpto vocabulo ſub Græciæ nomine quatuor cadunt prouinciæ, quæ ſunt Macedonia, Epirus, Achaia, Peloponneſus, & cæteræ Regionem ſub his nominibus contentæ, deinde etiam maris Ionij, & Ægæi inſulæ; quo quidem modo Græciæ nomen ab omnibus ferè hodie vſurpatur. Poſtremò etiam latiſſimè Græciæ nomen ſumi poteſt, pro ut comprehendit Thraciam, Aſiæ minoris non minimam portionem, præter iam dictas prouincias, quam Græci olim poſſederunt, & in quam ſuas colonias miſerunt: ac inſuper etiam eam Italiæ partem, quæ magna Græcia olim fuit vocata, nunc verò ſuperior Calabria. Vt autem communiter accipitur tribus abluitur Pelagis, Ionio ſcilicet ab Occidente, Lybico à Meridie, & Ægæo ab Ortu: à Septentrione uerò montibus illis Macedoniæ diſcriminatur, qui Macedoniam ipſam à Thracia, Myſia ſuperiore, & Dalmatia ſegregant.

Græciæ fines

Situs cœleſtis.

Concluditur autem Græcia eo, quo diximus modo accepta, & adnumerata etiam in ea Creta, quæ in tabula hac non extat. inter parallelum gr. 34. latitudinis, qui decimus eſt, ubi prolixior dies fit horarum 14. cum quadrante, & parallelum gradus 43. latitudinis, qui eſt 14. ubi prolixior dies æſtatis eſt horarum 15. cum quarta diei parte, vnde in hoc terræ tractu contingit varietas diei artificialis ad integram horam. Incluſa verò eſt penes longitudinem intèr Meridianum gr. 44. & Meridianum gr. 55. ferè. Dicta fuit prius Helles ab Hellone Deucalionis, & Pyrrhæ filio, deinde Græcia fuit vocata à Rege Græco dicto ibi nato Cecropis ſucceſſore, qui Atticæ tantum regioni imperauit, quæ cęteris omnibus Græciæ Regionibus celeberrima fuit.

Græcia prius Helles dicebatur.

Regio hæc præſtabat olim reliquis Europæ, cęli temperie, ac benignitate, terræ amænitate, frugum omnium fertilitate, armentorum, & piſcium copia,

Græciæ Ius, & præſtantia.

copia,opulentia,ac omnium diuitiarum affluentia,incolarum multitudine, splendore,ac potentia,atque etiam vecturę commoditate, qua ex omnibus mundi partibus iam olim frequenti nauigatione multę res importatę,& ex portatæ sunt: nam tot marium facillimum habet aditum ob innumeros sinus & portus, & insularum, ac peninsularum multitudinem, & tot fluuiorum nauigabilium habet copiam, vt achis eius terræ latere potuerit, quod à gentibus omnibus non frequentaretur.

Græcorum prisc orum laus.

Incolæ mirabili ingenio olim fuerunt præditi, vnde scientias omnes;& facultates illustrarunt, & perfecerunt, vt tot præstantissimorum Philosophorum,Medicorum,Mathematicorum,Historicorum, Poetarum, & cæterarum facultatum monumenta testantur, si quidem omnium artium,& disciplinarum inuentores,& illustratores,quorum memoriam hodie colimus magna ex parte ex totius eruditionis fonte, & matre Græcia oriundi fuere, hi etiam picturam, testè Plinio, & statuariam primum adinuenerunt. Præterea etiam Militarem artem primi instituerunt, ac etiam Magistratus, & dominandi modum, ac rationem, vnde ipsi fama, gloria, doctrina, eloquentia, plurimis artibus, Imperio, & bellica laude egregiè floruerunt,& magnę parti orbis quondam dominarunt: hi si quidē,& si paruum Europę locum prius tenuissent, nihilominus suos fines adeò ampliarunt, ut totam subegerint Peloponnesum, & Epirum, & Macedoniam, & Ægei maris insulas,& non minimam minoris Asiæ portionem,ac Thraciæ præsertim iuxta littus maris Ægei: hi quoque innumeras deduxerunt colonias per vniuersum Mediterraneum mare, per Galliam, Hispaniam, & alias mundi prouincias,quorum lingua tota minor Asia,Syria,Ægyptus, Cyrenaica,ac magna Orientis Regio vtebatur,quadruplicem vero horum sermonem,& dialectum ponunt Scriptores Ionicum, Doricum, Atticum, Æolicum, & ex his mixtum, quam communem vocant Dialectum, si quidem ipsi Græci olim in tres gentes principales distinguebantur, nempè in Iones,quorum celeberrimi fuerunt Athenienses, & hi Iones in Asiam colonias duodecim deduxerunt, in Dores, qui in Corcyram, Siciliam, & magnam Græciam Italiæ regionem suas traduxerunt colonias,ac inter hos Lacedemonij celebres fuerunt, & in Æoles, qui in Asiam circa Phocæam vrbem colonos miserunt. Græci porrò ipsi apud vetustissimos Scriptores appellati fuere Achęi, Achiui,Argiui,Danai,Dolopes,Dores,Dryopes, Hellenes,Iones, Myrmidones, & Pelasgi.

Græci Imperij amplitudo.

Sermo Græcorum quadruplex.

Græcorum varia nomina.

Cæterum prouincia hæc libera permansit vsque ad Cyrum Persarum Regem, qui primo ipsi iugum imposuit, eamque tributariam fecit. Post hunc Xerses Darij filius Græciam afflixit,& post eum alij etiam Persię Reges. Deinde ipsam Græciam iterum Philippus Macedoniæ Rex subiugauit, quæ sub Macedoniæ Regibus permansit vsque ad Perseum vltimum Regem, sub quo in Romanorum potestatem cecidit: sed diuiso Romanorum Imperio in Orientale, & Occidentale, Græci Orientis Imperium obtinuerunt sub Constantino Magno, quot aliquod sæculis pacificè rexerūt donec à Gotthis primum,indè à Bulgaris, postea à Saracenis diuexati,

Imperium Orientis ad Græcos delatum.

ac

ac deprædati fuerunt. Postremò à Turcis in miserabilem seruitutem sunt redacti relictis paucis,qui sub Venetæ Reipub.dominio hodie permanent. Turca enim maximam Græciæ partem tum in continenti tum in mari obtinet, quod autem Venetis cessit in mari est,ut sunt insulę Corcyra, Cephalonia,Zacintus,Creta, & aliæ paruæ. Græci Venetis subiecti (ait Bellonius) paulò meliore conditione sunt, ad religionem quod attinet, quàm qui Turcæ tributarij sunt, & vtrorumque facta confusione, comperimus eos,qui Turcæ subsunt Turcorum moribus, & cōsuetudine viuere,quemadmodum qui Venetis parent, Venetorum mores imitantur.Tam in signis apud vtrosque regnat barbaries, vt nulla apud eos vrbs inueniatur,in qua sit Academia: nemo est etiam qui suos liberos artes liberales, aut literas edoceri curet. Omnes promiscuè idiomatè loquuntur ex ueteri corrupto: sed alij aliis ornatiore: eorum tamen uocabula maiorem habent affinitatem cum legitimo Greco idiomate, quam Italicæ uoces cum Latinis. Vrbium,quæ Venetis subsunt,incolę Italicam linguam perinde callent atq; Græcam:at rustici sola Greca utuntur. Græcorum qui Turcæ dominio subsunt, eadem est ratio: nam qui maiores urbes incolunt Turcicè, & Græcè loquuntur: rustici uerò duntaxat Grece. Græci rerum proprias nomenclaturas adhuc retinent præterquam iis locis,ad quæ exteræ nationes frequentius commearunt, ac multò magis in urbibus maritimis, quam Mediterraneis. Nam cum iamdiu cum exteris tum Turcis, tum Italis commercia exercuerint, dictiones ab iis mutuati sunt, quas cum uulgari sua lingua cōmiscuerunt: Similiter Græciæ prouinciæ Turcæ subiectæ ueteribus Græcis nominibus immutatis, noua Turcica receperunt. Idem etiam Turcæ fecerunt à Greęcis multa uocabula mutuantes,ut res, quas in Græcia inuenerunt exprimerent, quarum neque appellationes, neque notitiam habebant. Et licet Græci non perinde constanter rerum eandem appellationem in una regione seruent, quemadmodum in alia, plurimum tamen ad ueterum dictiones accedunt, præsertim in rebus, quæ propria habent nomina. Præterea nobiles, & opulentiores uestibus utuntur consuetudini ipsius Principis respondentibus. Qui Venetis subsunt Venetorum uestiuntur more: qui sub Turca sunt Turcicis similes uestes gestant. At uulgus utriusque partis, siue insulas, siue continentem incolens, antiquitatis nihil retinet: nam promissam plerunque gestat comam,anterioreḿq; capitis fronti imminentis partem tondere solet, duplicatoque, & crasso pileo utitur. Insulani easdem ferè in Religione obseruant ceremonias, præsertim Cyprii, Rhodii,Lemnii, Chii, Imbrosii, Thasii,Parthmii,Coi, Lesbij, Corcyrenses,Zacinthii,Naxii,Cretenses, & alii qui Christianam fidem retinent, tametsi sub Turcæ dominio degant,quemadmodum, & reliqui continentis Europæ, & Asiæ incolæ. Omnes generaliter pauca supellectile, vti Turcæ, contenti sunt, nec supra plumeos lectos cubant, sed culcitras, siue centones lana, aut panni tonsura suffultos substernere solent. Odiosum omnes censent vinum aqua diluere, & etiam nunc poculis sese inuitant. Præsertim crescentes obseruatis quibusdam ceremonijs, sed mulieres eo-

Maior Græciæ pars Turcæ paret.

Græcorum recentiorū mores.

Græcorum vestitus.

rum

eorum sympoſijs non interſunt, neque accubunt cum ſimul conuiuantur, uetus etiam mortuos deplorandi conſuetudo apud Ethnicos etiamnum hodie perdurat in Græcia, & aliis prouinciis Græcos ritus obſeruantibus. Delectantur autem Græci piſcibus magis, quàm carnibus. Hæc Bellonius.

Græci Rom. Pontifici nõ parent, ſed ſuis Patriarchis.

Cæterum Græci olim à Romana Eccleſia receſſerunt, atque ſibi Patriarchas conſtituerunt, quos pro capitibus agnoſcunt, quorum ſedes uarijs locis deſignatæ ſunt, & his obediunt non tam ipſi Græci, ſed omnes illæ prouinciæ, quæ Græcorum religionem ſectantur, ut ſunt Circaſſia, Vualachia, Bulgaria, Moſcouia, Ruſſia, potior Poloniæ pars, Mingrelia, Boſnia, Albania, & Illyricum, ſeu Sclauonia cum aliqua Tartarię parte. Deinde etiam Seruica, & Croatia, & in uniuerſum omnes prouincię circa Pontum Euxinum ſitæ, cum circa ipſius littora, tùm continentẽ: nam hæ omnes Græcorum religionem ſequutæ ſunt. Licet inter illas aliquæ ſint, quæ Græco ſermone non utuntur. Quatuor autem ſunt Patriarchæ Græcanicarum Eccleſiarum nempè Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Antiochenus. Patriarcha CONSTANTINOPOLITANVS Græcanicæ totius Eccleſiæ caput eſt, & ſedem habet Conſtantinopoli, & moderatur præcipuè Caloieris (ita etiam appellantur Græcorum preſbyteri) qui ſunt in monte Athos, ac præterea omnibus Chriſtianis Græcum ritum obſeruantibus per uniuerſam Europam diſperſis, hic autem pro monaſteriis montis Athos, & pro aliis per Europam ſparſis duodecim mille Ducatos aut eos Turcarum Imperatori pendit. Patriarcha ALEXANDRINVS abſolutã habet poteſtatem in eos, qui Græcos ritus obſeruantes in Aegypto, & Arabia uiuunt, magnificasque in Memphi, ſiue Cairo habet ædes, ædibus Patriarchæ Conſtantinopolitani non multum inferiores. Hieroſolymarũ Patriarcha in urbe Hieroſolymas Syrię reſidet, qui abſolutè ſingulis monaſteriis imperat, & hominibus Græcæ religionis totius Syriæ, iſque cogitur ſingulis annis adeſſe die 15. Auguſti in monaſterio ſupra montem Libanum, ut iſthic Liturgiam celebret. Eſt alius Patriarcha Antiochiæ, qui monaſteriis, & aliis Græcis Chriſtianis præeſt, qui Berytum, uulgò *Baruti*, Tripolim, Haleb, aliaque plurima Aſiæ loca inhabitant. & hos quidem Patriarchas Turca ſua religione uti permittit modo tributum ei perſoluant, & cum aliquis eorum è uiuis diſcedit, Epiſcopi, & Metropolitani Græci, qui noſtrorum Cardinalium inſtar ſunt, conueniunt ut alium eligant, quẽ tamen primum Metropolitanum fuiſſe oportet.

Patriarchæ Græcorum quatuor.

Conſtantinopolitan' Patriarcha quibus moderetur.

Alexãdrini Patriarchæ ditio.

Damaſceni Patriarchæ ditio.

Antiocheni Patriarchæ ditio.

Nunc autẽ particulares huius tabulæ prouincias deſcribamus incohantes à Thracia, quæ Septentrionalior eſt, ac ipſi Græciæ connincta.

THRA-

THRACIA, NVNC ROMANIA.

Thracie hodie Romania.

THRACIA Regio eſt ad Pontum Euxinum, hodie *Romania* vocata ab vrbe præcipua CONSTANTINOPOli, quæ *Roma noua* etiam diceabtur. Quam quidem Regionem ſic appellatam volunt, vel à Thrace Martis filio: vel à Thraca Nympha incantatrice: vel potius à feritate, ſeu temeritate (vt Græcum nomen ſonat) cum ferociſſimos homines nutriat, ac crudeles. Eadem etiam olim fuit Aria, Perca, Odryſa, Aemonia, Biſtonia, Creſtonia, & Scythonia, varijs auctorib. vocata fuit, & *Thyras*, Hębraicè Ioſepho teſtè dicebatur. Incolæ vero huius partis vocabantur olim Bithyni, Strymonij, Bardi, Dolongi, Briges, & Sithines.

Thracia cui dicta.

Thraciæ naria nomina.

Incolę Thraciæ.

Habet Autem ab Oriente Pontum Euxinum, nunc vulgò *Mar maggiore*. & Turcis *Maurotalaſſa*: Boſphorum Thracium, nunc *Stretto di Conſtantinopoli*; Propontidem nunc *Mar de marmora*: & Helleſpontum nunc *Stretto di Gallipoli*: A Septentrione terminatur Hęmo monte, qui Italis *Catena mundi, mons Argentatus*, & *Contegnazzo* dicitur Turcis *Balkan*, & Sclauonicis *Cumoniza*: ab Occaſu ſuperiore Myſia, ac Macedoniæ parte: à Meridie uerò mari Aegæo, quod vulgò hodie *Arcipelago* uocatur. Incipit autem à Styrmone fluuio (nunc *Stromona* vt Sophiano placet, & *Marmara* Bellonio, alijs verò *Rhendiue*, & *Rendino*) qui terminus eſt Macedoniæ ab hac parte, & ad mare Nigrum, ſeu Euxinum protenditur itinere viginti dierum, latitudo eius eſt à monte hęmo vſque ad fretum Conſtantinopolitanum itinere ſeptem dierum. Occupat vero Thracia ſitum cœleſtem inter gradum 42. eleuationis ponti, & gradum 44. ubi prolixior dies eſt hor. 15. cum triennite longitudinem habet à grad. 47. uſque ad gr. 56. Ammianus, & Sextus Rufus eius ſex prouincias ponũt, nempè Męſiam ſecundam, ſeu inferiorem, Scythiam, Europam propriam, Rhodopem, Hęmimontum, & Thraciam propriam.

Thraciæ mẽſura.

Situs cęleſtis.

Prouinciæ Thraciæ.

Regio frigida eſt, & quæ multitudine hominum abundat, maiori parte plana, frugum frumento, & leguminibus copioſa præcipue verſus mare, ubi optimum colligitur uinum, quod etiam Plinij teſtimonio patet, qui eam frugum rigore fertilem uocat, cuius triticum laudat à pondere, tertiumque ei locum præbet, & eius etiam uinum Maroneum ab ipſo laudatur. At uerſus Mediterranea frigori magis ſubiecta eſt, unde Cereri, & Bacco minus eſt idonea: in uniuerſum autem arboribus caret, & magnas ipſius planities nonnullis in locis colliculi interſecant. Conflatur iſthic alumen in Cypſela ueteri urbe, quæ nunc pagus eſt, & uulgò *Chapſylar* uocatur. Montes huius tractus celebres ſunt HÆMVS, qui terminus eſt regionis à Septentrione, ut diximus: RHODOPE ſublimis poſt Hæmum, aſperrimusque & niue continuò candicans, in quo Orpheus (ut aiunt) canere ſolitus erat: ORBELVS: PANGÆVS, qui ſicut olim argenti fodinas habet, & MESSAPVS, non procul à mari rupiũ aſperitate admirãdus.

Thraciæ qualitas.

Mõtes Thraciæ celebres.

Fluuij

Fluuij famosi sunt Hebrus, Nessus, Melas, & Styrmon, qui terminus est Macedoniæ. HEBRVS nunc *Mariza* dicitur, qui aurum in arenis defert, & Traianopolim vrbem alluit, atque ante Samothracem sese exonerat. Est autem adeò lentus, vt in vtram partem fluat iudicari non possit, turbidam habet aquam, sed dulcem, quæ media etiam æstate adeò frigida est vt glaciata videatur. Tantum vero aquæ hieme è montibus delabuntur, vt rapidior fiat, & amplum quodam inundet pratum olim *Doriscus* nuncupatum, in quo nulli pagi ædificantur, sed æstate equorum armenta aluntur, atque in eodem horti coluntur pro æstiuis fructibus. In hunc fluuium confluit *Thearus*, qui omnium illius regionis optimus est ad morbos, & scabiem curandam hominum, & equorum, habet autem 38. fontes ex eadem petra manantes partim frigidos, partim calidos, cuius aqua dulcissima, & limpidissima oblectatus olim Darius columnam propè ipsum erexit in eius laudem literis Græcis inscriptam. NESSVS fluuius ex hęmo monte delabẽs lentus admodum est, & Styrmone paulò minor, multam tamen arenam secum trahit, & in mare influit paulò supra Thassum insulam. Græcis nunc *Mestro* dicitur, & Turcis *Charason*, idest fluuius niger, vulgò vero *fiume de mar*. Isthic est lacus *Bouron*, siue *Bistonis*, qui maritimus est, ac magnum ei regioni censum adfert, nam in eo fiunt quæstuosæ piscationes.

Hebrus flu.

Thearus flu.

Nessus flu.

Bistonis lacus.

Incolæ huius tractus colore sunt fuluo ex cæruleo, & in vertice criniti, impauidi, ferocissimi, validissimi, ac sæuissimi, strenui sunt potatores, & uinosi, atque allio imprimis delectantur. Vrbes claræ sunt quæ sequuntur. ABDERA, quæ, & Clazomene patria Democriti, nunc *Polystylo* Sophiano, & *Astrizza* alijs dicitur. NICOPOLIS ad Nessum fluuium. NICOPOLIS ad Hęmum montem, quæ hodie sic Sophiano vocatur. PHILIPPI ciuitas hodie etiam sic uocata, quæ in prærupto colle condita fuit, circa quem fontes plurimi uberibus aquis scaturiunt, cuius rudera, ait Bellonius, & ruinæ non minus sunt admirandæ quàm ullius alterius urbis. Pulcherrimum isthic est amphitheatrum, quod in hunc usque diem integrum conseruatum est, possetq; in multos adhuc annos perdurare, nisi Turcæ gradus, qui marmorei sunt, auferrent, sphærica figura exructum est. Sunt etiam hic alia antiquissima uetustatis monumenta, nẽpè quatuor ingentes & crassæ columnæ, quæ templi D. Claudio dicati sunt reliquiæ, & aliæ adhuc plurimæ marmoreæ statuæ, & columnæ Dorici, & Ionici operis insignis structuræ, & summi artificij. PHILOPPOPOLIS ad Hebrum fluuium, quæ Ptol. etiam Trimontium dicitur, Plinio auctore Poneropolis antea uocata fuit, nũc est frequens atque satis tollitur, in hanc centum hominum millia à Scythis iugulatos olim fuisse, auctor est Amianus. HADRIANOPOLIS, quæ hodie etiam sic uocatur, sed à Turcis *Endrem*, permagna est ciuitas, quæ amplitudine Philippopolim excedit, mœnibus tamen non percingitur, nilibus est ædificijs, secundum tamen locum post Constantinopolim in uniuersa Thracia tenet, olimque fuit Turcarum Regia, utpote sub Amurate primum, anno 1363. Ager huius urbis magnam

Incolarum forma, & mores.

Abdera.

Nicopolis.

Philippi ciuitas.

Philippopolis.

Hadrianopolis.

profert

profert fructuum copiam: qui exsiccati in alias distrahuntur partes.

TRAIANOPOLIS, quæ etiam num sic uocatur, ac satis colitur. SELYMBRIA, ita hodie etiam uocata in propontidis littore, ubi portus est nauicularum capax, & sinus pro maioribus nauigiis. PERINTHVS nunc *Heraclea*, sicut & olim dicitur, & ad Maliacum sinum iacet, quæ elegantem habet portum, & capacem pro onerariis nauibus, & triremibus: Amphitheatrum olim habebat, ex solido marmore tanti splendoris, & ornatus, ut inter mundi miracula miraretur. PHINOPOLIS in Euxini Ponti ripa, nunc etiam sic dicta. APOLLONIA à Pompeo Magno cognominata, in littore Ponti, nunc *Sisopoli*. BYZANTIVM omni æuo clarissima urbs, quæ postea CONSTANTINOPOLIS à Constantino Magno, & noua Roma fuit nuncupata, à quo mirabili murorum artificio, propugnaculorum, & sumptuosissimorum ædificiorum structura ampliata, & absoluta fuit cum prius à Seuero Imperatore dirupta fuisset. Hæc caput Thraciæ fuit, & veluti fatali quodam genio ad regnorũ caput nata, namq; primo Romanorum fuit Imperatorum sedes, & mox Græcorum post Imperii diuisionem, postremo autem post captam ipsam urbem à Mahumete secundo Turcarũ Imperatore anno salutis 1453. magna suorum & Christianorum clade, atque ipsius urbis præstantissimorum ædificiorum ruina. Turcarum Imperatores eam sibi regiam constituerunt. Vnde nunc opulentissima, frequentissima, & populo numerosissima reddita est, acueluti centrum est omnium nauigationum, & commerciorum Turcici Imperii. Amplitudo urbis 13. milliaria amplectitur, alii dicunt 18. alii 16. & gentes utriuque sexus 700. millia ferè numerat: ex quibus dimidia plusquam pars Turcæ sunt, reliqua Christiani, & Iudæi, qui Turci urbẽ ipsam *Stambul* uocant. Eius suburbia plusquam 50. milliaribus extenduntur, usque scilicet ad Euxinum Pontum, & ad Selymbriam in propontidis littore sitam. Hancuerò urbem sic Bellonus his postremis temporibus describit. CONSTANTINOPOLITANA urbs eo loco sic est, ut illa commodior ad Monarchæ alicuius magnificentiam in uniuerso orbe inueniri non possit: nam eam habet maris commoditatem, ut maior ab ullo mortalium requiri nequeat. Nihil hic antiquius conspicitur, quam id quod Romani Imperatores, & deinde Græci isthic erigi curarunt. Atque hoc addimus, unum Constantinum pluribus antiquitatis ornamentis Romam spoliasse, ut Constantinopolim ornaret, quàm uiginti alii Imperatores centum annorum spatio extruxerint. Quidquid etiam isthic elegantis, atque uetusti operis conspicitur, olim è Roma transuectum fuit. Inter alia columna est ex porphyritico lapide, non procul à D. Sophię Tẽplo. Est præter hæc Hippodromus opus magnificum, & sumptuosum, in quo duo sunt obelisci, quorum alter marmoreis lapidibus ferro, & plumbo colligatis constans, olim æreis laminis inauratis rectus fuit: alter, nec is integer, ex Ægypto est aduectus. In eo etiam est æneus serpens opere fusili ingentis magnitudinis, columnæ instar erectus. Constantinopolis septem montes murorum ambitu non minus claudit, quam Roma. Triplici muro cincta est: sed eo-

Traianopolis.

Selymbria.

Perinthus.

Phinopolis.

Apollonia.

Bizantium, seu Constantinopolis.

Bizantij ambitus.

Descriptio Constantinopolis recens.

Hippodromus.

Constantinopolis septem mõtes amplectitur

dem

D. Sophiæ templum.

dem tempore eos non fuisse extructos apparet: nam pleraq; marmoreatum columnarum fragmenta interiecta conspiciuntur, quæ indicant id festinanter factum fuisse. Diuæ Sophiæ Templum pulcherrima est omnium structura, quæ adhuc permaneat, longeq; superat Rom. Pantheonis structuram: nam tota templi interior pars in fornices extructa est, easque superiore parte patentes, & lucem admittentes quæ columnis è selectissimo marmore uariorum colorum confectis sustinet, suntque in eo templo tot portæ, quot in anno dies. Quoniam uerò in Turcarum Phanum, siue *Mesquitam* cessit, Christianis id ingredi non licet: ijs tamen, & Iudæis toto corpore in templum prolato, ex ipsis portis interiora spectare permissum est. Templum hoc foris cocto latere extructum est, & interius marmore incrustatum, & amplum est, ac latè patens, & tenui materia undique extructum. Turcæ ad eius exemplum suas *Mesquitas* ædificarunt; Nam circiter sex admodum splendidæ, & magnificæ, quæ intra uicesimum annum extructæ sunt, omnes ad D. Sophiæ Templi instar sunt factæ. Vetusti cuiusdam palatii rudera conspiciuntur, quod uulgus Constantini palatium appellat. Turcarum Imperator in eo suos Elephantos, atque alia millia animalia adit. Vicinus Hippodromo locus est, qui uetustum Templum fuit, in quo Imperatoris Turcici fera animalia adseruantur: ad huius singulas columnas leones alligati sunt, deinde lupi, onagri, erinacei, histrices, ursi, lupi ceruarii, & lynces, & alia etiam animalia, quæ animalia adeò leniter curant, ut ea maximè domestica reddant. Quoniam autem PERA, & CONSTANTINOPOLIS unica ferè urbs sunt, soloque portu, uel canali diuisa, spè idcirco traiiciendum est, eam ob causam frequentissimi inueniuntur nauicularii, qui homines hinc inde transuehant, iique magna ex parte misera sunt mancipia. Hæc ex Bellonio. Cæterum urbs PERA nihil aliud significat quam trans, aut ultra. Sita est in collis acclini, & alii eam Galatam uocant, & antiquum cornu Byzantinum uolunt esse. Duo autem sunt fluuii in unum concurrentes, qui urbem Constantinopolim alluunt, nempè Cydarus uulgò nunc *Machleuam*, & Barbyses nunc *Chartaricon* uocatus, sed propè eius fontes *Pectinacorion*.

Constantini Palatium.

Pera.

Peræ situs.

CHERSONNESVS THRACIÆ, vulgò D. Georgij Brachium.

Callipolis.

ADiacet huic Regioni CHERSONNESVS, quæ dicitur THRACIÆ, & uulgò *Brachium S. Georgij*, in qua est CALLIOPOLIS urbs, & Sestus oppidum Leandri amore pernobile. CALLIPOLIS uulgò nunc *Galliopoli*, & *Pactyca* olim Nigro testè dicta, distat à Byzãtio quatuor dierum itinere, & prima fuit Europæ urbium à Turca capta sub Amurathe primo, anno salutis 1363. nullis uero mœnibus cincta est, nec ullum pro magnis nauibus portum habet, est tamen

tamen in ea sinus satis capax, quinimo tota Propontis, & Hellespontus sinus quodammodo uice fungitur, nam ubique fundus inuenitur. Vrbem hanc incolunt Græci, Iudæi, & Turcæ, ibique frequens est traiectus ex Europa in Asiam. In hac autem consul Callipolitanus residet, absque cuius licentia nullæ naues cuiuscunque regionis sint, possunt Hellespontum egredi, unde integro triduo anchoris fixis hærere debent, donec Turcæ uniuersam perlustrauerint nauim, ut certiores fiant, an aliquod mãcipium ibi receptum sit fugę causa. Vniuersum verò fretum maris à Callipoli, ubi finit Propontis, ad Ægeum mare usq;, HELLESPONTVM dicitur, in quo est castellorum fretum, quod milliaris quadrantem in latitudinem habet, in quo quidem nunc duę sunt arces, sicut olim, quę dicuntur SESTVS, & ABYDVS, & vulgò *Dardanelli* nuncupantur, Turcis autem *Bogazasser*, SESTVS est in hac Thracię Chersonneso, in collis cuiusdam accliui, trifolij propemodum forma. Abydus in minore Asia est, ut ibi diximus, quæ duæ arces claues sunt ab hac parte Turcici Imperij.

Hellespontem.

Sestus arx.

Cæterum PROPONTIS dicitur illud mare, quod binis fretis claditur; nempè Thracio, quod Bosphorum dicitur, & Gallipolitano, ea namq; ab ordine sic dicitur, quod ante Pontum sita sit, nunc autem uulgò *Mar de marmora* uocatur. Propontis montibus undique corrigitur, nec admodum lata est, nam è medio ipsius continens circumquaque conspicitur: duos uero intra se sinus habet, unum Montaniæ olim *Nicopolitanum* dictum, alterum Nicomediæ ueteribus *Astacenum* nuncupatum. Propontis omnis generis piscibus abundat magis, quàm alia maria, quæ non minorem censum reddit, quam continentis aliqua regio pascuis, & armentis abundans. Referunt, huius aquam sicut etiam totius Euxini maris, nec incrementum sumere, nec decrescere secundum Lunæ motum. Sunt autem in ipsa Propontide insulæ quædam, nempè PROCONESVS nunc *Marmora*, uulgò dicta ob marmora, quibus abundat, & BESBICVS, quæ nunc est *Calomino*, quæ Hellesponto viciniores sunt: deinde sunt aliæ in sinu Nicomediæ, quæ hodie dicuntur PROTO, quæ 7. mill. distat à Constantinopoli. *Bergus*, *Delcoruo*, & aliæ exiguæ. BOSPHORVS autẽ THRACICVS à bouis meatu dicitur, cuius longitudo est 160. stadiorum, seu uiginti mill. ut Petrus Gyllius mensus fuit: sed latitudo eius uaria est, quæ tamen nunquam excedit 12. stadia, nisi ubi in sinus sese flectit, aut fit minor quatuor stadijs, utpotè dimidio milliari, quod contingit in angustijs quibusdam. A Byzantio autem ad Chalcedonem sunt 18. stadia, ut Gyllius putat. Bosphorus is Straboni os Byzanticum dicitur. Herodoto *Bosphorus Chalcedoniæ*, Euripidi *Clauis* dicitur *Ponti*. Turcis autem *Bogazin*. Est autem portuosus semper ac nauigabilis, quippe qui 30. circiter habet commodos satis portus partim in Europa, partim in Asia. Clauis est Ponti, qui duo orbes, & duo maria aperit, & claudit. Piscium uerò copia superat Massiliam, Tarentum, & Venetias, qui pisces ueluti per portam duplicis maris transire solent Autumno & Vere. Vnde Autumno *Aureus* cognominatur, & Verè Argenteus.

Propontis. Sinus Nicopolitanus, sinus Astacenus.

Inſ. Propontidis.

Bosphorus Thracius.

Bosphori uaria nomina.

Clauis Põti.

MACEDONIA.

Macedonia vnde dicatur.

MACEDONIA amplissima Regio à Macedone Rege Osiris filio, alii dicunt Iouis, & Thyæ filio nomen sortita est; uel, ut Solino placet, à Deucalionis nepote. Antea uerò ÆMATHIA dicebatur, testè Plinio, & POEONIA primo dein de ÆMONIA Liuio. Hodie uerò Gerbelius, & Niger putant eam *Albaniam* uocari: sed tamen mihi ex recentibus tabulis uidetur, illam tantum Macedoniæ partem ad Ionium mare in Albaniæ nomen cessisse, in qua etiam Ptolemæus ponit Albanos populos. Orientalis uerò pars inter Stirmonicum sinum nunc *Golfo de conteſa*, & Thermaicum sinum nūc *Golfo de Salonichi* appellatur nunc *Jamboli*: Media autem pars Macedoniæ nomen adhuc retinet. Iacet ipsa Regio inter duo ingentia maria Ægæum, s. ab Ortu quod nunc *Arcipelago* dicitur, ubi in duo cornua diducitur, & Ionium ab Occasu inter amnes Drilon nunc *Drino*, nel Iodrino, & Cœlidnum, quem falsò quidam uocant *Salnich*, & habet à Borea Dalmatiam, & superiorem Mysiam, & Thraciæ partem Drilone fluuio, & Styrmone separatas: à Meridie uero Epirum & Achaiam attingit.

Varia eius nomina.

Macedoniæ situs.

Macedoniæ qualitas.

Est autem hæc terra circumquaque fertilis, montibus maximis circunuallata; cuius ora iuxta Ionium mare plana, ac nemorosa est: nam tota ea pars *Albania* nunc uocata, quæ satis ampla est fertilis, & amœna est. Præterea auri, & argenti metallis benigna est satis, ac in ea olim incognitum quoddam auri genus, testè Arist. inuentum est: asphaltum quoque isthic non longè ab Apollonia, & Aulone urbibus ex uenulis terræ eruitur. Præterea fuit Plinio teste 152. populorum inclyta, libera, suo more, suisq; legibus uiuens, & rebus gestis, Regumque nobilitate præclarissima, præsertim Philippi patris, & mox Alexandri filii cognomento Magni, qui toto ferè orbi dominatus est. Ipsi autem Macedones olim inter Græcos non numerabantur; postea uerò ita claruerunt, ut non solum uniuersæ Græciæ facti sint domini, sed totius propemodum magnæ Asiæ. Hodie autem Turcicæ ditionis facta uniuersa hæc regio, quarum urbes penè omnes interierunt, præter Albaniæ particulam. Hi autem Albanenses feri sunt, ac Scythis persimiles, bellicosi pedestri præsertim certamine, & prædæ maximè auidi. proprium habent idioma ab Illirico & Græco differens.

Macedonū laudes.

Albanenses

Macedoniæ regiones.

Macedoniæ regiones numerantur à Gerbelio sex, qua Græciam attingit, quæ sūt Aemathia, Pieria, Pelasgia, Estiotis, Thessalia, & Phtiotis, ĩter quas Thessalia, quæ nunc *Comenolitari* Castaldo dicitur, præstantior est, ea si quidem immensa est planities, ac flexuosa, quæ undiq; præaltis montibus concluditur, ac fertilissima est, amœnissima, & equos laudatos nutrit excepta quam fluuius Pœneus per mediam lambens abluit, ac inundat. Celebriores huius tractus montis sunt Olympus, Pelion, Ossa, Pindus, Nimphæus, & Athos, præter alios multos, quibus regio refertissima est.

Olympus mons.

OLYMPVS mons (qui hodie sic uocatur Sophiano teste, licet *Lacha*, Castaldus dici putet) magnus est, altitudineq; admirandus, nam supra

supra decem stadia attollitur, unde eius cacumen accolæ cœlum uocant, ubi nec auræ, nec uenti spirant. Est autem buxi, & lauri arboribus mirè consitus, ac lupo caret. PELION mons propè magnesiam iacet. *Petrasq;* hodie vt quibusdam placet, vocatur, hic autem altissimus est, & à Dicearcho ratione perpendiculi regum mandato, ut Plinius refert, dimensus est, obtinere altitudinem 1250. passuum, Herodotus tradit hunc montem aliquando Ossæ monti fuisse coniunctum, sed ob terræ motum alterum ab altero discessisse. OSSA mons qui *Colloue* dicitur Sophiano, & *Olira* Pinneto secundæ magnitudinis est inter Macedoniæ mōtes, & niuosus, ac syluis ingentibus, pini præcipuè arboris adeò uestitus est, vt eius rami, dum ventis agitantur, tonitruum referant, hic autem mons gigantum fabula memoratus est. PINDVS, nunc *Mezzouo* Sophiano est, ex cuius radicib. Peneus amnis prosilit, insignis est origine Laphitarum, & partu Acheloi, altus admodum est, niuibusque obnoxius. NYMPHÆVS etiam mons Plinio teste topiario naturæ opere spectabilis est, sed omnium memorabilis maximè est ATHOS, qui nunc *Monte ſanto* dicitur, & incolis *Agios oros*, ingens, famosus aditu perdifficilis, ac tantæ altitudinis, vt eius cacumina uenti non ascendant, quod Aristoteles etiam memunit, vbi nec imbres cadunt eius autem umbra in insula vsque Lemno proijcitur: speciem habet Chersonnesi 1500. passuum isthmo solo plano annexo, estque 75. milliarium ambitu, & trium dierum itinere, eius longitudo patet, & dimidij diei latitudo, ac supini hominis formam refert, cuius summum iugum in extrema Chersonneso perpetua niue tectum à nauigantibus plusquam 30. milliarium interuallo conspicitur: huius montis incolæ ueteribus Macrobij vocabuntur, à uitæ scilicet diuturnitate. Est autem præ reliquis herbarum copia mirè refertus, & elegantium habet sturpium frequentiam, fructiferis etiam arboribus uitibus, & oleis est consitus, & habet arborum perpetuò virentium iucundū aspectum, ut sunt lauri, oleastri, ilices, myrti, & aliæ. Hic mons olim Caloieris Græcis Diui Basilij (vt ait Bellonius) dedicatus fuit, & priuilegium datum, quod etiam num hodie retinent, nempè neminem, neque Græcum, neque Turcam in eis habitare posse, nisi Caloierus sit Græcus, quorum ferè sex millia hinc inde in diuersis locis huius montis habitant, in quo propemodum 24. ampla vetustaque monasteria validis, altisque muris munita sunt ob hostium offensiones, ac pyratarum incursiones, licèt parum his latrones, & Pyratę ipsi sint infesti: quę monasteria hinc inde sparsa sunt cum in maris littore, tum in continente, inter quæ duo primaria sunt, unum *Vntopedi* uocatum, alterum *Agias laura*, in his autem monasterijs, sacræ sunt reliquiæ, ad quas frequens fit concursus, & templa egregiè sunt ornata, atque extructa. Est autem hic mons in ea sanctimoniæ æstimatione apud Græcos, qua Roma apud nos, & Græcæ ceremoniæ isthic diligenter obseruantur, atq; isti Caloieri sanctimoniæ maius nomen acquisiuerunt reliquis quibuscunque Græcis Caloieris: quinetiam ipsimet Turcæ magnas illis eleemosynas conferunt ob dictam causam. Nullus eorum uitam traducit ociosam, & nemo

Pelion mōs.

Ossa mons.

Pindus mōs

Nymphæus mons.

Athos mōs.

Mōs Athos à Græcis habitatur.

Mōs Athos summè veneratur.

Vita Caloierorū montis Athos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est inter eos, qui aliquam artem mechanicã non exerceat: nã singuli summo diluculo è suis monasterijs egressi sua instrumenta gestant, quibus pro sui monasterii œconomia sustinenda laborant: alii vineas fodientes, alii arbores cędentes, alii naues fabricantes, alii alias artes exercentes: vili autem vestitu amiciuntur heremitarum more, neque canabeas, neq; lineas gestant inserulas, sed laneas, quas ipsimet nere solent, & consuere, literarum studiis nullam nauant operam, sed permulti inter eos sunt qui nec legere, nec scribere norunt. Quibus autem per eum montem iter facere contingit, cuiuscunque negotii causa victus per monasteria Caloierorum gratis subministratur. Hæc ex Bellonio breuiter collegimus.

Sinus Macedoniæ in Ægęo pelago.

Habet Macedonia quatuor præcipuos sinus ad Aegeum pelagus, nempe Strymonicum, nunc *Golfo de Conteſſa*: Singiticum, nunc *Golfo de monte ſanto*: Toroniacum, nunc *Golfo aio mama*: & Thermaicum, modo *Golfo de Teſſalonichi*; præter Pelasgicum sinum, qui nunc est *Golfo de Armiro*.

Axius flu.

Celebria Macedonię flumina sunt post Strymonem in finibus Thracię. AXIVS, quem nunc alii *Bardare*, alii *Vardari* vocant, omnium quę pulcherrimus est, ac dulcissimam habet aquam, qui è Scandio monte profusus longissimo cursu in Thermaicum sinu deuolaitur, ex quo, ut dicunt antiqui, si pecora biberint nigritatē induentur. EXIGONIVS, qui nūc *Viſtriza* est Sophiano, & *Deuoda* Mercatori, hic autem ab Illiricis montibus exortus per Pœoniam fluens, & Heracleam, ac Aedessam vrbes alluens in Axium confluit. ALIACMON fluuius nunc *Pelecas* Sophiano, & *Platamona* Mercatori, qui à Canaluijs Pęoniæ mōtibus Oriens Macedoniā à Thessalia diuidit, cuius ripæ difficiles sunt, ad quem si quis pecora candida uoluerit, potui ducat. PENEVS, qui Sophiano *Salempria*, & *lycoſtome*, & Theuero *Pezin* vocatur, & *Azababa* Mercatori, & aliis est. hic calculo, & gramine ad eius ripas amœnus quatuor auctus amnibus in Thermaicum sinum aquas emittit. Est in Thessalia famosissimus ille iucunditate, & amęnitate locus à Scriptoribus adeò celebratus, qui TEMPE dicitur, i. terra uoluptaria quinque millibus passibus longitudine, & ferme sex mill. passibus latitudine, quæ quidem ampla, & amœna planities inter duos altissimos montes Ossam, & Olympum iacet, quam mediam interluit Peneus lucidissimus fluuius. Est PATALENE Cherſonnesus, in cuius extremo est canestreum Promontorium nunc *Capo caniſtro*, quæ muro aliquando à reliqua Macedonia excludebatur, tam fertilis, ut septem urbium olim sedes, atque ager fuerit: nunc uerò syluis obsita squallet, præter cæteras eius urbes ibi fuit Cassandrea, sic etiam nunc vocata.

Exigenuis.

Aliacmon flu.

Peneus flu.

Tempe.

Pantalene Cherſonnesus.

Vrbes Macedoniæ. Theſſalonica.

Vrbes Macedoniæ famosæ fuerunt olim Thessalonice, Pella, Stagira, Apollonia, Dyrrachium, & Aulon, quæ etiam hodie habitantur. THESSALONICA supra cæteras Macedoniæ Augusti tępore eximiè floruit, fuitq; Macedoniæ Metropolis, quæ præ cæteris urbibus fortium, bonorumq; ciuium frequentia abundauit, egregiè autem munita fuit, & situ optimo ędificata, in intimo ferè Thermaici unius recessu inter duo illustria flumina Chabrim, s. & Echedorum. Dicta aūt fuit prius Thermæ, à qua sinui nomen

men impositū est, qui nunc dicitur *Golfo de Teſſalonichi*, & ipsa vrbs *Salonici* vocatur. Estq; hodie ingens, celebris, & opulenta, adeò ac mercimoniis frequens, ut Neapoli Italię comparari possit, mercatorib. autem indicis, ut plurimum abundat. Hæc uerò ultimis temporibus sub Venetorum Dominorum ditione fuit, quā postea Amurathes Mahometis filius ipsis bello eripuit. Residet autē nunc isthic Sangiacus Macedoniæ, qui ad iussum Belerbeij Græciæ quoties Turca expeditionem aliquā parat 400. equites ad bellum mittit, & centū perpetuò penès se seruat in defensionem limitis suis, & has oēs proprijs expēsis alit, & recipit pro se prouentum 8. mill. aureor. Non longè ab hac vrbe est nūc SIDEROCAPSÆ pagus, ut refert Bellon. oppidi formam referens, qui locus *Chryſiles* veterib. appellatur, ubi sunt fodinæ, ex quibus magna auri, & argenti copia effoditur, in quibus quidē fodinis plusquā sex hominum millia, ut plurimum laborant. Vnde hic pagus tā magni prouentus est Turcarū Imperatori, quāti maxima vrbs, quæ sit in uniuerso eius Imperio, singulis enim mensib. deductis operarum stipendijs pro sua portione decies octies mille ducatos, nonnunquam 30. millia, interdum plùs minùsve accipit. PELLA vrbs nunc Sophiano *Ieniza*, & Nigro *Zuchria*, duobus alumnis Philippo Græciæ, atque Alexandro Magno eius filio Asiæ etiam domitore illustris quondam maximè fuit. STAGIRA Aristotelis patria circa montem Athon in littore Stirmonici sinus sita est, vbi nunc multa uetustatis rudera visuntur. Hæc autem *Stelar*, nunc Nigro dicitur, Sophiano autem *Libanoua*, & *Macra* Nicetæ. APOLLONIA vrbs clarissima ad Echedorum fluuium, Augusti Cæsaris studio memorabilis est, qui ibi Græcas didicit literas: Nunc uocatur Nigro *Ceres*, & alijs *Piergum* oppidum. DYRRHACHIVM, etiam Epidamnum dictum, nunc *Durazzo* vulgò, oppidum validissimum in littore maris Ionii conspicitur in Albania, estque raræ habitationis ob insalubritatem aeris propter adiacentes paludes, quod Baiazetes Turcarum Imperator anno 1499. Venetis iure belli abstulit. Distat à Brundusio vrbe Apuliæ centum milliaribus propemodum. AVLON ciuitas naualis ad mare etiam Ionium est, in Albania, uocaturque nunc *Velona*, & arcem habet in colle situm, sed reliquum est sine mœnibus. Incolarum maior pars Hebræi sunt, & ager vrbis vinum generosum profert, & sal minerale copiosè habet. Distat hæc vrbs à continenti Italiæ itinere 60 milliarium scilicet ab vrbe Hydrunto. CAVALLAM etiam ponit urbem Bellonius in Macedonia, quam falsò putat olim *Bucephalam* fuisse dictam, airtq; esse nunc populosam redditam, cum prius deserta esset, ob summam aquę fontanæ commoditatem, cuius aquęductum Abrahim Bassa restituit, qui etiam ipsam urbē nouis mœnibus cinxit, & *Charbacara* ædificium condidit ad uiatores quoscunq; excipiēdos, & educandos. Isthic etiam est CROIA urbs munitissima in Albaniæ Mediterraneis, non longè à Lisano fluuio, quam Sophianus putat fuisse antiquorum Antigoniam, sed meo iudicio longè decipitur, cum Antigonia sit ad Celidaum fluu. in Epiri regione. Vnde est potius Epicaria. Ptol. ex situ. Vrbs hæc grauissimis obsidionibus pressa à Turcis capta fuit.

Sideracapsa.

Pella urbs.

Stagira.

Apollonia.

Dyrrachiū.

Croia.

EPIRVS, NVNC ALBANIÆ PARS.

Epirus Albaniæ pars.

EPIRVS nil aliud ad nos sonat, quàm solidam terram, & hodie ut dicunt Leander, & Eritreus est *Albaniæ* pars, nam reliquum Albaniæ est, & Macedoniæ pars, quæ ad mare Ionicum uergit. Castaldus putat Epirum, nunc esse *Iannam*, sed uideo ex situ *Iannam* prouinciam, quæ sic dicitur ab urbe Ianna, esse ultra Pindum montem in Thessalia. *Larta* uerò Richerio, & Aeneę syluio dicitur Epirus, at hęc est pars tantum ipsius Epiri. Terminatur aũt hæc prouincia ab Ortu Acheloo fluuio, qui Sophiano *Aspri*, & Nigro *Catochi* dicitur, sed Mercatori, & Castaldo *Aracheus*, & alijs ob aquę claritatẽ *Aspropotamo* uocatur: à meridie Adriatico mari abluitur: ab Occidẽte Ionio mari pulsatur, usq; ad Celydnũ amnẽ, seu Pepylychnũ, qui nunc *Salnich* Castaldo uocatur, sed falsò: nã *Salnich* est potius Lous amnis Ptol. vt ex situ conijcio; ipse uerò Celydnus paruus est nunc ille amnis, qui conspicitur propè portũ Ragusiũ inter Aulonẽ, & Acroceraunios mõtes: qui nunc dicuntur *de Chimara* à Septent. uerò Macedoniã habet. Patet aũt hęc Regio ad mare mediterraneũ 200. mill. passuũ ptẽ nauigatione inter illos. s. amnes Celydnũ, & Acheloũ. Diuidebatur olim in CHAONIAM quę Epirus proprię dicebatur, ac ad Occidentẽ uergit, & in ACHARNANIAM, quæ modo *Ducatus*, siue *Despotatus*, seu *Græcia parua* appellatur, & hæc iacet ad Ortum solis in decliuum tendens usque ad Acheloum amnem. Vltra has regiones numerat etiam Gerbelius Thesprutiam, Amphilochiam, & Ambraciam, & Ptolemęus habet etiam Cassiopęam, Dolopiã, & Almenam, quæ omnes regiones sunt inter Chaoniam, & Acarnaniam.

Epiri fines.

Epiri magnitudo.

Epiri antiqua diuisio

Alia Epiri diuisio.

In Mercatoris noua Europæ tabula uideo diuisum esse Epirum in ueterẽ, & nouã. VETEREM EPIRVM uocat hanc regionẽ antiquorũ, sed NOVAM EPIRVM uocat illã Macedoniæ partẽ, quæ nunc *Albania* dicitur.

Albania unde dicatur.

Hanc Epirum cum illa Macedoniæ parte iam nominata uolunt appellari nunc *Albaniã* à populis Albanis Asiaticis, qui à Tartaris expulsi isthic consederunt, atque Ptol. etiam ponit Albanos populos, & Albanopolim urbem in prædicta Macedonię parte, olim ipsa regio egregiè populosa fuit, & septuaginta in ea vrbes à Paulo Æmilio funditus euersas fuisse ex historijs constat; ex quibus centum, & quinquaginta millia mancipia collegit. Hodie verò urbibus desolatur, & magna ex parte incolis destituitur, nam habitatur per pagos, & urbium reliquias. Est autem multis in locis nemorosa & sterilis, sed ad oram maritimam satis fertilis, & portubus commoda, qui sunt Panormus, Onchesmus, Cassiope vulgò *Cassopo* Buthiro nouum sinus ubi nũc *Butrinto* vrbs, vbi est Statio satis tuta, ac aquis copiosissima, sed cęteris præstat sinus Ambraciæ nunc *Golfo de Larta*. Præterea regio hæc quadrupedes magnas gignit excepto asino, sed præcipuè boues, & canes magnitudine egregia, atq; etiam oues. Ceraunii, seu Acroceraunii montes, qui, & Chaones uocabantur, famosi sunt ob altitudinem, unde crebro fulminib. sunt obnoxij, & nautis maximè formidolosi, nam quotiescunque nubeculę

Epiri infęlicitas.

Ceraunij montes.

inde

iude eleuantur, tempestates in eis maximæ exoriuntur. Horum montium incolæ latrones, & prædones insignes sunt.

Epirus Pyrrhi quondam fuit regnum, qui insignis valdè fuit, & superiori ætate habuit Ducem, seu Principem inclytum Georgium Castrioſtũ, vulgò *Scanderbech* vocatum, qui Turcis maximo fuit terrori, sed is alteri Albaniæ parti ad Macedoniam spectans, ut plurimum moderabatur. Incolæ, ut ait Bellonius, turmatim suam regionem æstate egrediũtur ob eius sterilitatẽ, atque alio proficiscuntur, nempè in Macedoniã, Romaniã, & Natoliã, ubi operas suas Turcis locant lucri gratia, ueluti ad segetes metiẽdas, & frumentum expurgandum, qui postea perfecta messe domum autumno redeunt cum suis uxoribus, & liberis uitam traducturi. sunt autem Christiani, & peculiarem habent linguam à Græca diuersam: religionem tamẽ Græcam colunt, & quoniam Græciæ uicini sunt, Græcum etiam idioma calent. Ex his oriuntur *Aidoni*, *Vscoechi*, *Marteloſſi*, *Morlachij*: qui hodie sunt gentes ferę, ueloces cursu, indomitæ, laborum summè patiẽtes, & bellicosæ admodum, quæ in syluis, & montibus Albaniæ latrocinia committunt innumera, atq; in uniuersa Bosna, & Dalmatia, ubi Piraticam, etiam exercent paruis suis scaphis. AMBRACIA urbs fuit olim caput gentis, & Epiri quandoque Regia, quæ nunc dicitur *Larta* à fluuio id nominis, & ab hac sinus uicinus denominatur *Golfo de Larta*, qui olim fuit Ambracius sinus, ut diximus. NICOPOLIS urbs, i. uictorię ciuitas olim fuit egregia, & incolarum multitudine abundans, nunc *Preueſa* dicitur, condita fuit ab Augusto in memoriam uictoriæ, quando nauali pręlio superauit M. Antonium, & Cleopatram Aegypti Reginam. ACTIVM etiam Acarnanię clarissimam urbem ponit Gerbelius, quę Augusti fuit colonia, nunc *Capo Figalo* in recentibus tabulis est.

Epirus olim Pyrrhi regnum.

Incolarum mores.

Gentes, quę oriuntur ex Epyro.

Ambracia.

Nicopolis.

Actiũ vrbs.

ACHAIA, NVNC LIVADIA.

Achaia vnde dicatur.

ACHAIA regio quam Ptol. HELLADEM uocat, nunc *Liuadia* uocatur in recentibus tabulis. Dictam quidam uolunt Achaiam à crebra aquarum inundatione: alii uero ab uno trium ducũ Pelasgorum huius nominis. Prius DAONA uocata ultimo tandẽ GRAECIA, quod nomen postea retinuit, atque circunuicinis regionibus communicauit. Finitur autem à Septentrione Thessalia iuxta amnem Sperchiũ, sinum Maliacum, & Oetum montem: ab Occasu Acheloo amne nunc *Aracheo*, uel *Aspropotamo*, ultra quem mox Epiri tractus incipit: ab ortu nonnihil in Septentrionem reflectendo Aegæo pelago, & Myrtoo pulsatur usque ad Surium promontorium, quod nunc *Capo delle colonne* uocatur, cum ibi adhuc conspiciantur columnarum Neptuni templi rudera: à Meridie Peloponesum, seu *Moream* habet obiectum, solo isthmo quinque milliarium lato circa eius medium coniunctam. Achaię regiones apud scriptores reperio hasce nouem, quæ sunt Doris, Hellas, Aetolia, Locrorum & opuntiorum regio, Phocis, Bœotia, Attica, & Megaris.

Fines Achaiæ.

Achaię regiones.

Doris. Hellas.

DORIS regio iuxta Parnassum montem iacet, vbi Dorica lingua emanauit, quæ inter cæteras elegans, & suauis fuit. HELLADEM dicit Gerbelius in orbem ab alijs regionibus circumuallari, quę sunt Phthiotis à Septẽt. Phocis à Meridie: Attica & Bęotica ab Oriẽte, & ab Occasu Doris.

Ætolia.

ÆTOLIA iacet inter Callidromum montem, & Ionium mare, estq; ad arctum plana, & fructuosa, ad Austrum vero aspera, ac sterilis. Hanc Euenus liquidissimus amnis perfluit, qui in mare deuoluitur. Gens olim uanissima, & ingratissima à Liuio commemoratur, sed grandis, ac bellicosa. Multas uetustissimas habuit urbes, inter quas prestãtior fuit CALYDON, quæ hodie cum reliquis in ruinis iacet.

Calydon vrbs. Locrorum, & Opuntiorum regio.

LOCRORVM regio, & OPVNTIORVM aspera erat, quorum AMPHISSA urbs maxima, & nobilissima fuit, quam in nouis etiam tabulis eodem nomine scriptam comperio, licet *Niger* dicat eam nunc *Lambino* uocari. In hac etiam regione est NAVPACTVS urbs, quam alij in Ætolia locant: in amœnissimi scilicet sinus recessu, qui nunc dicitur *Porto di Lepanto* ab urbe ipsa, quæ nunc uulgò *Lepanto* uocatur. Hanc Turca Venetis per uim ademit eo ipso tempore, cum in Macedonia Dyrrhachium, & in Peloponneso Methonem, & Coronem urbes amiserunt, quæ Turcici iuris factæ fuere.

Naupactus vrbs.

Phocis regio. Delphi vrbs

PHOCIS regio iuxta Parnassum montem iacet, cuius clarissima omnium urbs fuit DELPHI ob celebratum ab auctoribus Apollinis oraculum, quod muneribus, opibus, & fama reliqua omnia superauit.

Bœotia.

BOEOTIA agro potitur humido, & paludoso, sed pingui, & frugibus fœcundo. Iacet inter montes, à quo multi emanant fluuii, lacus, ac paludes. Vnde incolæ, ut plurimum rudes, & ignaui fuerunt: licèt inter eos floruerit Epaminonda famosissimus Rex, & Pindarus Poeta egregius.

Thebę vrbs.

THEBAE illustris fuit eius ciuitas, & metropolis inter duos nobilissimos amnes sita Ismenum scilicet, & Asopum, cuius cadauer nunc *Stibes* vocatur, & aliis *Thiua*.

Attica.

ATTICA, i. Littoralis dicitur, quia tota ad mare exponitur olim autẽ Acte, & Ionia uocabatur, estque inæqualis, sterilis, atque aspera argenti uenas habet, in quas multæ expẽsæ absumuntur, isthic sunt Latomiæ in amphiala promontorio, ubi olim pulcherrimus excidebatur lapis marmoreus Hymettius uocatus. Duobus autem. Promontoriis ad mare porrigitur, alterum Sunium uocatur nunc *Capo delle colonne*, Alterum uerò Cynosura.

Athex vrbs.

ATHENÆ urbs in Mediterraneis huius regionis caput erat, quę duobus milliaribus à mari distat, cui Piræus portus subiacet: nunc hęc urbs uocatur *Setines*; Quæ (ut Plinius ait) nullius indigebat præconio, tanta urbis huius superfluebat claritas: nam ut dicit Gerbelius olim muris, nauali bus ædificiis, armis, opibus, uiris, prudentia, atque omni sapientia florentissima erat, suis legibus uiuens, quæ nunc in oppidulum, seu potius uicum redacta est, in quo arx est munita, quæ olim Mineruæ fuit Templum.

Megaris Megara vrbs.

MEGARIS regio à Stephano aspera uocatur, cuius præcipua urbs fuit MEGARA, quæ ipsi regioni nomen dedit iuxta Isthmum posita.

Vnde

Vnde Megarica secta originem duxit, cuius princeps fuit Euclides in hac urbe oriundus, qui Geometrica elementa eruditissime conscripsit. Montes celebres Achaiæ sunt Parnassus, Cithæron, Helicon, Hymettus, & alii à Poetis uersibus celebrati. PARNASSVS undiq; uestitur syluis, biceps celsis uerticibus niualibus omni tempore in theatri speciem; ubi sua altitudine Deucalion, & Pyrrha ab inundatione terræ reseruati fuere. Montes Achaiæ. Parnassus.

CITHERON mons altus est, & difficilis, buxo arbore abundans, montibus Megaricis, & Atticis contiguus. HYMETTVS gleba fœlix est, atque omnium Græcorum montium obtinet principatum, floribus autem semper uestitur, quibus aues nutriuntur, quæ mel optimum gignunt, cui præcipua laus ab Alexandro Aphrodiseo datur. Fluuij celebriores huius uniuersæ regionis sunt ISMENVS, qui Cnopus Straboni est. ASOPVS, & EVENVS. Habet autem plures sinus, quorum præstantiores sunt à Meridie è regione Peloponnesi, scilicet Naupacti sinus, nunc *Golfo de Lepanto*, & Corinthiacus sinus. Ad Ægeum uero pelagus est Pelasgicus sinus, uel Demetrias, nunc *Golfo d'Armiro*, & Maliacus sinus, hodie *Golfo de Ziton*. Citheron. Hymettus. Fluuij Achaiæ. Sinus Achaiæ.

PELOPONNESVS, nunc Morea.

Peloponnesus unde dicta.

LArissima omnium peninsularum est PELOPONNESVS, quę à Pelope homine barbaro, qui ex Asia ueniens isthic regnauit, nuncupabatur. Prius uerò dicta fuit Aegiala, Apia, Argios, & Pelasgia, nunc uerò uulgari uocabulo *Morea*. Iacet autem inter duo maria Ægeum, & Ionium solo isthmo Atticæ regioni annexa, qui quidem isthmus tantæ soliditatis existit, ut nemo hactenus eum secare omnibus humanis uiribus adhibitis potuerit, namque curiosi quidam Principes, quales fuere Demetrius Rex, Iulius Cæsar dictator, Caligula, Nero, & alii eum perfodere tentauere, atque à reliqua Græcia diuellere, quò brenior minusque periculosa foret ab Adriatico mari, ad Aegæum pelagus nauigatio, atque tutior ipsa Peloponnesus redderetur, quamobrem etiam fuit aliquando in isthmo ipso à mari ad mare deductus murus muniendæ Peloponnesi causa, & arcendorum hostium, qui murus HEXAMILIVM uocabatur, eiusq; longitudo quinque milliaria amplectebatur, quem superiori sæculo Amurates Turcarum Imperator prostrauit, atque peninsulam totam deprędatus est, ac uastauit. Sed anno postea 1453. à Venetis Dominis iterum spatio 15. dierum restituitur, missis ad eam reficiendum 30. millibus operariis, qui tandem ab iisdem Turcis destructus fuit. Vocatur autem Isthmus is Corinthiacus à Corintho urbe famosissima, quæ in eo fabricata erat, estque omnium Europæ clarissimus. Isthmus Peloponnesi. Hexamilia. Isthmus Corinthiacus.

Cæte-

Peloponnesi fines.

Cæterum Peloponnesus ab Oriente respicit mare Creticum: ab Occasu Ionium, siue Adriaticum: à Septentrione Corinthiacum habet sinum, quem Strabo Crissæum, & Alcyonium uocat mare, & Sophiano *Golfo de Patras* dicitur, necnon etiam Saronicum sinum, excelsis quaqua uersum mõtibus inclusum, quem hodie Castaldus *Golfo de Engia* uocat, inter quos sinus Isthmus clauditur; à Meridie uerò mediterraneum habet mare.

Peloponnesi mensura.

Huius longitudo ab Isthmo ad urbem Methonem est millia. 175. & circuitus traditur 600. ferè milliarium. Et multum capax est ob eius formam, quæ ad rotunditatem accedit, namque platani folio persimilis est. Inhabitarunt terram hanc olim Arcades, Cynurii, Dorienses, Aetoli, Dryopes, Lemnij, Achæi, & Corinthii.

Peloponnesi laudes, & qualitas.

Peninsula porrò hæc caput, & arx totius Græciæ est, & ut ait Plin. haud ulli terræ nobilitate postferenda. Ea siquidem rebus omnibus, quæ uel ad uictum uberiorem, uel ad elegantiorẽ uitæ cultũ spectant, sua fœcunditate, affluentiaque insignis est: collibus enim, & planitiebus fructiferis distincta est, ac refertissima est sinubus, & portubus; quos promontoria multa efficiunt. Et quamuis olim multis ornaretur urbibus omnium rerum copia florentibus, quæ omnes ferè solo æquatæ, euersæ, aut dirutæ sunt, nihilominus hodie est populatior Græciæ pars. Fuit autem toto orbe quondam maximè celebrata propter Mycenarum, Argiuorum, Lacedæmoniorum, Sycioniorum, Eliensium, Arcadum, Pyliorum, & Messeniorum Respublicas, & Imperium, ex quibus multi claruerunt Principes, ut Agamemnon, Menelaus, Aiax, & alij. Hodie uerò tota Peloponnesus Turcarum dominio subiecta est, sicut reliqua Græcia, licèt fuerit ab aliquot regulis Græcię, quos Despotas uocant, & à Venetis Dominis annis præteritis egregiè defensa. Præest autem nunc Turcæ Imperatoris nomine toti Moreæ Sangiacus, inter cæteros potentissimus, qui Modoni residet, & ad mandatum Belerbeij totius Greciæ mille equites adducit, quos suo stipendio alit. Vocatur hic Sangiacus à Barbaris *Morabegi*, cuius stipendium, seu annuus prouentus est, in hac prouincia 700. millium asprorum, hoc est 14. mill. aureorum.

Sangiacus Moreæ.

Peloponnesi diuisio.

Vniuersam hanc regionem in octo prouincias fuisse diuisam ex Ptol. & alijs auctoribus constat, quæ sunt Corinthia, Argia, Laconica, Messenia, Elis, Achaia, Sicyonis, & Arcadia, in quibus singulis gentes eximiæ claræ, & oppida clarissima fuerunt. & fluuij insignes in hac tota regione sunt Asopus nunc *Arbon* Theueto: Peneius nunc Nigro, & Tleueso *Igliaco*: Alpheius, qui accolis *Rophea* dicitur, ut *Sophiano* placet, & secundum Nigrum *Orphea*, ab Italis verò nautis *Carbon*, & in hoc quidem fluuio 140. amnes cadunt, & albas maculas, ac impetiginem sanat: Panisus, *Stromio*, nũc Nigro, sed *Pirnaza* in tabulis Castaldi, & mercatoris: Eurotas hodie *Balisopotamo* Sophiano, Mercatori & alijs, sed *Iris* Nigro, cuius ripę lauro abundant: & Inacus, qui *Planizza* hodie est Sophiano, & alijs.

Fluuij Peloponnesi.

Corinthia regio.

CORINTHIA Regio ad Isthmum iacet, quæ minimè ferax est cum assiduis collibus, vallibusque occupetur, atque rupibus, ac saxis exasperetur.

tur. Huius caput olim fuit CORINTHVS vrbs, & emporium famosissimum quam nobilitate sua Cicero Græciæ lumen appellauit, cuius circuitus vndecim milliaria amplectebatur, & arcem habebat editam duo hinc inde maria Ionium. s. & Aegæum contuentem. Ex incensione huius vrbis enatum fuit æs Corinthium quod ex confusione metallorum omnium constabat, & preciosius cæteris habebatur.

Corinthus vrbs.

Aes Corinthicum.

ARGIA regio post Corinthum ad Orientalem oram sequitur, quam Creticum mare abluit. Hæc vocatur Ortelio hodie *Romania*, & interluit ipsam Inachus fluuius, qui ex saxosa conualle exortus in Argolicum sinũ à regione ipsa denominatum deuoluitur, qui sinus maximus est, & nunc *Golfo di Napoli* uocatur ab vrbe maritima, quæ nunc vocatur NEAPOLIS ROMANIAE, & olim *Nauplia nauale* dicebatur, estque nunc munitissima urbs, sed olim omnium huius regionis urbium famosissima fuit ARGOS, quæ hodie etiam sic uocatur peramœno in loco in Mediterraneis sita, quam prædictus Inachus fluuius interfluit. Argiuorum Respublica famosa satis olim fuit, & ab Aristotele memorata. Isthic etiam fuit EPIDAVRVS urbs in Suronici sinus recessu, Aesculapij templo celebris, in quo uaria morborum genera curabantur, olim terræmotu cum esset insula, continens facta, & dicta quondam Melissia, & Aemera auctore Stephano, quæ nunc *Pigiada* Nigro, & *Cheronisi* Sophiano dicitur, sed in Mercatoris nouis tabulis Epidaurus etiam inscribitur. Olim optimorum, & generosorum equorum fertilitate gratissima fuit, & campum vinetis frequentem habuit.

Argia regio nũc Romania.

Neapolis Romaniæ.

Argos vrbs.

Epidaurus.

LACONICA regio ad meridiem exposita, omnium pulcherrima est, & ad Maleum, & Tenaria promontoria, nunc *Capo malio*, & *Capo matapan* dicta extenditur, multos eximios sinus complexa; inter quos omniũ latissimus est Laconicus à regione nomen habens, & nunc *Golfo de Colochina* uocatur. Hanc mediam intersecat Eurotas fluuius nunc *Vasilopotamo* mirè placidus, qui in Laconicum sinum defertur. Habet autem regio latos arandi campos, ac fertiles, sed cultu tamen difficiles, eo quia inter montes curua est, circumeuntibusq; collibus, dura, atque aspera, unde hostibus ad incursandum minimè patescit. Frequentibus vero terræmotibus eam agitari Plinius affirmat, quod ob loca cauernosa contingit.

Laconica regio.

Eurotas fluuius.

LACEDAEMON urbs aliquando SPARTA dicta, & nunc *Misithra* omnium celeberrima fuit, & caput regionis, cui Lycurgus leges dedit, ipsaque olim uictoriis terra, marique partis claruit, & disciplinæ seueritate omnibus præstabat, de qua magna, & præclara apud Scriptores leguntur, Est etiam EPIDAVRVS urbs in Argolico sinu diuersa ab alia, quæ est in Suronico sinu, hæc autem hodie culta satis est, ac tutissima, & *Maluasia* uocatur.

Lacedæmon urbs.

Epidaurus vrbs.

Cæterum MALEA promontorium, quod ad regionem hanc attinet, ac uersus insulam Cretam porrigitur adeò æquum, & importunum, ventisque aduersis concitatum est, ut non nisi longissimo flexu a nautis superetur.

Malea promontoriũ.

MES-

Messenia

MESSENIA inter Messeniacum sinum à se dictum, nunc *Golfo de Coron*, & mare Ionium clauditur, atque sese ad Austrum, Lybicumque pelagus exporrigit. Huius primaria urbs fuit MESSENE maritima ad Messeniacum sinum, quæ nunc *Mattagia* Castaldo est, & *Mosenigæ*, & *Nisin* aliis. Isthic sunt urbes famosæ hodie. METHONE, quæ nunc *Modon* dicitur insignis quondam, & nunc Sangiaci Turcici sedes, & CORONE, nunc *Coron*, à qua Messeniacus sinus nunc *Golfo de Coron* denominatur, quæ urbes postremò à Dominis Venetis amissæ sunt, & PYLVS, quæ & Abarinus, nunc *Nauarrino*. & CIPARISSI, hodie ARCADIA, à qua nunc uocatur uicinus sinus *Golfo de Arcadia*. Est in hac regione promontorium arduum Coryphasium, olim nuncupatum, & nunc *Capo Zunchio*.

Messene vrbs.

Methone.

Corone.

Pylus.

Elis regio.

ELIS regio Occasum respicit inter Messeniam, Achaiam, & Arcadiam clausa, cuius præstantiores urbes fuerunt olim. ELIS, quæ regioni nomen dedit, & falsò quidam nunc *Beluedere* dici putant. OLYMPIA, nunc *Lareganico* Castaldo, & *Pisa*, licet hanc quidam dicant esse eandem cum Olympia. Chelonites promontorium ad hanc regionem pertinet, quod hodie uocatur *Capo Tornese* ab oppido id nominis uicino.

Elis vrbs.

Achaia propria.

ACHAIA proprie dicta est hæc Peloponnesi Regio ad differentiam alterius in continenti Græciæ, quæ uocatur Hellas, & hæc quidem ad Septentrionem iacet, inter Stimphalum montem, & sinum Corinthiacum, ac saltuosa est, ubi flumina in mare decursus non habent, sed hiatu terræ absorbunt. Primaria urbs fuit ÆGIRA in colle aspero, atque difficili posita, quæ nunc diruta iacet, & *Xilocastro* uocatur. isthic etiam fuit AEGIVM urbs recentioribus temporibus *Vostiza*, uel *Bostizan* uocata, & à Turcis excisa. PATRAE urbs, insignis olim, nunc *Patras* uocatur. Est etiam DYME urbs, quæ in colle sinui imminente excisa iacet, nunc *Chiarenza* uocitata, à qua promontorium uicinum uocatur *Capo de chiarenza*, olim uero Araxus promontorium. Isthic est Rhium promontorium, & contra eum Antirrhium, in continenti, quæ sunt duo Græciæ promontoria, quibus clauditur sinus Corinthiacus. Quod quidem factum, nunc uulgò *Stretto delli castelli di Lepanto* uocatur, & promontoria, *Castelli di Lepanto* uulgo *Dardanelli*. SICYONIA regiuncula inter Achaiam propriam, & Asopum fluuium interiacet, cuius præcipua urbs fuit SICYON, quam *Basilicam*, hodie nominari uult Sophianus, sed uideo in recentibus Mercatoris tabulis *Vasilicon* diuersam à Sycione, qui utranque ponit.

Aegira vrbs

Aegium urbs.

Patras vrbs.

Dyme urbs.

Promontoria sinus Corinthiaci.

Sicyonia.

ARCADIA in Peloponnesi meditullio ponitur, & olim dicta fuit Pelasgia: estque asperior cunctis regionibus, frigida, & nebulis obnoxia: pulcherrimis autem montibus refertissima est, inter quos celebres in primis fuerunt Cyllene, Pholoe, Lyceus, Mænalias, & Parthenius. In hac regione, teste Plinio, vinum fiebat, quod fœcunditatem fœminis importabat, & viris rabiem, & taxi arboris baccæ isthic colligebantur tam præstantis veneni, vt si quis sub ea dormiret, cibumvè caperet moreretur.

MEGA-

MEGALOPOLIS prima huius Regionis urbs fuit, quæ hodie *Leontari* Sophiano, & *Londario* Nigro, & aliis uocatur.

INSVLÆ MARIS ÆGEI AD GRÆciam, & Thraciam attinentes, nunc Insulæ Archipelagi.

Aegæum mare unde dicatur.

AEGÆVM mare pars est Mediterrani maris Græciam, Europamque ab hac parte ab Asia segregans. Quod sic uocatum Varro, & Festus putant à crebris insulis, seu scopulis in eo sparsis, quæ procul aspicientibus ad similitudinem caprarum intuentur. Plinius autem à solo scopulo inter Tenum, & Chium iacente, & repente olim è medio maris exiliente, qui capræ speciem efformat, ac Aega à Græcis appellatur. Plutarchus dictum credit ab Aegæa Thesei patria: alii uerò aliter dicunt, ut nulla in hac nominis ethymologia possit inde colligi certitudo. Recentiores hodie ipsum *Archipelagum* vocant, & Turci *Mare album*, quod quidem Aquilonaribus uentis subiectum est, ob idque tempestuosum, & crebritate scopulorum periculosum.

Archipelagus.

Solent autem à ueteribus hæ maris Aegæi insulæ in Cyclades, & Sporades diuidi. CYCLADES illæ nūcupantur, quæ sibi inuicem uicinæ sunt in modum circuli, & hæ quidem sunt omnes illæ, quæ sunt circa Delum numero circiter 50. ut tradit Isidorus, licet alii duodecim tantum ponant. sed SPORADES uocantur quæcumque in Aegæo mari uersus Cretam, & Asiam sparsæ sunt, & sine ordine iacent. Plerumque tamen Scriptores eas confundunt. omnes porrò hæ Aegæi maris insulæ auctoribus tùm priscis tum recentioribus celebratissimæ sunt, quæ præsertim tempore libertatis Græcorum magnopere floruerunt, sed postea à Romanis, Saracenis, Turcis, & Pyratis innumeris diuexatæ continuo fuerunt, atque hodie omnes ferè Turcis parent, quarum incolæ partim Turcæ sunt, partim Græci, & tam hi quam illi sua lingua, & religione utuntur. Cæterum nunc ex Turcæ mandato perpetuò aliquot triremes benè instructæ in hoc mari uagantur, ut liberum reddant ipsum à Pyratarum incursionibus, quas in his insulis, aliisque Græciæ locis facere solent. In harum autem insularum dinumeratione incipiemus ab illis, quæ Thraciæ uicinæ sunt.

Cyclades insl.

INSV-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INSVLÆ ÆGEI MARIS, SEV ARCHIpelagi è Regione Thraciæ nunc Romaniæ.

Thassus inſ.

THASSVS insula, quam Ptol. Thalassiam uocat olim Ætria, & Æthria dicta fuit, ut Eusebio, & Plinio placet, hodie uerò dicitur *Tasso*. Est autem Thraciæ proxima inter Nessi fluminis ostia, & montem Athos, atque nemorosa est, & fertilis satis, ac populo frequens, in eaque uinum nascitur optimum, quod inter transmarina in humana gloria fuit, eius circuitus est milliarium 40. ut tradit Niger, uel 50. ut alii dicunt. Vrbem habet eiusdem nominis in plano sitam, iuxta sinum magnum ad Septentrionem, qui portus duobus milliaribus distat à Macedoniæ continenti, & ad Meridiem duo habet oppida in montanis sita, qua parte tota montuosa. Qui sanè montes, ac scopuli elegantissimo, & candidissimo constant marmore, quod olim Romanis in precio erat, ac Thasium uocabatur. Præterea montes hi abundant etiam abiectitiis, & pinis, & olim opulentas habebant metallorum fodinas, quod etiam num ex magnis scoriæ cumulis, qui isthic sunt, apparet; quæ quidem fodinæ singulis olim annis octoginta talenta Philippo, & Alexandro pendebant: sed nunc planè desertæ sunt. Fuit etiam olim in hac insula, tritemium Alexandri statio. SAMOTHRACIA insula à Thraciæ continenti circiter decem milliaribus recedit, prius Samos dicta, & Thracia cognominata, & olim Dardania Plinio teste dicebatur. Hodie uerò *Samandrachi*. Est autem omnium huius tractus portuosissima, & oppidum habet in altissimo monte situm ad Septentrionem, melle abundat, & damis. IMBRVS insula nunc *Lembro* Sophiano, à Septentrione in Austrum exporrigitur, magisque longa est quàm lata, cuius ambitus est 30. milliarium Iacet autem medio penè interuallo inter Thraciæ Chersonnesum, & insulam Samothraciam, quod est hinc inde decem plùs minùs milliaribus. Habet oppidum in radice montium situm, cui ad Occasum campus irriguus subest: sed reliquum insulæ montuosum est. LEMNON insulam famosam, & Vulcano Deo olim sacratam olim OPHIVSAM fuisse dictam à serpentium multitudine quidam asserunt, qui omnes postea extincti fuere, deinde DIOSPOLIS uocabatur à duabus eius urbibus: nunc autem uulgò *Stalimene* nuncupatur. Hæc autem magis in longitudinem quàm in latitudinem patet, ab Oriente in Occidentem, ac centum milliaribus amplа est, totaque sinubus, ac portubus patens, tumulis abundat, & inæqualis est, inter quos tamen elegantes, & benè culti agri interiacent, qui multo fertiliores sunt, & omnibus rebus magis abundant, quàm unqua antea, namque proferunt triticum, legumina, uinum, carnes, caseum, lanam, linum, cannabem, & pleraque alia: magna lignorum tamen penuria insula ipsa

Thassus qualitas.

Marmor Thasium.

Samothracia inſ.

Imbrus inſ.

Lemnos inſ.

Inſ. Lemni menſura, & qualitas.

ipsa laborat, præcipuè ad Orientalem eius partem, quæ siccior est: sed quę Occasum, & Meridiem respicit paulò humidior est, & uirentior: loca autem in quibus arbores nasci queunt, & humida inter colles sita, fructiferas proferunt, ut ficus, iuglandes, amygdalas, & paucas oleas: nullus in hac insula est fluuius. sed tamen insignes habent incolæ in maris littore piscationes namq; isthic pisces satis superque abundant, & præter cętera ostrea habent, quæ ipsis *Gaideropeda* appellantur, hoc est asini pes, à nostris naldè differentia: calidarum aquarum etiam scaturigo hic est, quæ tamen non adeò calidæ sunt, ut pleræque aliæ. Præterea in hac insula, & non alibi adinuenitur celebris illa terra, quæ dicitur à loco Lemnia, seu Sigillata, & hæc præcipuè aduersus pestem, uenena, ac defluxiones commendatur, quæ quidem in pastillos compacta est, & sigillo, seu Turcicis characteribus impressa, atque solum die sexta Augusti è sua fodina quibusdam ceremonijs adhibitis emi solet, quam ut plurimum Principum legati Constantinopoli redeuntes secum deferunt, eamque muneris loco magnis uiris offerunt. Præcipuè olim fuerunt hic urbes duæ, quarum una est LEMNOS, quæ dicebantur etiam Myrina, quæ nunc parum celebris est, licet adhuc integra perduret, nam minus nunc est habitata, quàm unquam antea. Sita autem est in colle mari eminenti, & habet forum, in quo solstitio montis Athos iaculatur umbra, tametsi abinuicem computetur distantia 87. milliarium, & licet etiam sol nondum Occasui sit uicinus. Altera urbs est HEPHAESTIA nũc *Cochino* planè deserta & destructa. Cæterum tametsi insula magnum non habeat ambitum, nihilominus 75. pagos continet incolis diligentibus, & opulentis præditos, in quibus quidem pagis duobus, aut tribus tantum exceptis, Græcè loquuntur, & Christiani sunt incolæ, sed qui propugnacula inhabitant Turcæ sunt. Plinius scribit in hac insula fuisse labyrintum tertium ab Ægyptio, & Cretico similem, sed huius uestigia nulla hic extare affirmat Bellonius testis oculatus, à quibus multa de ipsa insula collegimus.

Terra Lemnia.

Lemnos vrbs.

Hephæstia vrbs.

Labyrintus.

INSVLÆ EIVSDEM MARIS PROPE Macedoniam.

MVLTA sparguntur insulæ è regione Macedoniæ in ipso Archipelago, quarum notiores sunt hæ.

PEPARETHVS Ptol. olim Euonus Plinio dicta, nunc *Limene* uocatur Nigro, sed *Saraquino* Castaldo, & *Opula* alijs. hæc reliquis maior est, cuius ambitus est 40. milliarium.

Peparethus

SCOPELOS Ptol. nunc *Scopelo*, hæc castellum in petris habet.

Scopelos.

SCYATHOS Ptol. modo *Schiati*, quæ minus decem milliaribus à continente distat, ac castellum in petris habet.

Scyathos.

SCYROS Ptol. nunc *Sciro* Sophiano, iacet medio itinere inter Lesbum, & Euboeam.

Scyros.

ALO-

Alonnesus. ALONNESVM insulam circa Magnesiam promontorium ponit Strabo.

Cicynethus CICYNETHVM insulam memorat Plinius, Mela, & Strabo, quam *Pontico* nunc uocat Sophianus.

Dromus. Seraquinus DROMVM Insulam nunc uocatam ponit Niger satis fertilem, oppidum in colle ad Septentrionem habens, & aliam SERAQVINVM à nautis uocatam, quæ castellum habet in petra, haud à mari procul inter Orientem, & Meridiem situm.

EVBOEA Insula nunc *Negroponte*, è Regione Achaiæ posita.

Euboea ins. ISNSVLA hæc magnitudine sua, qua reliquas huius maris excedit, ac nobilitate Regina ueluti Archipelagi est: Est autem angusto solum freto ab Atticæ littore separata, ac longitudine sua Atticum, & Bœoticum littus propemodum adæquat, qua 150. milliaria capit, latitudinem ad summum 20. milliarium habet, & tota in ambitu patet 365. milliarium. Olim autem MACRA, & Macris, Abantias, Chalcis, Chalcodontis, & Asopis Plinio teste dicebatur, ac Strabo etiam Oche, & Ellopiam nominatam asserit. Nunc uero *Egriponte*, & communiter *Negroponte* dicitur, & Turcis *Egribos*, ut putat Melius. Tradunt prisci fuisse hanc insulam olim continenti Græcę iunctam. sed terræmotu auulsam, atque insulam factam, quod facilè persuaderi potest tum ob uicinitatem, tum etiam quod adhuc ipsa terræmotibus sæpè concutiatur, præsertim ubi Euripo uicina est, qui quidem Eutipus, Liuio Euboicus sinus dicitur, & à Ptol. Oetus sinus, alii fretum Euboicum uocant, & nunc *Golfo de Negroponte*, uulgò appellatur. In hoc autem freto uelocis, ac uarii cursus est mare, ubi quatuor in die, aut septies, ut alii dicuntur reciprocant æstus, atque adeò immodicè, ut uentis plena nauigia frustrentur, cuius quidem rei causam cum Aristotel. indagare non potuerit morti hic desperatus occubuit. Insula porrò hæc tritico, leguminibus, uino, oleo, ac arboribus mirè abundat, præsertim ad nauigiorum fabricationem, & incolas habet numerosissimos tradunt isthic pecora felle carere, quod an uerum sit ignoro. Metropolis urbs fuit CHALCIS ualdè famosa, ex qua olim coloniæ aliquot exierunt, quæ nunc de insulæ nomine *Negroponte* uocatur. sita autem est in plano, ubi mare in angustias arctatur, & continéti ponte iungitur; quo in loco præter aquarum cursus, ut ait Niger, uariis inuicem fluctibus uenti quoq; ab utriusque terræ præ aliis montib. subiti, ac procelloſi deiiciuntur, quare nec dies, nec noctes hic quies nauib. datur. Vrbi huic adiaces territorium admirabile æris & ferri commune metallũ continebat, quod tamen euanuit. Fuit autem hęc urbs à Mahomete secundo, anno 1451. ingenti apparatu expugnata, & direpta, Christianis fęda strage

Euboeæ mensura.

Negropõte. Euboea olim continenti adiuncta.

Sinus Euboicus.

Euboeæ qualitas.

Chalcis vrbs.

da strage affectis, quibus Turcis ex toto confestim insula cesit, unde nũc tota a Græcis, & Turcis mixtim habitatur. CARYSTVS quoque urbs, quæ Stephano Chironia, & Ægea dicitur, & nunc adhuc *Caristo*, marmore olim nobilis erat, nam propè eam sunt Latomiæ, unde columnæ Carystiæ excisæ sunt. Isthic etiam lapidem Amianthum aiunt nasci, qui lini instar in filum reducitur, ex quo telam conficiunt, quæ ubi sordescit, in flammam proiecta mundatur, ac dealbescit. CAPHEREVM promontorium altissimum Orientem prospectans naufragijs Græcorum famosũ est, quod nunc *Figera* Nigro dicitur, & *Chimi* Sophiano.

Caryſtus vrbs.

Amianthus lapis.

Capherea prom.

CICLADES INSVLÆ, AC ALIÆ INTER has & Cretam repertæ.

Andros inſ. ANDROS prima est inter Cyclades, & adhuc nomen retinet. TENOS Aristoteli Hydrusa uocatur, & alijs Ophiussa, ob aquarum inopiam, nunc *Tina* dicitur, ac sub Dominio Veneto sola nunc inter alias conseruatur a Turcarũ tyrannide libera. DELOS famosissima inter Cyclades est ob Apollinis oraculum, & natale solum, cuius templi hodie rudera conspiciuntur, nunc etiam *Diles* uocatur. Olim Athenienſibus erat subiecta: & tunc uetitum fuit, ne in ea quisquam nasceretur, aut interiret, unde morituri, & iam parturiturę in Rheniam insulam huic uicinam transportabantur. Præterea nec canes isthic alebantur.

Tenos inſ.

Delos inſ.

RHENE inſ. supradictæ uicina, hodie *Fermene* dicitur, quæ a Polycrate Samiorum Rege illi catenis annexa fuit, sunt qui dicant utrunque hodie Sdiles uocari.

Rhene inſ.

MYCONVS hodie *Micole* Sophiano, & Nigro dicitur.

Myconus.

SCYRVS diuersa ab alia, quæ iacet inter Lesbum, & Euboeam.

Scyrus.

CYTHNVS nunc Sophiano *Cythno*, sed Nigro *Cauro*.

Cythnus.

NAXVS nunc *Nicsia* Sophiano, & alijs uocatur, quæ 80. mill. in ambitu patet, ac olim Veneris insula dicebatur, deinde Dionysia à uinearum fertilitate, unde quondam Baccho sacrata, & famosa ob uini excellentiam, uocata etiam fuit Cicilia minor ob tritici copiam. Est autem pulchra aspectu, & ualdè ferax, in eaq; marmoris genus reperitur quod Græcis Ophites, & Latinis Serpẽtinum dicitur, uiridis coloris, liuidioribus maculis aspertum, Smirillus etiam lapis isthic inuenitur. Vespæ genus in hac dicunt esse, cuius punctio mortem hominibus inducit.

Naxus.

Smirillus lapis.

PARVS nũc *Pario*, & antea *Platea*, ac deinde *Minoida* uocata 50. mill. ampla est, & tota ab Oriente in Occidentem plana, quæ famosa est ob marmor candidissimum Sculpturæ aptissimum, quod in ea reperitur, a Plinio memoratum. Habuit olim eiusdem nominis urbem claram ad meridiem sitã, quæ nunc in ruinis iacet, est tamen in ea nunc oppidum ad Occasum, iuxta quẽdam sinum, ac etiam ad Septent. Cęphalum teste Nigro uocatũ.

Parus inſ. Marmor Parium.

Amurgus inſ.
AMVRGVS, *Amurgo* vel *Mergo* nunc etiam dicitur.

Syphnus inſ.
SYPHNVS, antea *Meropius* & *Acis* appellata fuit, ac olim locuples fuit, & auri, ac argenti mineris abundãs, nũc *Sifano* teſte Sophiano dicitur.

Seriphus inſ.
SERIPHVS, hodie *Serphone*, vel *Serphena* lapidoſa eſt inſula, in qua quidem ranæ ſilent, ſed aliò allatæ canunt oppidum habet eiuſdem nominis; tradunt in hac inſula Perſeum educatum fuiſſe.

Cia inſ.
CIA, vel CEOS hodie *Zia*, *uel Zea*, diſtat à Sunio promontorio Achaiæ 40. mill. & ambitum habet 50. mill. ſed excauata eſt ad Occaſum ad inſtar lunæ corniculatæ. Plinius hanc auulſam fuiſſe Euboeæ ſubito hiatu ſcribit pluribus mortalibus à mare abſorptis, montuoſa autem eſt præterquam ad Septentrionem.

Helene inſ.
HELENE quinque mill. tantum ab eodem promontorio diſtat, & *Macroniſo*, hodie Sophiano, & Nigro dicitur.

Ios inſ.
IOS, quæ & PHÆNICE Plinio teſte, *Palma* Nigro, & *Nio* Sophiano, & *Chios* fortè Ptolemæi; hanc dicunt Homeri ſepulchrum habere, licet alij putent, Naxum id ſepulchrum continere, vel Chium.

Sicenus inſ.
SICENVS, vel Sicinus, quæ & Oenoè, *Sicino*, nunc Sophiano dicitur.

Philocãdros
PHILOCANDROS, vel PHOLEGANDROS Plinio, nunc *Policandro* Nigro teſte dicitur, ac teſte Arato aſpera eſt.

Olyarus.
OLYARVS pauca eſt inſula, quæ Nigro *Quiminio* dicitur.

Aſtipalea.
ASTIPALEA nunc Sophiano *Stampalia* circuit 88. milliaria.

Thera.
THERA diſtat à Sunio promontorio 50. ferè mill. & *Eleuſin* quibuſdam etiam dicitur ab urbe id nominis in ea.

Polyegos.
POLYEGOS inſula deſerta nunc *Falconara* Nigro dicitur.

Theuſia.
THERASIA, & aliquibus THEVSIA nunc *Santorini* dicitur, & Calliſta quondam vocabatur ideſt pulcherrima. Modo formam habet Lunæ corniculatæ, licet prius aliam haberet, antequam conbureretur, & à mari in duas portiones diuelleretur, inter quas ſcopuli aliquot interiacent. eſtque adhuc ſatis fertilis, & portubus commoda, cuius incolæ piſcationibus ferè vitam traducunt.

Anaphe inſ.
ANAPHE hodie *Namfro*, ſeu *Namfio* dicitur.

Melos inſ.
MELOS nunc *Milo* in Cretico eſt mari, & olim Mellida à mellis copia vocabatur. Eſt autem omnium rotundior, & in ambitu 80. milliaria habet, quam enatam affirmat Plinius. Feraciſſimos habet agros frumentis & oleis, ſed uitibus parum accommodos. Plinius aſſerit hic marmor atro colore effodi uarijs maculis iniectis, atque ibidem etiam bitumen, ac ſulphur gignitur, ſunt etiã in ea ſulphureæ aquæ medicaminibus accõmodæ.

Cimolis inſ.
CIMOLIS, vel cimolus etiam Echinuſa dicta fuit, nũc autem à Nautis *Polino* Nigro auctore uocatur.

Dya inſ.
DIA non longè à Creta, quæ nunc *Standia* uocatur.

Inſulæ

Inſulæ Græciæ circa Peloponneſum, & in Ionio mari circa Epirum, & Macedoniam.

Ægina inſ.
AEGINA inſ. in Saronico ſinu patet, in quo ẽt nonnullæ aliæ ſunt parum celebres, hęc olim Oenone, & Myrmidonia, & Oenopia vocabatur, hodie nomen retinet ſi Nigro fides adhibenda eſt, ſed Sophiano *Legina* dicitur, & *Xilocaſtro* Theueſo. Eius ambitus, eſt 24. mil. & diſtat ex æquo ab Atticæ, & Peloponneſi littoribus, hoc eſt 12. mill. Agrum habet in ſuperficie lapidibus obrutum, & interius terreum. Qui hordei inprimis ferax eſt.

Cythera inſ.
CYTHERA, nunc *Cerigo* prima eſt maris Ægei ad Occaſum è regione ſinus Laconici, nunc, *Golfo de colordina*, quæ diſtat à littore Peloponneſi 5. mill. & in circuitu patet 60. mill. olim Porphyris, & Porphyrus Plinio, & Euſtathio teſtibus uocabatur à marmoris porphyretici copia, quo montes abundant. Multos habet portus, ſed exiguos, ac parum tutos, & oppidum eiuſdem nominis, atque circa ipſam inſulam ſparſi ſunt complures ſcopuli. Græci autem eam incolunt.

Epla inſ.
EPLA ad meridiem Cytheræ iacet, quæ ab *Limera* & nunc à nautis *Louo* dicitur, portu ſatis commodo fruitur.

Thega nuſſa.
THEGANVSSA, vel Thiganuſa contra Acritus promontorium in mare diſcedit, quæ nunc *Caprera*, ſeu *Caurea* nuncupatur.

Sphagia.
SPHAGIA duob. mil. a continenti Meſſeniæ regionis Peloponneſi recedit ab aliis Splacteria dicta, & nunc *Sapientia*, portum etiam ipſa habet.

Strophides inſ.
STROPHADES duæ ſunt paruæ inſ. diſtantes a littore Peloponneſi uerſus Elidẽ regionẽ 50. mill. Cypariſſiorũ ab alijs ẽt dictæ, & nũc *Striuali*.

Zacynthus inſ.
ZACYNTHOS, hodie *Zante* uulgò, & olim Thyrrea, diſtat à Peloponneſo 20. mil. & circumnauigationem habet 60. mill. Famoſa priſcis temporibus fuit. Habet eiuſdem nominis oppidũ in colle ſitum mari imminens, ſiluis obſitum, & ſaluberrimo aere gaudens cum munitiſſima arce. Ager inſulæ frumentum abundè profert, & paſcuis eſt idoneus, ſed præcipuè uuas

Vua paſſula Zacinthi.
paſſulas, uinum, & oleum mittit, ex quibus omnibus circiter 150. mil. aur. prouentum recipiunt incolæ: ſunt tamen iſthic pauca lignorum copia, frequentes iſthic ſunt pagi, quos quidam 48. excedere dicunt. Vnicum inſula habet portum uerum ſatis capacem præter alias ſtationes tutas, terræmotibus maximè ſubiecta eſt. Incolæ Græci ſunt, & parent Reipub. Venetæ.

Cephalonia
CEPHALENIA inſ. nunc etiam ſic uocata, & olim Melena, Samos, & Same dicta, atq; etiam Tetrapolis ob 4. in ea urbes. Iacet inter Epirum, & Peloponneſum, ac 80. mil. longa, & 40. lata eſt, cuius circuitus traditur mil. 160. Eſt autem montibus, ſyluis, ac planitiebus diſtincta, cuius ager triticũ,

Eius menſura, & qualitas.
profert ad abundantiam, mellis uerò, uuarum paſſularum, mannæ, & olei tanta hic eſt copia, ut aliundè etiam hæc exportentur, armenta etiam animalium multa, unde magna etiam caſei, & lanæ quantitas. Veruntamen inſula hæc aquis magnopere indiget, portum habet ab Auſtro nunc *Argoſtoli* uocatum, capacem cuiuſcunque claſſis, qui ab arce Cephaleniæ ſex

Portus Cephaloniæ.
milliarib. diſtat. Sunt in hac inſula nunc circiter ſex millia familiæ, & incolę

ipsi Græci sunt,ac Venetæ ditionis. Mare illud quod intercedit inter Cephaloniam, & Zacynthum dicitur nunc uulgò *Canal del Zante*.

Ithaca inſ. ITHACA insula è regione Cephaleniæ ad ortum, quæ *Theachi*, ut Porcharius asserit,uocatur, seu *Valde compagno*,Nigro,& *Val de cõpare* Sophiano,& alijs. Eius ambitus est circiter 50. mill. estq; magis longa quam lata, & sinuosa admodum crebrisq; anfractibus aspersa,sed portuosa satis: isthic olim fuit urbs eiusdem nominis,quæ Vlysis fuit patria.Incolunt nũc hanc insulam, ut plurimum exules a circunuicinis locis.

Ithacæ ambitus,&qualitas.

Echinades inſ. ECHINADES insulæ paruæ sunt,asperæ,& incultæ,aut mauis scopuli, qui vulgò nunc *Curzolari* vocantur, & sunt è regione Acheloi amnis propè continentem in confinio Epiri,& Ætholiæ,qui quidem nostra ętate victoria nauali celebres facti fuerunt, quam Christianorum classis à Turcis maxima eorum strage reportauit in festo D. Iustinæ anno 1571.

Corcyra inſ. CORCYRA inſ. nunc uulgò *Corfù*, olim Scheria, & Phæacia Plinio testè fuit uocata,atque etiam Drepanum, & Argos. Hæc autem distat à continente Epiri duobus circiter milliaribus, ubi propius, licèt alij dicãt decem, & ubi longius 20. producituŕque ab Occasu in ortum milliaribus 54. circiter, in formulam arcus, & lata est 24. cuius circumnauigatio est 120.milliarium, licet diuersè alij scribunt. Olim autem Homero testè fęcunda fuit, ab eóque poemate illustrata,vbi fœlices uiri procreabantur,& rei maritimæ maximè studiosi. Quæ quidem à Septentrionali parte plana est,& ad meridiem alpestris, ac importuosa,atque agro non admodum fertili potitur cum aquis destituatur,ac saxis exasperetur,quinetiam venti Austrini maximum solent damnum segetibus afferre,cum ad maturitatem perueniunt. Vnde incolæ vites potius, oleas, & poma nutriunt, ac etiam citria, medica, & omnium generum fructiferas arbores alunt, quæ fructus suauissimos,& perfectissimos proferunt; mellis hic, & uini optimi affluentia est mira, ac etiam olei optimi, quæ omnia aliundè etiam deferuntur, cœlum isthic est temperatissimum cum nemora ex citris, medicis, ac huiusmodi arboribus constent, neque hic lupi, auturśi inueniuntur,licet aliorum generum animalia fera non desint. In hac insula est urbs, quæ simul cum ea *Corfù* vulgò dicitur, Hæc autẽ in peninsula in alto colle ædificata est,ac triplici nunc arce egregiè munita & dignitate Archiepiscopali decorata. Fluuij, ut diximus in hac insula non sunt, sed tamen torrentes quidam,atque etiam in ea est lacus,seu fons,qui nunc *Cardachi* nuncupatur duobus milliaribus in circuitu patens, cuius aqua toti insulæ deseruit, & ea etiam complures naues, ac triremes, quæ per mediterraneum mare discurrunt, onerantur; sunt etiam isthic salinæ, ex quibus sal colligitur, & præter portum è regione vrbis sunt etiam alij commodi portus. Est aut sub Veneti Dominij ditione,à quo strenuè aduersus Turcarum rabiẽ defensa est;& incolæ ipsi ut plurimũ Græci sunr,aut Græco viuũt more.

Corcyræ mensura.

Corcyræ qualitas

Segetes hic infeliciter maturãtur ob uentos Austrinos.

Corfù.

Lacus Cardachi.

Tandem è regione Macedoniæ in Ionio mari prope Aulonem urbem exigua est insula,qnę SAFO Prol. est & nunc *Saseno* vulgò dicitur,ac à contin enti paruo interuallo distat, in qua quidem pyratæ uersantur.

Safo inſ.

DAL-

DALMATIÆ, ET LIBVRNIÆ

Descriptio, quæ a Ptol. sub Illyridis nomine comprehenduntur; nunc autem in Sclauoniæ nomen cesserunt.

Illyrici fines. ILLYRICVM, seu Illyris regio iuxta oram Adriatici maris Italiæ oppositam iacet, cuius termini diuersimodè apud auctores traduntur; sed nos Ptolomæum sequuti,eam ab amne Asia, qui est Istriæ terminus ad Macedoniæ vsque confinia secundum maris littus accipiemus,iuxta, scilicet,Scardum montem prope Lissum oppidum, nunc *S. Alessio*. In Mediterraneis verò ipsam duobus Pannonijs, quæ hodie sunt *Hungaria*, & *Austria*, atque Mœsia superiore,quæ nunc *Seruia* est, vt Laxio placet,vel *Bosna* Cuspiniano,terminabimus. Continet autem Illyris DALMATIAM regionem, quæ versus Macedoniam est, & LIBVRNIAM, quam *Crabatem* nunc Lazius uocat, alij *Croatiam*, alij verò, quibus magis assentimur, *Comitatum Iaderæ*, vulgò *Contado di Zara*. Cuius quidem Liburniæ Orientalis pars contra insulam Arbe *Morlachiam*, nunc uocari ex recentibus tabulis conspicit. Hodie autem totus Illyridis tractus inter Arsam, & Drinum amnes communi uocabulo *Sclauonia* nuncupatur à gente scilicet Sclauonica, quæ olim circa Męotida paludem habitarunt, atque isthic descenderunt. Sunt tamen qui dicant Illyridem modo à iunioribus in *Sclauoniam*, *Dalmatiam*, & *Albaniam* diuidi, vt pars quidem occidua sit *Sclauonia* Orientalis *Albania*, & media inter has *Dalmatia*.

Regiones Illyrici.

Morlachia.

Sclauonia.

Sclauoniæ mensura. Est autem Illyridis, seu *Sclauoniæ* longitudo à fluuio Drino vsque ad Arsam, milliarium circiter 480. & eius latitudo à Crouatiæ montibus ad mare usque computatur mill.circiter 120. Iacet uero inter quinti climatis medium, iuxta 13. parallelum, & sexti climatis medium ad 15. parallelum, ubi maxima æstatis dies non excedit horas 15. cum dimidio. Eius autem Orientalissimus meridianus incedit per gradum 46. & occidentalissimus per gr. 36.

Situs cœlestis.

Adriaticũ mare. Cæterum ad extremum usque Illirici mare,quod inter Illyricum,& Italiam intercedit Adriaticum uocatur, utpote ab eius initio, ubi Venetiarum Ciuitas, usque ad Garganum montem Italiæ, & Dyrrachium urbem Macedoniæ, quod quidem mare Adriaticum 600. milliaribus extenditur, & eius maxima latitudo est 200. mill. minimè 150. & in ostio 60. sed reliqua ipsius maris pars Macedoniam, & Epirum alluens, Ionium uocatur. Dicitur præterea uniuersum hoc mare SVPERVM respectu Tyrrheni maris,alteram Italiæ oram pulsantis, quod INFERVM dicitur.

Ionium mare.

Superũ mare cur uocetur.

Illyridis porrò regio,ut Strabo ait, aprica est similiter, & frugifera, bonisq;

Regionis qualitas.

nisque fructibus feracissimis,oliuetis, vinetisque speciosa, nisi sicubi rara, & aspera omnino rupibus iacet. Nam quæ ad Pannonas spectat, vniuersa frigida, & niualis est, adeò ut raro ibi ferat vitem. Est itaque hæc regio calida, vt ipsa Italia, & frumento cæterisque bonis frugibus ferax, oleis, & vitibus mirè abundans, atque etiam pecoribus, & animantibus penè cunctis, tum domesticis, tum feris eximiè copiosa, & auro quoque fœcunda. Sunt tamen in ea loca quædam prorsus aspera, & quæ ad Septentrionem vergit regio montuosa est,tota frigida,& niualis. Occidentalis autem. Ora Liburniæ excelsis montibus uallatur,& Liburnia ipsa (vt ait Niger) interius ad Septentrionem terram habet satis feracem, tritici maximè,multæ ualles,multi colles,multiq; lacus, ac omnes sunt,præcipuè tamen Drauus. Vniuersa autem ora maritima piscium optimorum copia affluit, & plurimos, ac optimos habet portus, quod ex perpetuo litore, & ex propinquis, ac penè connexis insulis euenit; & Plinius quidem testatur, hanc Illyrici oram mille amplius insulis frequentari: contra verò Italiæ ora huic obiecta importuosa est. Est tamen isthic sinus Phanaticus, qui nunc uulgò *Golfo del Quarnero* vocatur, infamis admodum obortis tempestatibus,quibus naufragia crebra fiunt. Incolæ olim ex Pyratica, & rapinis viuebant,quos Liuius gẽtes uocat feras,& magna ex parte latrocinijs maritimis infames. Ab his olim dictæ fuerunt naues celeres *Liburnicæ*, quia tunc celeres,& leues conficiebant naues,quibus in mare prædam agebant. Nunc verò nauigatoriam artem probe exercent,suntque robusti,ac laboribus assueti. Regionem porrò ipsam florentissimam olim, & innumeris ciuitatibus cultam Augustus Cæsar primum graui bello illato afflixit multis oppidis dirutis. deine Gothi per Pannoniam utramq; ingressi non minorem cladem ei attulerunt; vltimo verò à Turca acerrimis incursionibus uexata est,atq; hodie satis populosa est, præclarisque oppidis habitata, cuius magna pars cum insulis adiacentibus sub Veneto Dominio manet, reliquum autem partim Austriacis, partim Turcis cessit: attamen loca Turcis subiecta deserta penè sunt ob eorum tyrannidem.

Plurimi portus in Dalmatia.

Phanaticus sinus periculosus.

Incolarum mores.

Regionem varia mutatio.

Senia vrbs. Notiora oppida, & urbes huius tractus hæc sunt, SENIA urbs uulgò *Segna*,quæ in plano sita est ad mare,quod à Borea uento horridis tempestatibus obnoxium est.

Iadera vrbs. IADERA colonia, Liburnorum Metropolis, quæ hodie præcipua est,ac munitissima, atque uulgò *Zara* uocatur. Iacet autem humili in Chersoneso, ac optimum habet portum.

Sebenicum. SEBENICVM oppidum Ptolom. Sicum uocatum,quod situm est in Scardonico sinu, in conspectu irrumpentis freti ad montis radicem, ubi est arx, fertiles habet agros, sed malè nunc habitatur ob Turcarum uexationes.

Spalatum Salona. SPALATVM oppidum, & SALONA oppidum ita etiam Ptol. uocatum, & Straboni salo Dalmatorum naualæ, quæ quidem oppida parum incolis frequentantur, ut coluntur ob Turcarum uicinorum incursiones.

TRA-

TRAGVRIVM, hodie *Trau* uulgò,quæ à continenti paruo euripo separatur. Tragurium

EPIDAVRVS urbs antiqua, iuxta cuius ruinas RAGVSIVM urbs clara iacet cum arce munitissima uulgò *Ragusi* uocata,& Turcicè *Dobronicha*, quæ quidem emporio, & Republica nobilis est, & incolæ in primis mercaturam exercent, ac multas, optimasque habent naues, atque olim liberi erant, sed nunc Turcæ tributum singulis annis 14. millium aureorum pendunt, horum ditio parum in continenti extenditur, at in mari nonnullas habent insulas. Ragusium.

CASTELLVM NOVVM in humili colle, iuxta sinum Rizonicum, nunc *Golfo di Cataro* situm, quod quidem præteritis annis Turcæ Hispanis eripuerunt, ac expugnarunt. Castellum nouum.

CATHARVM oppidum, quod Volaterranus putat Rhizinium esse Ptol. sed Niger Rhizinium ait, nunc *Rizano* uocari, cui consentiunt recentes tabulæ. Est autem Catharum egregiè nunc munitum, ac tutissimum,cum circa se undique Turcam habeat. Catharum.

SCODRA Ciuitas nobilis 18.mill.à mari absens, quam *Scutari* uulgò uocant, aliquando sub Venetis fuit, sed nunc Turcæ paret. Est autem in arduo,ac præcipiti saxo ædificatum, & lacui ad Orientem imminet,qui 130. milliaribus in ambitu patet, ac undique montibus præterquam ad Septentrionem ambitur, à qua parte duo in sese recipit amnes. Territorium uerò, quod est inter hunc Scutari lacum, & mare uocatur uulgò *Craina*, idest regio saxis, ac montibus impedita. Scodra.

Sunt etiam BVDVA, ANTIVARVM, & DVLCIGNVM quod Ptolæm. Vlcinium dicitur, & alijs Olchinium, quæ sanè exigua oppida, & malè habitata, postremo à Selino Secundo occupata sunt, cum prius sub Venetis Dominis essent. Budua, Antiuarũ, Dulcinium oppida.

INSVLÆ IVXTA ORAM ILLYRICI, seu Sclauoniæ.

Insulę Sclauonię ſteriles ſunt.

INNVMERÆ adiacent Illyrico inſulæ, quarum multæ amplæ admodum ſunt, & ambitum pluſquam centũ milliarium habent: ſed ſteriles, aſperæ, ſaxoſæ, & parum cultæ ſunt, atque paucos habent incolas, namque in omnibus his inſulis pluſquam 40. millia habitatores non colliguntur, præcipuæ uerò hæ ſunt.

Cherſo inſ.

ABSORRVS, ſiue ABSORTIVM nunc *Cherſo* uulgò, cui altera ad meridiem adiacet inſula *Oſero* uulgò uocata dimidio illa penè minor, & ambæ ponte iunctæ ſunt: Superioribus autem ſæculis una erat tantum inſula, ſed Veneti immiſſo mari, & modico inciſo nexu, quo iungebantur, duas fecerunt, ambarum circuitus eſt propemodum 140. milliarium, & in unaquaque unicum tantummodo extat oppidum eiuſdem nominis, Incolæ utriusque inſulæ quinque millia non excedunt; iſthic uinum ſatis colligitur, ſed triticum ad abundantiam nõ peruenit, nemora hic ſunt permulta ex quibus magnam lignorum copiam Venetias mittunt, animalium domeſticorum, & ouium innumeros habent greges, vnde carnium, caſei, butyri, & lanæ magnum recipiunt prouentum.

Vectia inſ.

CVRICTA inſ. uel VETIA, nunc *Vegia* uulgò, 80. milliaria in circuitu habet, uel ut alij dicunt 100. quæ melius ſuperiore habitatur, namque plus minus decem mill. habitatores habet, atque amæna, & fertilis admodum eſt, præſertim leguminum, uini, lignorum, & equorum, quæ omnia in alias regiones mittit, ſed frumentum, quantum ſibi ſufficit, non fert. Vrbem habet eiuſdem nominis, & portum ſatis commodum, ſed uento Scirocco ſubiectum.

Arbe inſ.

ARBE inſ. cum oppido eiuſdem nominis, quæ Scardona fortè Ptol. eſt, circuit 30. milliaria, & amœno gaudet ſitu, ſed importuoſa eſt, uinum mittit optimum, & pecudum magnam copiam, & tria millia habitatorum habet.

Pago inſ.

GISSA, ſeu Iſſa, nunc *Pago*, tenet in ambitu centum milliaria, ſed oblonga, & angu ſta eſt. Oppidum eiuſdem nominis habet, & habitatores circiter 1500. tantummodo tenet, eo quia lignorum inopiam, & aerem frigidum perſentit. Iſthic ſunt ſalinæ, quæ magnum reddunt emolumentum tum Reipub. Venetæ, tum etiam ipſis incolis.

Lexina.

LEXINA, quæ Ptol. Pharia uocatur, & Pharos Plinio, & uulgò *Leſina*. Eſtque reliquis maior, cuius ambitus eſt 150. mill. ſed pluſquam ſex millia habitatores non continet. Vrbem habet cum optimo portu, & magnæ claſſis capaci, qui uento tantum Garbino ſubiacet. Eſt autem frumento inops, ſed uino, & ficubus maximè affluit, & ex piſcibus magnum recipit prouentum.

Curzola inſ.

CVRZOLA, quæ Ptolom. & Plinio *Corcyra Melęna* dicitur, longa eſt

eſt 40. milliaribus, & ampla 90. paucam mittit frumenti copiam, ſed tamẽ uinũ copioſè fert. Incolæ nauigationi ſtudent, & multas conficiunt naues.

Laguſta.

LAGVSTA pulchra inſula ad Raguſium attinet, planitiem habet in medio oleis, & uinetis fertilem, & montibus cultiſſimis circunuallatam, iſthic magna capitur Sardinium copia, quæ uulgò *Sardelle* uocantur.

Meleda.


MELEDA, & D.ANDREM Inſulæ ditionis etiam ſunt Epidaurenſium, quæ magnum recipiunt emolumentum à Sardinijs, quæ iſthic expiſcantur.

Status Eccleſiaſticus Sclauoniæ.

Sunt autem in uniuerſa Illyrici prouincia tres Archiepiſcopatus, nempe IADRENSIS, cui ſubſunt Auzarenſis, Vectienſis, & Arbenſis: SPALATENSIS, cui ſubſunt Tragurienſis, Tenienſis, Sardonenſis, Temnenſis, Nenenſis, Nonenſis, Almiſæ, Sibinicenſis, Farenſis. RAGVSINVS, cui ſubſunt Stagnenſis, Roſſonenſis, uel Boſſononenſis, Tribunienſis, Catarenſis, Bacenſis, Roſenſis, Bidnanenſis, Budoa fortè. Præter hos fuit etiam Archiepiſcopus ANTIBARENSIS, ſub quo erant Dulcinienſis, Suacinenſis, Drinaſtenſis, Polaſtrenſis, Scodrenſis, Sardenſis, & Surtarenſis, uel Acittarenſis.

CRE-

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXII.

CRETAE, SEV CANDIAE INSVLÆ

Descriptio.

CRETA, quæ nunc *Candia* dicitur, est insula maris Mediterranei Cypro maior, sed Sicilia, & Sardinia minor: his enim solis in toto Mediterraneo mari cedit, licet nobilitate, & fertilitate omnibus par sit. Est autem media quodammodo inter Europam, Asiam, & Africam. Nam ab Ortu distat ab Alexandria Ægypti milliaribus 400. ferè, & à meridie æquè ab Africa 150. mill. recedit. Ab Asia minore mill. propè centum, & à Peloponneso Græciæ totidem. CVRETA olim ab habitatoribus Curetibus uocabatur, & per syncopem CRETA: Alij dicunt Cretam appellari à Crete quondam Iouis, & Ideæ nymphæ filio, ut ait Stephanus: alij à Crete nympha Hesperidis filha, vt ait Blasius: alij uerò à Crete Rege uetustissimo. Præterea dicta fuit olim AERIA, MACAROS, & MACARONESOS (auctoribus Plinio, & Solino) ideſt fœlix insula ob fructuum bonitatem, & cœli temperiem. HECATOMPOLIS dicitur Eustathio, & Homero, ideſt centum Ciuitatum; nam centum olim urbibus habitatam fuisse omnes ferè Auctores attestantur, quarum quidem quadraginta circiter Plinij Ætas nouit.

Cretæ ad alias insl. comparatio.

Situs terrestris Cretæ.

Creta cur dicta.

Varias huius insl. nomina.

IDÆA quoque, & CHTONIA Stephano, & TELCHIONIA, Giraldo uocatur. Nunc autem uulgò *Candia* dicitur, à candore forsan, ut quidam opinantur, siquidem huius insulæ montes occidui albi, seu candidi dicuntur, uel ab urbe id nominis primaria.

Candia vnde dicatur.

Sita autem est Creta ad initium quarti climatis sub nono parallelo, ac maximus dies æstatis in ea est horarum circiter 14. cum quadrante. A Septentrione Ægeo alluitur pelago, & Cretico: ab Austro Libyco, seu Afro: ad Occidentem mare Adriaticum habet, & Agilam, Cytheramque insulas spectat: ad Ortum uero Carpatho mari pulsatur. Forma eius oblonga est, ac ab Ortu in Occasum extenditur tria formans promontoria, unum quidem ad Ortum spectat, quod dicitur SAMONIVM, uulgò *Capo Salamone*. Reliqua duo ad Occasum, quorum Australium contra Cyrenem uocatur HERMEA, seu Hermicum, & olim Arietis frons, nunc uerò *Capo Grabusse*; Alterum obuersum Peloponneso CIMARVS uocatur Straboni, & nunc *Capo Chestin*.

Situs cœlestis.

Fines Candiæ.

Forma.

Habet

Candię mẽsura.

Habet porrò hæc insula longitudinem 270. mill. passuum, auctore Plin. in latitudinem uerò 50. mill. & circuitus eius 588. mill. passuum complectitur. Verum secũdum moderniores, qui eam diligentissimè dimensi sunt, tenet in longitudine 215. milliaria, in latitudine 45. & eius perimeter, seu ambitus iste 455. mill. seu ut alij dicunt 525. Petrus etiam Bellonius tradit in suis obseruationib. eius ambitum quinquies centena, & uiginti passuum millia continere.

Ida mons.

Exasperatior hæc Insula montibus, IDA maximè, qui mediæ insulæ altissimus imminet, pedem eius oppidis circum coronæ instar abeuntibus, è cuius summo uertice mare facilè conspicitur utrunque insulæ latus alluens. Hic uero Ida mons ex primarijs huius insulæ est, & iam *Psiloriti* dicitur, reliqui uerò montes primarii sunt LEVCI, nunc *de Marara* uocati, aliàs *la Spachia* appellantur, & DICTA, qui nominatur *Sethia*, quibusdam locis *Lasti*, qui quidem montes adeò celsi sunt, ut nix tota Hieme eos operiat, tametsi cupressi hinc inde inter saxa conuallium nascantur. Et quoniam (ait Bellonius) adeò frequentes in ea sunt montes, rara sunt istic campestria. Itaque multa sunt inculta loca, quæ tamen non minorem censum adferunt dominis, quàm fertile solum, quoniam pecudes uberes pastiones isthic inueniunt. Isthic magnos greges alunt Striphocheli, arietum, & caprarum, qui illis ex caseis, & lana singulis annis magnã pecuniæ uim reddunt.

Leuci montes.

Dicta mõtes.

Insulæ qualitas.

Abundat præterea insula hæc uitibus, oleis, malis punicis, ziziphis, ficis, aliijsq; fructiferis arboribus, inter quas uastæ magnitudinis aureæ mali, citriæ, & Adami poma, quæ ferunt, è quorum fructibus succus exprimitur, eoq; dolia implentur, quæ Constantinopolim, & in alias Turcæ subiectas prouincias uehuntur; siquidem eo succo plurimum in cibis Turcæ utuntur. In primis uerò illud generosum uinum sola hæc insula producit uulgò Maluaticum, olimque Pramnium uocatum, quod plurimis in locis Europæ transportatur, præsertim uerò Venetias in maxima copia, Germaniam, Galliam, & Angliam, atque longa uectura maiorem adhuc præstantiam acquirit. Profert grana quibus panni colore rubeo intinguntur, cuius census ingens est; nec non etiam mel, ceram, caseum, quæ omnia exteris longè meliora sunt. Laudanum profert, copiosè hæc insula, quod intolerabili labore ex arbuscula *Cisto* nuncupata, qua huius regionis montes uestiuntur, colligitur, quod quidem ex primarijs medicamentis est nostra suffumigia, siue odoratos pastillos ingredientibus. Isthic etiam nascitur medicinalis herba, quæ *Dictamnos*, uel *Dictamum* dicitur soli Cretæ peculiaris, & quædam alia herba *Halimon* uocata, quæ quidem admorsa diutur nam famem prohibet præter innumeras alias herbas medicinales, quæ in montibus copiosè leguntur. Lupum, uulpem nullumuè aliud noxium animal Creta habet, nec serpentem; unde ob hanc causam magna cum securitate animalium greges, noctu in aruis pasci sinunt, præsertim ouium, & arietum *Striphoceri* ab illis appellatorum, qui erecta cornua gestant. Piscem habet Creta in littoribus admodum frequentem muli barbati magnitudine

Maluaticũ uinum.

Laudanum

Herba, quæ famem prohibet.

gnitudine alij regionibus ualdè rarum, qui *Scarus* nominatur, cuius ueteres auctores meminerunt, & apud Romanos olim in delicijs fuit, primarium locum inter reliquos pisces facilè obtinens.

Scarus piscis.

Nullum in tota hac insula fluuium nauigabilem esse affirmat Bellonius, aut qui paruam solum nauiculam ferre possit: inueniuntur tamen multi magni riui, in quibus sponte, & sine cultura colocasia crescit, atque fluuiatiles cancri inueniuntur, quorum tamen fluentium riuorum commoditas, aerisque temperies occasionem præbent incolis cultissimos hortos instruẽdi, & elegantia uineta, eaq; magna quantitate, quæ illis magnum censum adferunt. Præterea labyrinthum, qui nunc in Creta conspicitur ad radices montis Idæ, eum non esse asserit Bellonius, cuius ueteres meminerunt, quem tamen omnes Cretæ incolæ adulterino Labyrinthi nomine demonstrare cognoscunt. Namque in Latomia fuit solidi admodum, & elegantis saxi, è qua lapides diuersis locis exempti sunt cum Gortinæ, & Gnosi urbium ædificia extruerentur.

Fluuij Cretæ minimè nauigabiles

Labyrinthus Cretæ.

Incolæ olim mendaces, fraudolenti, rapaces, auari, & uinosi fuerunt, ut auctores perhibent, laboris impatientes, & nullas artes exquisitè discentes, sed ut plurimum commessationibus, & potationibus dediti, & hodie naturæ impulsu, ut scribit Bellonius, & ab ipsa pueritia Scythico arcu sese exercere solent ueterem sequentes consuetudinem. Namq; tradunt eos olim fuisse Dianæ dicatos; propterea ipsos etiam Turcas arcus iaculatione superant; quinetiam sicut olim, dextri, agiles, & strenui nunc in pugnis marinis sunt, è suisque nauiculis, quas *Squiraces* appellant, magno animo hostibus resistunt.

Incolarum mores, & cõditio.

Insignes in hac insula urbes fuere olim Cortina, seu Gortyna, Cydonia, Gnossos, seu Gnosum, & Minois Regia, ac Strabonis Geographi patria. Hodie uerò omnes huius insulæ ciuitates in quatuor tantũ redactæ sunt, quæ satis populo frequentes sunt, ac quatuor territoria sub se habent, in quibus partita est tota insula, suntque omnes sitæ ad Boream in littore. Prima est SITTIA seu Cytia, olim *Cyteum*, uersus ortum expositа, quæ pusillum nunc est oppidum, populosum tamen, & quartum Cretæ propugnaculum. Secunda est CANDIA olim *Matium*, quæ primaria, & metropolis est, & munitissima, ac uniuersæ insulæ nomen dedit. Tertia est RHETYMVM, olim Rhytimna dicta. Quarta, & ultima est CANEA à parte Occidentis, quę & ipsa munita est, & amplitudine sua Candiæ succedit, olim *Cydon* uocabatur, à qua Cotonea *Mala Cydonia* dicta sunt. Sunt præterea quindecim oppida his quatuor principalibus urbibus subiecta. Nam in CANEÆ territorio sunt oppida uulgò *Apocorno*, *Chissamo*, *Selino*, *S. Nichita*, & *Sfachaia*, in quo quidem territorio sunt 240. quos uulgò *Casales* dicunt, & 14. paræciæ Latinæ, inter quas est D. Mariæ, ubi residet episcopus, & 33. paræciæ Græcæ. CYSAMVM oppidum, quod nunc *Chysamo* uocatur, omnino ferè dirutum est, cuius tamen ueteres muri adhuc integri permanent, estque humili loco situm non procul a littore, ubi Aegæum mare ad Septentrionem prospectat.

Vrbes isthic olim insignes

Vrbes recentis Candiæ sunt quatuor.

Sittia urbs.

Candia.

Rhetymum

Canea

Caneæ territorium.

Cysamum oppidum.

SELINO

Selino castellum.

SELINO castellum in colle situ est ad maris littus ex aduerso Chysami.

Spachia oppidum.

SPACHIA, seu Sfachia oppidum maris non est percinctum, unde pagus potius apparet: situm autem est ad celsissimorum montium radices in decliui, qui olim Leuci, & nunc *della Spachia* nominantur. Arcem habet aduersus pyratas perfugij causa extructam, in qua præfectus uix commodam habet habitationem.

Rhetimi territorium.

RHETIMI territorium habet *Milopotamo* oppidum, & *Casales* continet 265. in quibus sunt Ecclesiæ Latinæ octo, & Græcanicæ 36.

Candię territorium.

CANDIÆ territorium habet oppida sub se *Maluisin, Themene, Castel nouo, Priotissa, Bonifacio, Beluedere, Pediada*, & *Mirabello*. & habet *Casalas* 465. Ecclesias Latinas 22. inter quas una est Archiepiscopalis sedes, & parœcias Græcas 77.

Sythiæ territorium.

SYTHIÆ territorium habet oppidum *Gerapetra*, & *Casales* 74. Ecclesias Latinas 6. iuter quas D. Marci est residentia Episcopi, & Ecclesias Græcas 11. Gerapetra oppidum puto esse *Vouliſmeni castrum*, olim Panormus, teste Bellonio, dictum, quod adhuc integrum est, interque Cythiam, & Candiam ad littus maris in edito situm, ad cuius latus sinistrum horrenda est maris uorago.

Status ecclesiasticus prisci temporis.

Archiepiscopatus quatuor in hac insula fuere, ut scribunt aliqui, nempè CRETENSIS, sub quo Kiroxensis, Archadiensis, Grapetrensis, Sicinensis, nunc forsan Sittiensis, Milopotamiensis, Ariensis, Calamoniensis, Agiensis, Rissanensis, ATRIDENSIS, sub quo Casensis, Scopulensis, Napronensis, Margaricensis, SOLTANIENSIS, sub quo Helenensis, Sudensis, Monouasiensis, Taurisiensis, Marrachitamensis, & VOSPRONIENSIS, cuius suffraganei Tepheliensis, Matrohensis, & Cersonensis. Hodie uerò sunt in hac Insula Patriarcha Latinus Insularis Constantinopolitanus, Archiepiscopus Candiæ, & Episcopi octo nempè Caneæ alias Agiensis, Rhetimi alias Calamonensis, Sithiæ, Terrapetrę, Chironisi, Arcadiæ, Milopotami, & Chisami.

Status Ecclesiasticus præsentis temporis.

Varium Cretę dominiū.

Præfuisse huic insulæ antiquitus fertur Iuppiter uetustissimus Rex. Fuit & Gnosius cognominatus Rhadamantus tanta integritate uir, ut tribunal ei, & iudicium apud inferos prisci uates tribuerint. Cecidit postmodum insula sub ditione Romanorum, deinde sub Imperatoribus Constantinopolitanis, atque a Balduino Comite Flandriæ, ac Imperatore Constantinopolitano fuit Bonifacio Marchioni Montisferrati tradita, a quo tandem Veneti Domini eam ingenti pecunia anno 1194. coemerunt, sed sub Henrico Dandlo duce rebellauit, iterumque anno 1343. Veneti eam suæ aditioni adiecerunt.

Creta difficiliter oppugnari pot.

Cæterum insulā hāc difficilè ui oppugnari posse asserit Bellonius testis oculatus. Nam cum ad eam (ait ipse) nullus sit aditus nisi per mare, & incōmodos habeat portus, munitior propterea est. Verum quidem est, urbium & castellorum muris cinctorum incolis non deesse commodos portus, ut in Canea, & Candia, qui commodissimi sunt pro omnium nauium generibus, atque egregiè clausi, & ab omnibus uentis tuti: sed qui pone Caneā

urbem

Portus Cretæ præstantiores.

urbem est, qui *Porto della suda* uulgò cognominatur, omnium totius insulæ commodior est. deinde etiam sunt portus in Sittia, *Vouliſmeni*, *Chisamo*, *Selino*, & *Spachia*, Rhetymum uero paulò incommodiorem, quam Canea habet portum pro nauibus, & triremibus, quoniam minoribus solum nauiculis aditus in eum patet.

INSVLÆ CIRCA CRETAM.



CIRCA ipsam Candiæ insulam nonnullæ adiacent paruæ insulæ, in quibus nil ferè aliud boni reperitur quam cuniculi, & arietes *Striphoceri* uocitati. Ex his digniores sunt GAVDOS, ad quam D. Paulus appulit.

Gaudos inſ.

CLAVDIA nunc *Gozo* ambę ad Occidentem è Regione Hernici promontorij, & DIA nunc *Stădia* è regione urbis Candiæ ad Septentrionem iacens.

Gozo inſ.

Standia.

AFRICÆ

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXIII.

AFRICAE DESCRIPTIO

vna cum Insulis ad ipsam spectantibus.

PARS terræ habitatæ in Meridiem vergens, quam nos AFRICAM, Græci LIBYAM vocant, vna est ex tribus Orbis partibus veteribus cognitis, quæ sanè ex toto ipsis explorata nequaquam fuit, tum quia in Mediterraneis ob vastissimas solitudines impermeabilis videbatur, in quibus arenosa sunt inuolucra, quibus à vento agitatis gentes periclitantur: tum etiam quia immensæ, ac periculosæ fuit nauigationis, ac proinde à paucis olim circumnauigata, multoque minus perspecta, aut propius cognita. Inter quos præcipui fuere. Hanno Carthaginiensium Dux à suis ad eam explorandam missus, & Eudoxus quidam Ptolæmeum Latyrum Regem Alexandriæ profugiens. His tamen proximè elapsis temporibus pluries à Lusitanis circumnauigata est, ac satis diligenter cognita, præsertim iuxta litus ab Herculeo freto, ad fauces fermè Arabici sinus: Primus verò, qui promontorium Bonæ spei prætergressus Africam à Meridie incognitam præternauigauit, fuit Vasco de Gama anno 1497. qui hinc ad Calecutum Indiæ peruenit, & viam ad Oriẽrales Indias aperuit non sine immenso Lusitanorum quæstu.

Africa, seu Lybia.

Africa antiquis maiori ex parte incognita.

Africa quãdo circumnauigata sit

Dicta autem fuit lingua Arabica IFRICCHIA à verbo *Faruca*, idem apud hos significante, quod apud nos diuido; cum hæc pars sit à reliquis terræ partibus separata: ab Europa quidem Mediterraneo mari, & ab Asia Nilo fluuio, vel potius mari Rubro. Sunt tamen, qui velint sic dici ab Ifrico Arabiæ Fęlicis Rege, quẽ primũ omnium hanc terram incoluisse aiunt, sed Festus eam à Græco uocabulo φρίκη appellatam uult, quod horror, seu frigus significat, quasi Africa, idest sine horrore, aut sine frigoris rigiditate, dicatur, quòd sit aperta cœlo, & arenosa, arida, ac sabulosa. Iosephus uerò ab Afro quodam ex Abrahæ posteris, alij ab Afro Herculis Libyci filio dictam uolunt; Sed LIBYA à Græcis uocata fuit, quia à Libe Rege Mauritaniæ olim fuit perdomita, apud quos Hesperia etiam nuncupatur. In sacris literis CHAMESIA ab Arabibus, & Æthiopibus *Alkebulam*, & ab Indis *Besecath* uocatur.

Africa vnde dicatur.

Libya unde dicatur.

Est autem huius forma, seu figura ad Peninsulæ instar, quæ isthmo, qui est inter mare Mediterraneum, & sinum Arabicum, seu mare Rubrum, Asiæ coniungitur, ac duplo fermè Europam excedit, tametsi habitatorum

Africæ forma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illius uix partem habeat mediam, licet itaque ſecundum longitudinem ab Occaſu in Ortum Africa breuior ſit, quam Europa aliquibus in locis; attamen in Meridiem plurimũ recedit, ut ei nullo pacto Europa conferri poſſit: hæc enim ſecundum latitudinem prope gradus 70. complectitur. Europa uero gr. tantummodo 35. hoc etiam addo, hanc uniformem magis eſſe, & capaciorem, illam uerò multiformem, & mari alicubi diſperſam, & inuolutam. Tametſi autem Africa longè capacius habeat ſolum, quam Europa, nihilominus non tam frequentis, ac commodæ habitationis eſt ut illa; nam huius tellus inhabitabilis pluribus in locis eſt, cuius rei cauſæ potiſsimum ſunt, aquarum inopia, ſolum pleriſque in locis incultum, & aut ſterilibus arenis, & inani puluere, ſeu cinere obductum, aut ſolis ardoribus cuncta exurentis obnoxium: deinde moles arenarum periculoſæ, quę dum uentis agitantur, perinde, atque in pelago procellæ fluctuant; denique venefici generis animalium, & beſtiarum tantus prouentus, ut alicubi ęgrè, alicubi nullo pacto præ illis infeſtiſſimis ager tametſi fertilis coli, aut habitari queat. Vnde uniuerſa hæc regio magis vaſta eſt, quam frequens, ſed ubi colitur eximiè fertilis eſt, ac frequentior eſt illi cultus præſertim Borealior pars, quæ Europam ſpectat, vbi olim inhabitata prorſus fuit, ut permulti aſſerũt Coſmographi, & Hiſtoriographi ſic quoq; vniuerſa ora maritima inter promontorium bonæ ſpei, & nigrum caput multas continet planities colles, valles, ac frugifera loca, & amęna, unde iſthic perpetuò uer apparet, & alibi etiam ſatis fertilis eſt, ut paſſim infra dicemus ubi de particularibus regionibus pertractabimus.

Africæ ad Europam cõparatio.

Africa cur malè habitetur.

Africæ quãtitas in uniuerſum.

Africæ ſitus cœleſtis. Æquinoctialis circulus mediam penè Africam ſecat, quæ non tam utrũque tropicum attingit, ſed ultra eos gradibus penè decem expanditur. Vnde maiori ex parte intra tropicos iam dictos, ſub zona torrida claditur, qua uel ſoli cauſa ſqualleret tot locis, & deſerram eſſe priſci crediderũt, licet hoc vaſtis potius ſolitudinibus, ſabuloſo ſolo, ac ſterilibus arenis, necnon etiam inopiæ aquarum, & fontium tribuendum rectè ſit. Quare poſſidet tria integra priora climata Borealia, & totidem Auſtralia: nam locatur inter undecimum parallelum Borealem, & inter undecimum antiparallelum, ſeu Auſtralem parallelum, qui æquè ambo ab æquatore in diuerſas partes dimouetur. Circa vero utrumque extremum maior dies eſt horarum 14. cum quadrante, & circa medium eſt horarum præcisè duodecim. At verò iuxta longitudinem occupat cœli tractum inter Medianum per gr. 4. ductum, & inter Meridianum 82. gradus longitudinis, vbi ſcilicet eſt eius maxima latitudine à capite rubeo ad caput *Guardafu*, quod eſt Aromata promontorium Ptol.

Africa cur deſerta, ac inculta.

Africæ fines Africæ fines, Leo Africanus, & alij quidam nimis anguſtè aſſignant, quippe qui Ægyptum, & Aethiopiam ab hac terræ portione excludunt. Sed melius eſt Ptol. ex parte, & moderniores ſequi, terminantes ipſam à Septentrione Mediterraneo mari, ac Herculeo freto: ab Ortu ſinu Arabico, ſeu mari rubro, ac iſthmo Aſiæ inter Mediterraneum mare, & dictum ſinum coniuncto: à Meridie ubi ad Caput Bonæ ſpei in acutiem finit, immenſo

menſo Oceano abluitur, quem Æthiopicum ex parte nominant à uicina regione id nominis: ab Occaſu uero ſupra lineam æquinoctialem Oceano Atlantico pulſatur: quem Ptolemæus occiduum, & Dionyſius Heſperium uocat, cuius etiam pars uulgò *Mar del Nort* dicitur, ſed infra lineam Aequinoctialem ab hac etiam parte mari Æthiopico exponitur.

Atlas mons Habet Africa montes plurimos, & maximos, inter quos principem tenet locum ATLAS, qui immunibus, & ſupra quam credi facilè poſſit altis iugis, è media arenarum uaſtitate conſurgens extollitur, utpote ſupra nubes, ſuum autem ab Occaſu exortum habet, ubi & Atlantico Oceano nomen imponit, inde perpetuo dorſo uariè flexus extendit ſeſe Orientem uerſus ad confinia Ægypti loca, eſt autem rotundus, arduus, inciſis undique rupibus præceps, ac inuius, frigidiſſimus, ſterilis, opacus, omnique ex parte nemoroſus, ſcatebris fontium riguus, verticem nubibus ſemper rectum habens, ſquallidus item qua parte Oceanum ſpectat, qua uerò Africam minorem proſpicit opimus eſt naſcentibus ſponte frugibus, arboribus opaciſſimis, quæ ueſtiuntur lanugine ſericis uelleribus nihilo uiliore.

Montis huius uertex altis etiam Æſtate niuibus operitur, quinetiam, & eius dorſum increſcente, Borea nonnunquam alta niue arbores ſuperante tegitur, qua non tam pecudes, quam homines interimuntur.

Fontes frigidiſsimi. Præterea fontes qui iſthic reperiuntur ſummo Æſtu frigidiſſimi ſunt, adeò, ut ſiquis manum in eis aliquandiu immerſam teneret, eam facilè examinaret, ac perderet. Præter Atlantem montes celebres ſunt illi, qui à Portugallenſibus dicuntur *Pici fongoſi*, in Meridionali parte, namque ob eorum altitudinem, ac aſperitatem innacceſsibiles ferè ſunt, qui etiam nudi, deſerti, ac omni bono carentes ſunt.

Picifongoſi montes. Præterea mons altiſsimus efformat promontorium illud, quod uulgò *Cabo de ſierra leona* dicitur, quod ad maximam diſtantiam uiſu percipitur huiuſce montis uertex ſemper nubibus obumbratur, ex quibus ſæpè tonitrua, ac fulgura emanant, unde ipſum Ptolemæo, & Hannononi Cartaginienſi Currum Deorum fuiſſe uocatum, nonnulli cenſent.

Lunæ montes. Montes Lunæ ueteribus etiam cogniti ſub tropico Capricorni locantur aſperrimi ſanè, ac incredibili altitudine, a gentibus feris, ac inhoſpitalibus inhabitati, prope quos ſunt ualles immenſæ profunditatis, adeo ut illic centum terræ eſſe uideatur. Sunt etiam *Cantaberes* montes in Angolæ regno mineris argenti opulentiſsimi, & alii etiam, quos in particulari deſcriptione recenſemus.

Zimbre lacus. Lacus aliquot immenſi iſthic ſunt, qui mare potius eſſe uidentur, quorũ præcipuus eſt *Zembre* à nonnullis vocatus inter altiſsimos montes ſitus, diſtans ab æquatore, uerſus Meridiem gradibus undecim, cuius ambitus ad quinquaginta mill. patet, ex quo quidem Ortum ducunt Nilus, Zaire,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Cuama amnes, atque in eo monstra marina esse nonnulli affirmant.

Fluuij Africæ.

Continet Africa immensos fluuios Nilum, Nigrum, Sanagam, Gambram, Zaire, Cuamam, & Spiritus sancti, qui oēs eiusdem naturæ ferè sunt, namque inundatione sua terram mirificè irrigant, ac fertilem reddunt.

Nilus.

NILVS quidem omnium totius orbis amnium nobilissimus Ægyptum diuidit, & fecundissimam reddit sua inundatione, quæ quadraginta diebus crescit, & totidem decrescit à die circiter 17. Iunij usque ad 6. Octobris, & hic fluuius post longissimum tractum per Æthiopiam, & Ægyptum in

Niger flu.

Mediterraneum mare exoneratur. NIGER fluuius regionis Nigritarū ab indigenis *Astabus* uocatur, ut Solino placet, Arabicè *Hued Nijar* dicitur Marmolio teste; *Gambram* hodie esse Iouio uidetur, & *Senagam* Cadamusto, sed utrunque decipi ex descriptione Sanuti constat, qui duos illos fluuios separatim notat, huncq; putat illum esse, qui nūc uulgò *Rio grande* uocatur. Initium habet secundum aliquos ex quodam deserto ad ortum exposito, cui nomen *Seu* est, uel à lacu quodam potius scaturit, & in Oceanum Occidentalem longo tractu fertur. Non desunt etiam, referente Ioāne Leone, qui uelint ipsum è Nilo deriuari, quem sub terra sese condere dicunt; unde tandem huiusmodi lacus nasci uidetur. Amnis is crescit ad Nili instar per 40. dies, & totidem decrescit circa idem tempus, atque sua hac inundatione tantā fertilitatem Nigritarum solo affert (quibusdam tantum montibus exceptis) ut nihil illis fructuosius excogitari possit.

Senega flu.

SENEGA, seu Canaga notabilissimus fluuius *Baratis* Ptolemeo, ut quibusdam placet uocatur, qui Nilo fluuio ob eius longissimum cursum, ac ob multiplicitatem animalium in eo cōspectorum, æquiparādus est, suo autem alueo territorium sterile, ac nudum à fertili uirentique segregat.

Senega terminus est nigredinis horum populorum.

Quinetiam homines ipsos coloris uarietate diuidit, nam qui citra ipsum inhabitant colore sunt cineritio, macri, & exiguæ staturæ, qui uerò ultra ipsum degunt nigerrimo colore infecti sunt, proceram staturam habent, corpulētiamq;, ac eleganti corporatura præditi sunt, sed circa eius ripam inhabitantes medium quodammodo statum inter hos seruant. Duobus insignibus ostijs in mari sese expandit, quorum præcipuum ad milliare dilatatur, mare autem in ipsum ingreditur sexaginta penè milliarium interuallo. Suos uerò habet fontes, teste Ioanne Barrio, tum a duobus lacubus,

Seneges fontes.

quorum maior dicitur nunc lacus Goagæ, & Ptol. sunt *Chelonidæ paludes*. Alter uerò minor. Ptolemæo est *Nubæpalus*, tum etiam à fluuio à Ptolemæo *Ghir* uocato. Mittit hic fluuius Senaga magnam piscium uarietatem, ac aquatilium animalium, ut sunt Hippopotami, idest equi marini, Cocodili, serpentes alati, & alia huiusmodi, elephantium greges circa ipsum reperiuntur, sic etiam apri leones, & eopardi. GAMBRA, seu Gambea maximus etiam fluuius inter Senagam, & Nigrum iacet, quem quidem Ptolemæi *Stachir* esse Sanutus censet, exoritur autem à Libya palude, ac à fontibus quos Ptol. Nigro amni assignat, fluuius is magnitudine, ac profunditate sua superat Senagam, multisque fluuijs barbaris augetur, Profert uerò omnia animalium genera, quæ etiam Senaga.

Gambra fl.

In

In medio huius fluuij cursu iacet insula elephantum sic ab eorum maxima copia vocitata.

Elephātum inſ.

ZAIRE prouenit ab eodem lacu, à quo Nilus emanat, hic maximus est inter Africæ fluuios antiquis prorsus incognitus, eius ostia 28. propemodū milliarib. panduntur, ubi tutus sit portus, efficit suo cursu plures, magnasq; insulas, ac multos recipiens fluuios, inter quos præcipui sunt *Vamba*, *Barbela*, *Coanza*, & *Lelunda*, per regnum Maniaconghi discurrens tandem in Oceanum Aethiopicum sese præcipitat. Ab eodem lacu, qui est uerus Nili fons, Ortum etiam ducit insignis, ac memorabilis fluuius, qui post longum tractum versus meridiem, & ortum in duos ramos diducitur, quorum borealior dicitur propriè CVAMA, atque maximus est, cum sex magnos fluuios, in se recipiat, ac nauigetur ad 700. milliaria. Alter uerò meridionalior dicitur fluuius SPIRITVS SANCTI, qui & ipse maximus est.

Cuama flu.

Spiritusſanctí flu.

Promont. Africę.

Caput bonę ſpei.

Caput bonę ſpei à quo detectum.

Sunt uerò Africæ promontoria innumera, inter quæ notabiliora, ac famosissima, numerātur Caput Bonæ spei, Caput uiride, Caput currentium, & alia quæ in particulari descriptione recēsemus. CAPVT BONAESPEI est ultimum terræ Africę ad meridiem, estque famosissimum illud promontorium, & periculosissimum, quod primum anno 1498. à Vasco Gama regnante Ioan. Portugalliæ Rege fuit eius iussu detectum; hoc caput Nautæ *Leonem Oceani* cognominarunt ob uentorum ibidem ferè semper sæuientium rugitum, siquidem Oceanus circa ipsum mirè procellosus est, sæuientibus ibi perpetuò ventis, nec vnquam nauigantes ad illud, nisi necessitate coacti appellunt. CAPVT VIRIDE illud esse quidam tenent, quod à Ptolæmeo Asinarium nuncupatur, terminaturque à duobus fluuijs Gambra, & Sanaga. CVRRENTIVM CAPVT regionis matucæ respicit extremum insulæ Sancti Laurentij, satisq; notabile est promontorium, cum circa illud nauigatio periculosissima sit, quem quidem terminum Mauri longo temporis spatio pertransire nunquam ausi fuere.

Caput currentium.

Alit Africa innumera animalium genera tum domestica, tum syluestria, inter quæ Leo Africanus multa enumerat, quæ vel in Europa non nascuntur, uel ab illis sunt aliquo pacto dissimilia, ut sunt Elephas animal docile, ac syluaticum, cuius magna habetur copia in diuersis Africæ partibus.

Animalia Africæ.

Elephas.

Giraffa. Camelus.

Giraffa adeò syluaticum, vt rarò videri possit: Camelus animal blandum, & domesticū, in quo diuitiæ Arabum consistunt: Equus Barbaricus, equus syluaticus, qui ab Arabibus deserta incolentibus comeditur. *Dant*, seu *Iant*, animal boui simile, cuius tergore clypei fortissimi conspiciuntur, Bubalus, seu bos syluaticus, asinus syluaticus. *Adimain* ad instar arietis, statura tamen asinum referens, cum auribus oblongis, & pendulis. Boues domestici in Africæ montibus exigui sunt, & si robusti ac laboris patientes. Arietes isthic cauda solum à nostris differunt, quam latissimam circunferunt, ac plus minus 20. libras pendentem. Leones hic etiam sunt, qui pleriſque in locis ducentos equites inuadere audent. Leopardi etiam robusti, & crudeles sunt, rarò tamen homini nocent. *Dabuh* animal Arabicè dictū & Afris *Ieſef*, abiectū, ac simplex est, magnitudine & forma lupo similis

Dant fera.

sed pedes & crura hominis refert, hoc autem humana corpora sepulchris euellit, ac deuorat, at generi reliquo bestiarum est innoxius. Conspiciuntur hic quoque simiæ diuersæ speciei felis zibetum emittens, cuniculi syluestres. Pisces, & animalia aquatilia isthic innumera sunt in Nigro Nilo, ac alijs principalibus fluuijs, inter quæ est Ambara prodigiosæ formæ, & magnitudinis, quippe qui interdum 25. cubitorum longiorem attingunt, aiunt hũc piscem, ambram emittere. Hippotamus bellua ad equi formam & asini magnitudinem, in aquis pariter, ac in terra degens, quæ interdum cymbas meribus onustas frequentibus dorsi giris agitando demergit. Bos marinus terrestri omnino similis licet statura sit inferior. Tartaruca testudo in desertis vitam degens, quæ ad dolij magnitudinem interdum accedit. Crocodilus lacertæ similis, longitudine 12. cubitorum circiter, & totidem cauda. Dracones crassissimi, & virulenti hic quoque conspiciũtur, & multi serpentes præsertim ceraſtæ, & aspides, hydra, *Dub* stellionis formam referens brachij longitudine, & quatuor digitorum latitudine, creat quoque basiliscum malum singulare, atque etiam locustæ per vniuersam Africam interiorem sunt infestissimæ.

Pisces, & animalia aquatilia Africæ.

Hippotamus

Bos marinus

Crocodilus

Morbis porrò permultis afficiuntur Africæ gentes, quos longum esset enarrare, sufficiat autem hoc, morbum Gallicum aliquibus in locis ualdè sęuire, vt in Barbariæ tractu, ubi raro aut nunquam pristinæ sanitati hoc morbo laborantes restituuntur, contra verò in Numidia, ac in Nigritarũ regione, & circa Atlantem paucis notum est hoc contagium, immo si quis hoc morbo affectus ad has regiones profectus fuerit ob optimam aeris harum regionum temperiem sanitati optimè absque ullo medicamento restituitur. Pestis Barbariæ gentes quolibet anno decimo, decimoquinto, aut 25. infestat, quæ tamen in Numidia uix anno centesimo accidit, & apud Nigritas nunquam accidisse ferunt.

Africani multis morbis subijciũtur.

Quinque autem nationes, seu gentes hanc orbis partem inhabitant, nempè populi Caseres, i. absque lege, Mauri, Abissini, Ægyptij, Arabes, & Africani propriè, qui sunt duorum generum albi, & nigritæ. Inter quas nationes alij sunt Gentiles, qui idola colunt: alij scholæ Mahumetanæ, alij Christicolæ, alij Iudęi, quas gentes omnes ortum duxisse à Chamo Noemi filio uolunt, præterquam nonnullos Arabes stirpis Sem, qui Africam postea ingressi sunt. Arabes autem Africam inhabitantes in plures distribuuntur populos, qui uarias habent mansiones, atque innumeras possident regiones: Nam quidam ex eis circa maritimam oram degunt, & hi Arabum nomen retinent, quidam vero in Mediterraneis permanent, & hi uocantur *Baduini*. Solent autem innumeri Arabes cum uxoribus, ac folijs uitam in desertis agere vagam, tentoria pro domibus habẽtes, qui sanè insignes sunt prædones, & incolis pariter, atque negociatoribus maximè infesti, qua ex causa uiatores, ac mercatores per Africæ deserta soli permanere non audent, nisi carauana parata, quæ est ingens caterua mercatorum camelis, & asinis insidentium, qui coniunctim iter agunt ob horum Arabum prædonum metum.

Incolæ Africæ.

Arabiæ populi uarij.

Genus

Gentes præterea Africæ vario, diuersoque prorsus idiomate loquuntur, quorum unum *Aquel amarig* vocatur, idest lingua nobilis, quæ ab Arabibus Africam incolentibus Barbarica dicitur, & hæc uera, & genuina est Afrorum lingua à reliquis omnino aliena; tametsi nonnulla habeat vocabula cum Arabibus communia. Est lingua *Sungai*, qua utuntur gentes Guabatæ, Zombuti, Ghineæ, Mellidi, & Gagonti. Idiomate *Guber* uocato loquuntur Guberi, Canontes, Chesonæ, & alij Nigritæ. Abissini suum habent sermonem proprium: Præterea isthic in usu est lingua Caldaica, Ægyptiaca, Arabica, & ex his tribus alia quædam permixta: quinetiam sermo Maurorum, Turcicus, Hispanicus, & Italicus aliquibus in locis paucis abhinc annis introductus est ab externis gentibus, quæ ibi commercij gratia commigrarunt, suasque colonias fundarunt. Omnes uerò Africæ ciuitates maritimæ à mari Mediterraneo ad Atlantem montem usque, Arabico utuntur sermone corrupto, excepto tamen Marocci regno, & Marocco oppido, quod Barbara admodum utitur lingua.

Idiomata Afrorum.

Sungai lingua.

Africæ antiqua diuisio

Africa olim Romanorum sæculo partita fuit in sex prouincias, quæ sunt PROCONSVLARIS, in qua est Carthago: NVMIDIA consularis, BIZACCIVM, TRIPOLITANA consularis MAVRITANIA CÆSARIENSIS, & MAVRITANIA sitiensis ambæ præsidiales. Quæ sanè diuisio intelligenda est de ea tantum parte, quæ Romanis ipsis paruit. Ptolemæus distribuit ipsam in duodecim regiones, quatenus suis temporibus cognita erat, tunc enim ultra lunæ montes meridiem uersus incognita fuit, quæ tamen nostris temporibus in exteriori hac Australi parte perspecta est, & cognita, licet etiam num introrsum parum lustrata sit: nam incolæ huius partis feroces, & inhumani sunt, atque in Christianos, ac extraneos perfidi; quippe qui eos tantum commerciorum gratia ad littora usque admittunt.

Ptol. diuisio.

Sunt autem regiones Africæ quas Ptolem. lib. 4. enumerat hæ: Mauritania Tingitana, Mauritania Cęsariensis, Numidia, Africa propria, Cyrenaica, Marmarica, Libya propria, Aegyptus superior, Ægyptus inferior, Libya interior, Æthiopia sub Aegypto, Aethiopia interior.

Mauritania Tingitana.

MAVRITANIA TINGITANA ditior, & pulchior est Africæ pars sic ab urbe Tingi (hodie *Tanger*) vocata. Hæc Plinio teste Borgundiana aliquando cognominata fuit. Sitiphensis prætérea, & Hispania Transfretana olim dicebatur, atque etiam Hispania Tingitana. Solino inferior Mauritania dicitur. Incolæ uero ipsi Mauri sij à Græcis, & Mauri à Romanis appellabantur olim, & hodie ab Hispanis *Alarabes* dicti sunt. Continentur autem in hac Africæ parte duo notabilia regna nempe MAROCCI regnum inter Atlantem, & Oceanum Atlanticum positum, & RESSAE Regnum.

Marocci, & Ressę regna.

Mauritania Cæsariẽsis.

MAVRITANIA CÆSARIENSIS ab vrbe Cęsarea, quæ à Claudio Cæsare nomen adepta est, nũcupabatur, hodie hæc urbs *Tiguident* i. ciuitas uetus dicitur, hæc etiam Mauritania à Victore Vticensi maior cognominatur. Strabo uero Massiliam, & Massæsyliam uocatam scribit, &

Regnum Tremisenum.

incolæ Massæsuli Plinio dicuntur. Hodie regnum TREMISSENVM continet, & Girauæ, & Nigro placet.

Numidia.

NVMIDIA antiqua, quæ Ptol. sæculo dicebatur noua, Græcis Plinio testè Metagonitis dicebatur, & incolæ Numidæ, & Nomides estque ea regio, quæ inter fluuium maiorem, & Megeradam fluuium iacet, vbi Massinissa rex imperauit. Hodie autem Numidiam intelligunt illam partem, quæ inter Libyam, & Atlantem sita est, quæ etiam *Biledulgerie*, & *Dactylifera* regio vocatur, vt Ioanni Leoni, & Marmolio placet, quod hæc sola Africæ regio dactylos proferat.

Africa propria.

AFRICA propria regio est ad mare Mediterraneum inter Mauritaniam, & Cyrea regiones, Plinio autem Zeugitania dicitur, qui eandem ueterem, & nouam partitur. Hodie TVNETANVM regnum est, occupat enim Byzacium, qui Straboni tractus est Africæ propriæ. Huius caput CARTHAGO olim erat, cuius nihil hodie præter ruinas extat.

Tunetanũ Regnum.

Cyrenaica.

CYRENE, seu CYRENAICA à Plinio Pentapolis dicta fuit, & *Lebahim* Hæbreis dicitur, *Corene* nostro tempore vocari putat, Girauа, & *Assadib*, Theuetus; sed *Mesrata*, Ioanni Leoni, & Marmolio dicitur.

Marmarica, nũc Barcha.

MARMARICA Plinio Mareotis, Libya dicitur, hodie verò *Barcha*, tam cirenaicam, quàm marmaricam complectitur.

Libya propria.

LIBYA PROPRIA Arabica lingua *Sarra*, ideſt *Desertum* nuncupantur.

Æthiopia.

VTRAMQVE ÆTHIOPIAM nunc tenent Abissini, & est Imperium Presbyteri Ioannis.

Africæ recẽs diuisio.

De ÆGYPTO in particulari tabula edisseremus.

Postremis temporibus distincta est Africa in partes quatuor, vt ex Ioanne Leone Africano, & ex alijs colligitur, quæ sunt BARBARIA, NVMIDIA, LIBYA, & NIGRITARVM TERRA. Et hi quidem Occidentalem tantum Africam accipiunt, excludentes Orientalem partem, quæ Aegyptum, & Aethiopiam continet. Vnde rectius alij partiuntur ipsam in septem principales partes, quæ sunt quatuor iam dictæ, & reliquæ tres sunt AEGYPTVS, de qua in particulari tabula pertractabimus, AETHIOPIA SVPERIOR, vel INTERIOR, & AETHIOPIA INFERIOR, seu exterior, de quibus omnibus nunc ordinatim loquemur, incipientes primò à Barbaria.

BAR-

BARBARIA PRIMA
Africæ pars.

Barbaria.

BARBARIA nobilissima totius Africæ regio, hodie uocatur totus ille tractus maritimus ab Aegypto ad fretum Gaditanum ab Arabibus occupatum, qui regiones hasce antiquorum complectitur, nempè utramque Mauritaniam, Tingitanam scilicet, & Cæsariensem, Africam propriam, Cyrenaicam, Marmaricam, & Lybiam etiam, vt opinor exteriorem. Est autem Barbariæ longitudo ab Oceano Atlantico ad Aegypti confinia, & latitudo eius à monte Atlante ad mediterraneum mare. Vnde fines eius sunt ab Ortu Meies mons, quod est extremum Atlantis punctum, ac ab Alexandria distat trecentis ferè milliaribus: ad Boream habet mare mediterraneum, & fretum Herculeum: ab Occasu terminatur Herculeo etiam freto, & transiens mare mediterraneum finitur postremis Atlantis punctis propè oppidum Messa; à meridie uerò habet Atlantem ipsum.

Barbariæ mensura.

Finis Barbariæ.

Incolæ huius partis, subfusci sunt coloris, qui BARBARI dicuntur à verbo Barbara, quod Arabicè murmurare sonat, eo quod Africanus sermo Arabibus non aliter sonet, quam belluarum uox, quæ nullo accentu suas edunt uociferationes; aliam etiam huius nominis etymologiam, vt nimis absonam relinquo, quam Leo Africanus affert.

Incolæ Barbariæ unde dicantur.

Primi Barbariæ incolæ

Hæc autem pars multis sæculis incolis nuda, extitit, sicut etiam Numidia. Vnde tradunt quidam harum terrarum incolas à Palæstinis Ortum ducere, qui ab Assiriis fugatis huc uenerint; alij dicunt a Sabæis Arabiæ Felicis populis antequam ab Assiriis, aut Aethyopibus in fugam redigerentur; alij vero à quibusdam Asiæ incolis descendisse ferunt, qui primo in Græciam bello à quibusdam illis immoto aufugerunt, & deinde in sequentibus hostibus huc appulerunt, sedemque fixerunt remanentibus in Græciam hostibus. Ferunt hos Barbaros ab initio idolatras fuisse, usque ad annum 250. ante Mahumetem natum, quo fidem Christi acceperunt regnantibus isthic Apulensibus, Siculis, & Gothis, sed tunc Arrianam sectam sequebantur, cum uero hi ab Arabibus uicti, ac dominio destituti fuissent, in Italiam partim, & in Hispaniam aufugerunt, sicque post Mahumetis mortem annis penè 200. tota hæc pars Maumetanam religionem amplexata est.

Barbarorũ religio.

Barbariæ varium dominium.

Fuit itaque Barbaria ipsa primo sub Græcis Imperatoribus, deinde sub Vandalis, postea sub Saracenis, & Arabibus, quorum idioma accepit. Nunc autem subiacet Turcarum Imperatori partim, & ex parte Seriffo principi, atque etiam nonnullas arces isthic Hispaniæ Rex possidet.

Regio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barbariæ qualitas.

Regio hæc versus mediterraneum mare ab Herculeo freto ad Aegypti fines montibus occupata est nemorosis, & omnium animalium genere refertissimis, qui etiam fruges, ac fructus satis proferunt, licet frumenti prę-uiam mittat copiam, vnde olcis incolæ maiori ex parte panem conficiunt hordeaceum. Inter hos montes, & Atlantem planities spatiosa distenditur quibusdam colliculis intermixtis, quæ feracissima est omni fructum genere, ualdeque fluuijs irrigua ab Atlante manatibus, & in mare mediterraneum sese exonerantibus. Multa enim habet promontoria, quorũ insigniora sunt ad Occasum Atlanticum, quæ sunt Caput *Non*, ad indices Atlantis quod undique scopulis, ac breuibus percingitur: caput *Boiador*, caput *Guer*, caput *Son*, & caput *Cantia*, præter multa alia versus Mediterraneum mare. Multis quoque fluuijs regio ipsa abluitur, de quibus non nihil in particularibus regionibus dicemus. Fontes isthic multi sunt, qui riuulos quosdam perspicuos procreant, ac amæniſſimos, præterea regio ipsa frigiditatis potius, quam caliditatis particeps est, unde crebro aura isthic niuem affert.

Promontoria Barbarię

Barbariæ fontes.

Populi uerò hi eosdem habent mores, quos Arabes, attamen ciuiliores magis illis sunt, ac honoris cupidi, mobiles, callidi, infideles, iracundi, iactabundi, suspitione pleni, Zelotypiæ addictissimi, præterea sunt agiles, & equestri certamine prompti, atque etiam laboris impatientes.

Incolarum mores.

Diuiditur autem Barbaria nunc in quatuor regna, seu partes, quæ sunt Regnum MAROC, Regnum FESSÆ, Regnum TELEVSINVM, seu TREMISEN, & Regnum TVNETVM, quibus quintam addit partem Sanutus, nempè BARCAE terram, unumquodq; e autem horum regnorum in plures distribuitur regiones, ut nunc narrabimus.

Barbariæ diuisio.

MAROCCI REGNVM BARBARIÆ.

Marocci regni situs.

REgnum hoc inter Atlantem montem, & Oceanum Atlanticum iacet, & ab urbe insigni id nominis denominatur, de qua postea dicemus. Regio ipsa in uniuersum abundat frugibus, ac leguminibus omnis generis; armentis, & gregibus, oleo item, melle, saccharo, cera, & lana caprina, ex qua optimi texuntur panni sericis ualdè similes, paratur hic ingens pellium caprarum copia, quæ pelles in multis partibus Europæ distrahuntur, ac à nomine loci ubi parantur, uulgò Marocchini dicuntur. Præcipui fluuij huius tractus sunt *Tensift*, & *Omirabih*, qui ab Atlante exoriuntur, & in Oceanum prolabuntur, sed *Tensift*, exoritur in Marocci territorio, atque plurimis augetur fluuijs, inter quos magni sunt *Sifelmel*, & *Niffis*. *Omirabih* uerò scaturit inter altissimos montes, quia Tedles prouincia Fessano regno confinis est. Diuiditur hoc Regnum in prouincias hasce, nempe *Heam*, *Susam*, *Guzulam*, *Marocci terram*, *Ducalam*, *Hascoram*, & *Tedletem*.

Qualitas.

Fluuij huius territorij.

Regiones regni Maroceni.

HEA

HEA regio habet ab Occasu, & Septentrione Oceanum, a Meridie Atlantem, ab Ortu uerò fluuio *Esfiualo* clauditur. Est autem, ut inquit Leo Africanus, admodum aspera, saxatis montibus, umbrosis nemoribus, & riuulis undique scaturientibus plena, inhabitatoribus mirè copiosa, & opulenta, isthic caprarum, & asinorum magna est copia; at ouium, boum, & equorum pauca quantitas; equi tamen agiles admodum, & ueloces sunt, & nulli illis adhibentur calces; cerui, capreoli, atque lepores innumeri inueniuntur, sed incolæ ab horum uenatione alieni sunt. Frumentum hic copiosè non colligitur, sicut hordeum, millium, & panicum. Fructuum autem magna est inopia non ob solum infrugiferum, sed incolarum potius ignauia, qui ut plurimum arborum culturam ignorant. Mellis autem affluentia magna est, quo maiori ex parte uescuntur, coram tamen abiiciunt ignorantes eius usum. Incolæ pane uescuntur hordeaceo non fermentato, nec in furnis excocto, interdum uerò cibum sibi ex farina hordeacea lacte, & oleo uel butiro paryant, apud hos nullus mensarum, & mapparum usus. uestiuntur pannis ex lana ad straguli modum confectis, caput uerò pannicello quodam ornant, remanente tamen superiore parte nuda, pileum non nisi senes aut docti uiri gestant, subuculas non habent, lecti uice culcitra pilosa utuntur, in quam sese inuoluunt. Barbam radere solent antequam nubant, sed uxorati prolixiorem gestant. Præterea artibus, & litteris parum uacant, & uix aliqua uirtutis umbra apud hos reperitur, nullos habent Medicos, aut Chirurgos, nisi eos qui pueros circuncidunt, perpetuo autem bello, sed intestino uexantur; Iustitiæ nullus planè inter eos cultus, ciuitates paucæ apud hos sunt, sed pagi uici, & castra munitissima, maximo numero reperiuntur, quæ tamen omnia ferè calamitates passa sunt ob bella cum Portugallensibus præteritis temporibus gesta.

Hea regio.

Incolæ hæc regionis.

SVSA regio terminatur ab Occidente mediterraneo mari, a meridie deserto arenoso, a Septentrione Atlante, & extremo Heæ oppido, & ab Ortu fluuio Sus, a quo regio nomen sumit, claud:tur. Regio ipsa frumento, hordeo, omnibusque leguminibus feracissima est, & quibusdam in locis saccharum satis copiosè profert licet incolæ illud, neque coquere, neque parare probè sciant, fructus etiam alicubi proueniunt, ut sunt ficus, uuæ, persica mala, & dactyli etiam, nam multa sunt loca palmis refertissima, licet ipsos dactylos magni ualoris non proferunt: oleo caret, quod tamen aliundè aduectum hic defertur. Aurifodinæ isthic in *Ilalemo* monte sunt, propter quas incolæ inter sese perpetuum gerunt bellum. In littore quoque maris magna electri copia inuenitur, quæ inde a Lusitanis, atq; alijs exteris exportatur in alias regiones, quod quidem electrum uilissimo pretio coemunt. Præcipuum huius regionis oppidum est TARODANTVM satis amplum, ac ab antiquis Africanis conditum. Iacet autem in ualle sexdecim milliaribus tam in longitudine, quàm in latitudine extẽsa saccharo, & aliis rebus ditissima, hoc autem oppidum hodie ualdè celebre est, namq; in eo Angli, & Galli metalla in saccharum commutant.

Susa regio.

Qualitas eius.

Tarodãtum oppidum.

MAROCCI TERRA, seu regio particularis, figuram refert triangularem

Marocci terra.

larem cuius fines sunt ab Occasu mons *Nifisa*, ab Ortu mons *Hadimeus*, a Septentrione autem in eum usque locum extenditur, ubi notissimi fluuii *Tensiftum*, & *Asifinual* coniunguntur. Est autem (referente Leone) omnino amœnissima, multiiugis armentorum pecudum, atque ferarum generibus abundat: ubique herbida, rerum omnium quæ ad uictum cõueniunt, quæ naribus adblandiuntur, quæ oculos pascunt, feracissima. Perpetua penè planicies, Longobardiæ non admodum dissimilis; montes, si quos habet, frigidissimi, atque steriliſsimi sunt adeò, ut nihil aliud, quam hordeum producant. Plura continet oppida satis munita, quæ tamen præteritis temporibus a Lusitanis, qui hanc regionem quotidianis incursionibus diuexarunt, multas calamitates passa sunt, sed inter cætera MAROCCVM olim ampliſsima, & famosissima fuit urbs, & inter maximas totius uniuersi connumerata, quæ 100. millia familias numerabat, hæc autem in spatiosissima, & amæniſsima extructa est planitie, & ab Atlante milliaribus 14. distat. Hanc Bocanum Hemerum Ptolemæi fuisse plerique tenẽt. Fuerunt olim hic innumera, ac miranda Templa, collegia, hypocausta, hospitia, & ædificia omnis generis sumptuosissima, & inter cætera rerum naturalium studia hic maximè florebãt, sed urbs ipsa ad summam deuenit calamitatem ob frequentes Arabum diuexationes, & uix tertia urbis pars incolas habet.

Qualitas cius.

Maroccum urbs.

GVZZVLA regio ad Occasum *Ildam* habet montem ad Susam, attinentem, à Septentrione Atlanti adhæret, ad Ortum *Hea* regioni iungitur. Mittit hæc regio hordeum copiosissimè, & pecudes innumeras, & habet æris & ferri fodinas, unde hic conficiuntur ænea uasa, quę aliunde exportantur, & in uarias res commutantur. Oppida, & castra hic muro carent, & pagi sunt latissimi, atque ditissimi, & in uniuersum tota regio incolis refertissima est, qui tamẽ feri sunt, & pecuniæ egentissimi, inter quos perpetuum exardet bellum, nullum tenent regem, uel ducem, semel in anno apud hos sunt nundinæ, quæ duobus durant mensibus, quo tempore omnes illius regionis mercatores ad mercatum confluere solent, necnon etiam, & ex Nigritarum regione, tuncq; uictum omnibus gratis præbent, atque inter eos fiunt induciæ.

Guzzula regio.

Duccalæ fines.

DVCCALA regio, ut ait Leo Africanus, suum ex Occidente à *Tensifto* fluuio principium sumit, terminatur ad Septentrionem mari Oceano, ex meridie flumine *Habiel* clauditur, atque ad Occidentem Solem fluuio *Hammirabih* finitur. Huius longitudo iter est trium dierum, latitudo uerò plùs minùs duorum. Incolis est frequentissima, qui rudes sunt, & ciuilitatis, atque humanitatis plus satis ignari. Paucas habet ciuitates muris cinctas. In hac autem regione nonnullas olim tenuerunt artes Portugallenses in ora maritima nempe *Azafi Azaamurum*, & *Elmedina*, quæ huius regionis propemodum caput est, atque in mediterraneis aliquot pagos, ex quorum prouentu magnam equitum copiam alebant, quibus perpetuò Marocci regnum infestabant.

Mensura.

Elmediana caput regionis.

HASCORA regio ad Septentrionem Duccalæ confinis est, ad Occasum

Hascoræ regiones fines.

sum finitur *Fensifto* fluuio, & ad Ortum fluuio *Quadelhabit* à regione Tedeletes discriminatur. Affluit mirum in modum oleo, & caprarum gregibus quampluribus è quarum pilis panni conficiuntur, qui uulgò dicũtur *Ciambelotti*, ex illarum uerò pellibus parantur coria illa, quæ dicuntur Marocceni, quorum hic maxima paratur copia: agri fœcundissimi, ut plurimũ sunt, & multi sparsim reperiuntur horti amœnissimi omni fructuum genere repletissimi; Mala item aurea ad immensam altitudinem excrescunt, & uineæ uuas proferunt subrubras, quarum grana oua gallinacea æquãt: mellis item isthic magna est copia, ficus hic ubique copiosa, & iuglandes spectatæ altitudinis reperiuntur, quibusdam etiam in locis sunt ferrifodinæ. Incolæ uerò multo ciuiliores sunt incolis Duccalæ. Multa ad regionem hanc attinent oppida opulentissima, satis populo numerosa.

Qualitas.

Incolarum mores.

Tedles regio.

TEDLES regio non adeò ampla est ab Occidente terminatur fluminibus *Serui*, & *Ommirabih*, ad meridiem Atlanti contigua est; ad Septentrionem uerò ibi terminatur, ubi fluuius *Serui* in fluuium *Ommirabich* prolabitur, unde regio ipsa triangulari forma clauditur. Sunt in ea nonnulla oppida ditissimis mercatorib. repletissima, & ciuibus liberalissimis, ac humanissimis; fœminæ lanificio ualdè excellentes sunt, quæ alicubi albissimæ sunt, ac multo argento ornatæ incedunt. Ager omnis generis frugibus, & colles hordeo, atque capellis abundant.

FESSÆ REGNVM BARBARIÆ.

Fessani regni fines.

IOc regnum ditissimum, & potentissimum est, & ab Occasu mari Atlantico terminatur ubi a Fluuio *Omirabih*, & urbe *Azamor*, ad oppidum *Zanger* extenditur: à Septẽtrione freto Herculeo, ac mediterraneo partim mari, partim Atlantico clauditur: ab Ortu *Muluia* fluuio finitur, qui Ptol. Malua uocatur, a meridie autem Marocci regnum contiguum habet: regnum ipsum multi fluuii irrigant, quorum aliquot nauigabiles sunt, inter quos præcipui sunt *Subu* & *Luccus*. SVBV antiquis Subur uocatus originem ducit ex maximo fonte in horrida sylua *Selilgi* montis *Cheuz* prouinciæ, atque multos recipiens fluuios per longum tractum discurrit, & lato simul, ac profundo ostio in Oceanum sese exonerat, ubi naues etiam magnas recipit. LVCCVS fluuius Ptolemæo Lissus dicitur, & ex Gumuræ montibus originem ducens in Oceanum labitur, in eius ostio sita est ciuitas *Haraidos*, cuius portus ingressu difficillimus est. Diuiditur uerò regnum hoc in septem regiones, quæ sunt *Temesna*, *Territorium*, *Fessæ*, *Asgara*, *Elhabata*, *Errisa*, *Garetum*, & *Elchausum*, seu *Chauz*, quas omnes particulariter describemus.

Fluuij Fessæ regionis Subus flu.

Luccus flu.

Regiones Fessæ.

TEMESNA regio incipit à fluuio *Ommirabih* uersus Occasum, & extenditur ad Ortum uersus *Buragragum* fluuium; à meridie finitur Atlante monte, & a Septentrione Oceano mari. Perpetua est planicies, ut scribit

Temesnæ regionis situs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribit Leo,patetq; in longũ ex Occidente Orientẽ uersus 80.ferè passuũ mill.ab Atlante aũt ad Oceanũ usq; 70.circiter numerantur milliaria. Fuit semper hæc regio totius Africæ caput, in qua olim numerabantur oppida plus minus 40.castella uero 300.q̃ incolas oĩs generis habuit: sed ob bella, q̃ ibi magnopere sęuierũt,ciuitates oẽs & oppida deleta sũt & tota prouincia depopulata. Sed tãdem iterũ reuiuiscere cępit postremis his tẽporib. ut regẽ Fessæ parũ timeat, equites enim 60000. circiter numerat, & oppida propè 200.continet. FESSÆ territoriũ à fluuio *Buragrago*,uersus Orientem extenditur usq; ad fluuium *Inauem*, quod spatium centum ferè mill. habet,a Septentrione fluuio *Suba*, a meridie Atlantis indicibus clauditur. Ager tam frugibus, fructibus, atque armentis abundat, ut nulli planè cedere uideatur. & Pagi hic ubique adeo magni sunt,ut oppida potius referant, præsertim in collibus, nam planities parum habitata est ob bellorum calamitates, quæ præteritis temporibus acciderunt, ubiq; tamen uites, olea, & fruges optimè proueniunt. Numerantur nonnulla oppida in hoc agro Fessano,sed ipsa vrbs FESSA, quæ & regioni & Regno nomen dedit totius Mauritaniæ metropolis est. Hanc putat Niger fuisse Tamusigam Ptolæm. sed longè decipitur, atque potius Volobitim Ptolæm. esse cum Reucero,& alijs credo. Hæc autem vrbs pulcherrima omnium totius Barbariæ est, ac populo frequentissima, atque muris egregiè percincta, cuius maximam partem montes,atque colles occupant, nec nisi in eius meditullio planities reperitur. Interluit ipsam fluuius *Fez*, qui urbi nomen dat. Sunt autem in ea ædificia innumera mirandæ magnitudinis, ac pulchritudinis, ut sunt templa,collegia,hospitia,Xenodochia,& alia huiusmodi: nã domus ut plurimũ elegantissimæ sunt,ac ex lateribus depictoq́; lapide cõfectę. Templa & Oratoria sunt huc 700.ferè,inter quæ sunt propè 50.magnifica, atq; sumptuosissimè extructa. Summum uerò templũ Carrauuen appellatur,cuius circuitus sesquimilliare cõplet,& 31 uisendæ magnitudinis,ac altitudinis portus habet: in hoc templo singulis noctibus 900.lucernæ accendi solent,ibidẽ etiam sunt luminaria ex ære cõflata,quæ 1500.capiunt lucernas,& alia mirabilia,recipit autẽ hoc templũ quotidie 200.aur. prouentũ. Sunt præterea in hac urbe duo celeberrima studiosorũ collegia præter multa alia, pro quorũ uno solum extruendo ferũt Regẽ *Habu Henon* 480.aur.mil.consumpsisse,namq́; isthic disciplinę humanę magnopere florent:multa quoq; reperiuntur in hac urbe Xenodochia, & balnea, quæ structura,& elegantia haud prædictis collegijs cedunt:hospitia sunt etiam ferè ducenta,& molarũ multa millia hic reperiuntur:artifices item & officinæ omniũ generũ ibi innumerabiles penè sunt: mercatorũ porrò statio muris percincta est,12.in ambitu habẽs portus,ac in 15.uicos partita est.Nõ longè ab hac urbe,quę FESSA VETVS dicitur,utpote ad milliaris spatiũ, iacet alia urbs,quæ FESSA NOVA vocatur,duplici percincta muro altissimo,ac fortissimo. AZGARA regio a Septent.Oceano abluitur,ab Occasu ad fluuiũ usq, *Buragragum* extenditur, Orientale latus claudunt montes *Gumaræ,Zaronij*, & radices montis *Zalagæ*, a meridie uerò fluuio *Bunaza* finitur.

Fessæ territorium.

Agri Fessani cõditio.

Fessa urbs.

Fez flu.

Fessa noua.

Azgaræ regionis situs

finitur. Extenditur autẽ in longum mill. 80. & in latum ferè 60. Mediam autem præterfluit fluuij *Subu*. Est autem omnino plana,optima aeris temperie gaudens, fertilissima equis,& pecoribus adeò abundans, vt non modo Fessæ his abundè prouideat, verum omnibus Gumaræ montibus; rara isthic sunt nemora, sed tamen capreolorum, atque leporum magna copia, magna est etiam hic gossipij affluentia. Fuerunt isthic olim oppida,ac arces q̃plurimæ,sed bellorum iniuria maior pars deleta est. Incolæ Arabes sunt, diuites,circa uestitum curiosi, & bello præstantes, parentq́ue Regi Fessæ. Oppida eius præcipua sunt *Larissa,& Cæsar Elcabir*,hoc est Regiũ palatiũ.

Regionis qualitas.

Oppida Azgaræ.

HABAT, seu Elabat regio terminatur à Septentrione Mediterraneo mari,ab Occasu *Algaræ* paludibus,à Meridie *Suarga* fluuio, ab Ortu vero montibus Herculeo freto vicinis. Huius longitudo est 80.longitudo centum mill. Regio hæc fœcundissima, ac frugum omnium affluentia beata est,licet olim multò celebrior,ac fœlicior fuerit, propter antiquissimas ciuitates tum à Romanis tum à Gothis extructas, multis autem fluuijs ipsa regio irrigatur, atque in ea præstantiores vrbes oppida sunt ARZILLA, seu AZELLA spatiosa satis, ac ab Herculeo freto 70.circiter milliaribus distans TINGIS, seu TANGER ampla, & antiqua ad Oceani litus posita,& ab Herculeo freto 30. mill. distans. SEPTA, seu SEVTA maxima ciuitas ad fauces Herculei freti, quę olim totius Mauritaniæ metropolis fuit,ac Hispaniæ æmula, quæ quidem tres ciuitates sub Regno Portugalliæ sunt. Sunt in regione hac montes fertilissimi, & populo numerosissimi, quorum nonnulli sunt visendæ altitudinis,ac accessu difficillimi.

Habat regionis situs

Mensura Conditio.

Oppida præcipua.

Arzilla op.

Tãger opp.

Sépta ciuitas.

Montes Lauijs tractus

ERRIFA regio incipit non procul ab Herculeo freto,& ad fluuiũ usq; *Nocor*,seu *Hoccore* ad Ortũ extenditur ad Septent. prima sui prole,ut testatur Leo,terminatur Mediterraneo mari,uergitq́; meridiẽ uersus ad eos vsque montes, qui Fessæ territorium respiciunt. Est aũt huius longitudo circiter 140.mil. & latitudo 40. Estq́;ipsa regio,ut scribit Leo,prorsus aspera, frigidissimis montib. plena,in quib. uetustissimæ sunt solitudines arborib. elegantissimis,ac rectissimis refertissimæ,frumentũ non producit,tametsi uinearũ ficuũ,oliuarũ,ac amygdalarũ magnã hẽnt copiã: rara præterea hic sunt armenta: bona aũt caprarum,asinorum, atq; simiarũ multitudo in ijs mõtib. reperitur. Oppida isthic rarissima sunt, pagi uerò frequẽtissimi,incolę validissimi sunt inculti tamẽ & rudes,atq;potarionib.plus satis dediti.

Errifæ reg. fines.

Mensura eius.

Regionis conditio.

GARETI regio incipit ab Occasu a *Medulo* flumine,& ad fluuiũ *Muluia*,ad Ortum terminatur,a meridie montes ipsum a desertis Numidiæ separant,à septentrione autem ad mediterraneum mare extenditur. Huius autem longitudo est 50. latitudo uerò 40.est mill. Ager referente Leone, fragosus, incultus,atque aridus, Numidiæ deserto non admodum natura dissimilis: ipsa autem regio maxima sui parte incolis nuda ferè est,postquã Hispani duas eius urbes præcipuas sibi occuparunt, quæ sunt Medela, & Chesasa. Ad regionem hanc pertinent deserta quædam,quæ a mari Mediterraneo incipiunt, & ad desertum *Chaus* extenduntur, & inter *Muluia* fluuiũ,& montes,quorum quidẽ desertorũ longitudo est 60.mill.& lat. 30.

Gareti regionis situs

Mensura.

Qualitas.

Deserta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deserto hæc arida sunt,& aspera, & aquis destituta, in quibus multa sunt animalium genera, sicut in Lybiæ desertis.

Chaus regio.

CHAVS ultima Fessani regni regio continet terttiam ipsius ferè partem namque longitudine 190. milliaribus patet, nempe a fluuio *Zha* ad Ortum,ad fluuium *Gurguigara* ad Occasum: latitudinem uerò mil. 170. habet. Nam omnis ea At antis pars,quæ Mauritaniam respicit,ut ait Leo,huius regionis latitudinem præbet,complectitur & bonam planiciei, atque montium partem,qui Lybiæ confines sunt. Regio maiori ex parte aspera est, ac indigens,quam tamen bellicosæ gentes inhabitant. Præcipua loca huius tractus sunt *Dubdu* oppidum antiquum & *Teza* maxima nobilis,atque opulentissima urbs,quæ ciuium frequentia,& opulentia tertium in tota regione sibi occupata locum.

Oppida huius regionis.

TELEVSINVM REGNVM, SEV Tremisen Barbariæ.

Tremisen regnum.

HOc regnum ab occasu fluminibus *Za*, & *Maluia* terminatur: a Meridie Numidiæ deserto: ab ortu fluuio *Maiori* uocato: a Septẽtrione autem mediterraneo mari pulsatur. Hæc regio MAVRITANIA CAESARIA olim nuncupata fuit: cum à Romanis occyparetur, cuius longitudo ab Oriente in Occidentem patet 380. mill. latitudo uero angusta est,quippe quæ 25. mill. non excedit,à mediterraneo scilicet ad deserta Numidiæ: unde maximè Arabum illa deserta incolentium continuis uexationibus expositа est. Quo fit ut semper hi Reges muneribus,& tributis Numidarum amicitiam quærere conati sint,licet nunquam insatiabilem illorum cupiditatem explere potuerint. Huius porrò regiones (ut ait Leo Africanus) pars maxima inculta est,arida,atque aspera, eaque præsertim parte,quæ meridiem respicit. Maritimi autem agri aliquantulo fertiliores,atq; fœcundiores sunt. Qui oppido *Telensino* circumiacet tractus,nemorosus est,nisi quod in ea parte,quę ad Occidentem mare respicit,montibus est refertissimus. *Tenez* quoque, atque *Alger* regiones montes habent omnium rerum affluentia fœcundissimos. Rarę in hac parte urbes,raraque castella, fœlicissima tamen, atque maximè frugifera: hæc ille. Metropolis huius regni est TELENSINA urbs amplissima quidem, & quæ olim 16. millia familias numerabat, nunc uerò ad maximam tenuitatem ob bella redacta est. Duos nobilissimos,atque frequentissimos habet hoc regnum maris portus, & oppida. *Horami*, seu *Oraniæ*, cum arce munitissima, & *Marsæ Eltabiri*, ad quos maxima solet confluere mercatorum copia,præsertim ex Italia,qui ambo ab Hispanię Rege prę teritis temporibus occupati fuere non sine illius regni maximo incommodo. Ad hoc regnum Tremisenum pertinebat olim GEZAIR urbs, seu ALGIRA, quæ uulgò *Algier* dicitur, spatiosissima quidem, & muris elegantissimis,atque munitissimis percincta, quæ à Zelensino Rege defecit,& Bugię Regi primum,deinde Ferdinando Hispaniæ Regi tributa persoluebat, posteaque à Barbarossa pro Imperio Ottomano armis usurpata fuit ipseque Prorex ipsius ciuitatis uocabatur, atque etiam num sub Turca manet, qui ibi Proregem mittit. Unde his postemis temporibus valdè celebris,& ditissima facta est maximè,quia est piratarum receptaculum, qui perpetuò mare nostrum infestãt,atque inter cætera numerantur nunc in ea 25. ferè millia Christianorum mancipia. Est autem ab ipsis Turcis adeò nunc muris,arcibus,& bombardis munita,ut sit penè inexpugnabilis. Hanc cum Castaldo opinor fuisse saldè Ptolemæi licèt doctissimus Ortelius cum Mercatore putet. Salde Ptolom. nunc esse *Tadelis*. Iouius censet esse Iuliam Cæsaream, & alij Cirtham.

Regionis qualitas.

Telensina urbs.

Portus huius regni.

Algira urbs

REGNVM TVNETANVM Barbariæ.

Tunetani regni situs.

TVNETANVM Regnum complectitur totum terræ tractum à *Maiori* fluuio, quem Audum Ptol. esse puto, usque ad Mesratæ regionis amnem. Continet autem totam illam regionem, quæ antiquis AFRICA PROPRIA, seu MINOR vocabatur, atque etiam NVMIDIAM ANTIQVAM. Hic autem terræ tractus satis fertilis est,ac frugibus pecoribus aptissimus, arboribus fęcundissimus, Præsertim ad Occasum, nam ad Ortum sterilis potius est & aquis inops. Incolæ corpore sani sunt, laboris patientes, & qui ut plurimum ad perfectam senectam perueniunt, nisi morte uiolenta pereant, siquidem rarò ægritudinibus naturalibus uexantur, easque parum timent. Huius nonnulli partes,seu regiones faciunt quinque,quæ sunt *Bugię* regio, *Constantinæ* regio, territorium *Tunetanum*, *Tripolitana*, & *Ezzab*.

Qualitas.

Regiones Tunetani tractus.

BVGIÆ regio incipit à Fluuio *Maiori*, & extenditur ad montes usque Constãtinæ,iuxta Mediterraneum mare,quod spatium est propè 150. milliarium: secundum verò latitudinem occupat 40. ferè milliaria. Regio ipsa alicubi amœna, & fera tam fructuum, quàm Segetum, alicubi uerò inops: oppida habet nonulla satis populo frequentia, inter quæ sunt *Necaus* in Numidiæ confinio, & *Chollo* ad Mediterraneum mare. Sed BVGIA principalis urbs est, quæ Regioni nomen dat. Est autem antiquissima, ac a Romanis in costa excelsissimi montis iuxta mare condita, quam *Thobuacam* Ptolemæi. Fazelus esse putat, Sabellicus *Vzicat*, Sanutus *Salde*, sed Castaldus,cui magis assentio propter situm *Igilgile*. Fuerunt hic olim ædificia, templa, & collegia sumptuosissima hospitia. Præterea xenodothia,atque monasteria ad illorum ritum composita,& arx quoque munitissima; ciues olim fuerunt ditissimi delicijs dediti, & Hispanis molestissimi, qui triremibus, ad hoc instructissimis utebantur, sed urbs ipsa a

Qualitas.

Bugia urbs.

Petro Nauariẽsi expilata fuit anno 1508. Vnde,& ipsi incolæ ad miseriam ferè sunt redacti. Territorium huius urbis frugibus non est idoneum, fructus tamen perfectissimos profert. Sunt in hac regione montes asperi, ac eminentes nemoribus,ac fontibus refertissimi,cuius incolæ diuites, nobiles,ac liberales sunt,apud quos sunt innumeri hirci,boues, & equi. Antiquus est iis mos pingendi supra maxillas crucem nigram.

Montes huius regionis

Constantina vrbs.

CONSTANTINA regio iacet inter Constantinæ mõtem, in confinio Bugiæ situm, & inter territorium Tunetanum, iuxta fluuium *Guadilbarbar*. Vrbs præcipua est CONSTANTINA, quam Marmolius putat fuisse *Culcuam* coloniam in Numidia noua Ptolemæi, Iouius tamen, Oliuarius, & alii censent fuisse potius *Cirtam* Regiam Massinissæ, quam Ptolem. *Iuliam* cognominat. Habet ipsa urbs muros munitissimos, altissimos,antiquissimos,atque elaboratissimis lapidibus compositos, rupibus altissimis maiori ex parte percingitur. Familias habet nunc circiter octo millia, ædificiis partim sumptuosissimis ornatur, & mercatoribus affluit,qui pannos, & lanam uendunt,oleum, atque sericum, & telam, ac alia quamplurima,quarum maiorem partem dactylis,& mancipiis commutant præsertim aũt cum Numidiæ populis negociantur. Agrum habet perbonũ, ac frugib. feracissimum. Extra ipsam urbem egregia uisuntur ędificia,eaq; antiquissima,inter quæ est arcus quidam triumphalis Romano more. Sunt ẽt non longè ab ipsa urbe fontes aquæ calidæ. Est quoq; in hac regione urbs.

Bona vrbs.

BONA a Romanis condita, longè à Mediterraneo mari milliaribus centum, quæ celebris est ob D. Augustinum,qui ipsius urbis Episcopatum tenuit, ad hanc Tunetani Gerbenses, & Genuenses commercii causa quotannis confluunt,ubi maximam frugum,atque butyri copiam emunt. Ad hãc urbem pertinet planities spatiosissima,ac frugibus gerendis felicissima, cuius longitudo 40. & latitudo 25. milliaria complectitur.

Tunetanum territorium Hipponitis stagnum Lacus regionis.

TVNETANVM territorium iacet inter fluuium *Guadilbarbar*, quem puto esse antiquis Hipponicis stagnum, qui ubi Constantina regio extenditur, & inter fluuium *Capes*,qui lacus efformat nonnullos aquarum calidarum,atque antiquitus Tritonis erat palus. Est autem hæc regio nũc ualdè celebris, ac illustris ob urbem TVNETANAM, quæ olim toti regno præerat; sicut etiam antiquorum tempore fuit ob famosissimas urbes isthic existentes,ut dicemus. Sunt aut hic quamplures urbes præstantes,ac oppida,quarum præcipuæ sunt hæ: TVNETVM, seu Tunes, uulgò *Tunisi*, quæ Themisa, seu Thunisa Ptol. est, & hæc autem à principio angustissimum fuit oppidulum, sed posteaquam Carthago fuit delera mirũ in modũ ædificiis, & incolis augeri cepit, ac locupletari, adeò ut hoc tẽpore principẽ obtineat locũ in toto hoc tractu numerat n. circiter 10. mil. familias,& habet in circuitu 5. milliaria. Ad hanc urbem Genuenses, Veneti, innumeriq́ue alii mercatores negociandi causa sese conferunt.

Tunetanũ vrbs.

Incolæ autem non adeò diuites sunt præsertim nobiles propter frumenti, omniumq́ue frugum caritarem,nam agrum circa urbem colere,ut plurimum nequeunt ob crebras Arabum incursiones, quo fit ut illis frumentum

tum ex aliis regionibus aduehatur; sunt tamen hi campi circa urbem ab omni parte ad quatuor, uel quinque milliaria oliuis copiosissimi, ex quibus oleum abundantissimè colligunt, cuius bonam quantitatem ad Aegyptum mittunt. Non longè a Tuneto ad fretum cuiusdam stagni longitudinis decem milliarium per quem proficiscitur Tunetum,sita erat arx GOLETTAE, quæ olim ab Imperatore Carolo V. capta fuit.

Goletta arx

CARTHAGO urbs huius tractus antiquissima, atque olim totius Africæ caput 72. annis ante Romam a Phœnicibus, ut pleriq́ue putant, condita fuit. Huius ambitus ferunt quidam extitisse 22. milliarium,& tota fermè mari cingebatur,in huius medio extabat arx, cui BYRSA nomen erat, quæ paulò amplius quam duo millia passuum tenebat. Hæc habuit principes potentissimos, qui non solum maiori Africæ parti imperarunt, sed, & Hispanicæ oræ a freto ad Pyrenæum usque, quæ postea urbs a Scipione capta,& incensa 7. diebus continuis arsit anno scilicet 602. post Romam conditam, sed a Cæsare iterum restituta (colonia,scilicet ibi deducta) refloruit, a quo etiam tempore multas calamitates passa est a Vandalis, Gothis, & Saracenis adeò, ut hoc tempore uigesima tantum eius pars habitatores habeat, neque supersunt nisi tantum muri reliquiæ, aquæductus aliquot,atque antiquissima nonnulla ædificia. Dicunt quidam hic reperiri 25. circiter mercatorum officinas, & 500. circiter domos, quæ tamen sunt uilissimæ. Incolæ miserrimi sunt, ac multa superbia inflati.

Carthago.

Byrsa arx.

BISERTA quoque, seu *Benfart* ciuitas antiquissima est ad Mediterraneum mare,cui uicinus est fluuiolus, qui etsi arctissimus in principio sit, attamen paulatim fluendo mirum in modum augetur: mittit hic fluuius magnam piscium copiam; isthic est maris portus magnarum nauium capax. Volunt quidam hanc urbem fuisse *Uticam* Ptolemæi, quæ secundum locum olim post Carthaginem obtinebat. Fuitq́ue illustris ob Catonis mortem, quæ tamen a Romanis fuit destructa. Est etiam hic *Cairoan*, seu *Caroen* amplissimum oppidum in arenosa, ac deserta planitie extructum, quod sanè percelebre est ob studia præsertim uiris prudentiæ,& ob superstitiones Arabum, quæ ibi obseruantur.

Biserta vrbs.

Cairoen oppidum.

TRIPOLITANA regio exordium sumit a fluuio,& sinu *Capes*, usque propè *Mesratum* regionem ultra Tripolim urbem. Volunt multi hanc regionem olim produci ad Septentr. antequam a mari submergeretur,unde incolę calamitatem maris fugientes continuo recesserunt uersus Meridiẽ. Regio hæc multis in locis dactylis olim refertissima est, fructibusq́; omnis generis,sed tamen frugibus omnibus est infeliciſsima, hordei tamen profert aliquam copiã. Sunt isthic multæ urbes & oppida,inter quæ TRIPOLIS noua principẽ obtinet locũ,quę propriè dicitur TRIPOLIS BARBARIAE,extructa autem est post excidium antiquæ Tripolis in arenoso campo, in quo dactylorum satis bona prouenit copia, licet frumenti maximè inops sit. Vrbs hęc his postremis temporibus celebris est ob piratas ibi degentes qui perpetuò Italię oram uexant,cum prius negociis maximè afflueret,nãq; isthic Veneti,Genuense,Siculi,& alię gentes nauib. appellebãt.

Tripolitanę regionis fitus.

Qualitas.

Tripolis Barbariæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ezzabæ regionis situs

EZZABA vltima Tunetani regni regiuncula iacet ultra Tripolitanam regionem versus Orientem. Complectitur autem nonnulla oppida; prouincias, atque campos, in quibus omnibus fruges, vt plurimum non proueniunt, sed solum oliuæ, dactyli, alijque plures fructus. Præcipua huius tractus prouinciola est *Mesrata*, iuxta Mediterraneum mare centum ferè milliaribus a Tripoli Barbariæ distans, quæ pagos complures cum in planitie, tum in montibus continet, quorum habitatores ditissimi ut plurimum sunt, neque ullum persoluunt tributum.

Mesrata prouinciola

BARCÆ TERRITORIVM, QVOD est quinta Barbariæ pars.

Barcæ territorium.

BARCÆ, seu BARCHÆ, vt alij scribunt, territorium, seu desertum a finibus Mesratæ, usque ad confinia Ægypti producitur, continetque tum CYRENAICAM regionem antiquorum, quæ olim *Pentapolis* dicebatur ob quinque urbes in ea contentas, quæ fuere Cyrene, Berenice, Arsinoe, Ptolomais, & Apollonia, quarum ne uestigia quidem hodie patent: atque etiam MARMARICAM regionem antiquorum, quæ *Ammoniaca* quoque uocabatur ob Templum Iouis Ammonij oraculis celebre. Huius regionis longitudo patet milliaribus mille, & trecentis, latitudo uerò ducentis. Est autem in uniuersum satis aspera, desertaque, ac aquis, frugibusq; infœliciſſima, maximè ulterior plaga in meridiem, quæ arenis, & solitudinibus squallet, inter quas sparsim inhabitant gentes aliquot miserrimæ, ac famelicæ, ceu in insulis quibusdam longissima intercapedine admodum inter se remotis maritima autem magis culta, & frugifera sunt præsertim intra quindecim milliarium latitudinem.

Regionis mensura.

Qualitas.

Incolarum conditio.

Incolæ insignes sunt prædones, atque cæteris atrociores. Frumentum ac alia ad vitam substentandam necessaria ex Sicilia nauigijs huc deferuntur pro quorum aliqua portione desumenda multi illorum proprios filios Siculis mercatoribus obpignorant, donec furtis, & rapinis eos repignorare possint.

NV-

NVMIDIA SECVNDA Africæ pars.

Numidia hodie Biledulgerid.

NVMIDIA vna est ex septem principalibus totius Africæ partibus, quæ *Biledulgerid* hodie Ioanni Leoni, & Marmolio dicitur, hoc est *dactylorũ* regio, quod hęc sola Africæ regio dactylos abundè habeat. Est autem cæteris ignobilior, unde nulla eius regio Regni titulo gaudet. Fines eius ab Occidente sunt Atlanticum mare: à Septentrione Atlas mons: ad Ortum ad confinia Ægypti ferè sese extendit: à Meridie uerò Lybiæ deserta arenosa habet. Fuit autem olim hæc pars terræ inhabitata quemadmodum, & Barbaria, quæ etiam num male habitatur, exigua enim habet oppida, ac rara, ea siquidem, & maximo interuallo abinuicem distant. Habet autem multa calida simul, atq; arida ultra Atlantem, quæ quibusdam ex Atlante manantibus fluuijs irrigantur, pauci sunt in ea frugibus ferendis apti agri, & si dactylorum maximam habeant copiam, nullam enim ferè fructiferam aliam habent arborem præter palmam. Ea uerò loca, quæ Libyę confinia sunt, asperos quosdam habent montes arboribus nudos, ad cuius radices spinosa quædam, atque infrugifera proueninnt arbuscula, qui quidem montes fontibus, ac riuulis destituuntur. Scribit Plinius hanc regionem marmor habere electum, & animalia ferè pernicioſa: namque isthic infinita scorpionum, atque serpentum adinuenitur copia, quorum morsibus uenenosis multi quotannis interfecti interueniũtur. Incolæ stellas olim adorabant, eisque sacrificabant, hodie uerò inculti sunt, ignari, uiles, proditores, homicidæ, ac fures, neque ullam rerum naturalium cognitionem habent, sed operam tãtum quidam ex eis legum studijs nauant. Arabes autem qui isthic inhabitant, poesim amant, & liberales sunt, licet inopia premantur. longam omnes ferè ducunt uitam, licet dentes ante tempus amittant ob dactylorum usum, sic quoque uisus defectum patiuntur ab arenis uento exagitatis, morbum non habent gallicum, imo si qui tali morbo laborans isthic uenerit absque alio medicamento liberatur. Vescuntur autem hordeo, dactylis, alijsq; uilissimis cibis, sed panem non nisi festiuis diebus comedunt. afferunt huc exteri mercatores frumenta, quæ cum dactylis commutant. Sunt autem huius tractus regiones multæ, nempe *Tesset*, *Segelmessa*, *Zeb*, *Biledulgerid*, quæ principaliores sunt, deinde *Dara*, *Fezzen*, ac aliæ minus principales, inter has uero regiones omnes DARA cultior est ob flunium, qui a regione nomen habet, iuxta quem incolæ per uicos, pagos, atque castra inhabitant, is enim amnis regionem sua irrigatione fœcundat, crescit autem hyberno tempore, ac adeò expanditur, vt mare uideatur, sed æstate uado pertransiri potest.

Numidiæ fines.

Numidiæ conditio, & qualitas.

Incolarum religio, & mores.

Regiones Numidiæ.

Dara regio.

BILEDVLGERIDA regio ciuitatibus frequens est, & dactylorum maximam producit copiam, licet ob eius ariditatẽ nihil prorsus frumẽti ferat.

Biledulgerida regio.

Tegorarin regio.

TEGORARIN etiam regio ampliſsima eſt; namq; caſtella circiter 50. & pluſquam centum pagos continet, atque in ea dactylorum uberrimus eſt prouentus, fruges quoque in ea ſatis proueniunt, aſſidua tamen ob ariditatem irrigatione, & ſtercoratione indiget. Incolæ ditiſſimi ſunt, ac apud Nigritas negociantur.

LYBIA TERTIA
Africæ pars.

Lybia, ideſt Sarra.

LYBIA antica lingua *Sarra* appellatur, quæ uox idē quod deſertum ſonat, namque Lybiæ regio deſerta planè, arida, atque arenoſa eſt, omnibus riuis, ac fontibus carens. Habet autem ſuum initium ab Ortu propè Nilum fluuiū ubi eſt Gaogæ regnum, & extendit ſeſe Occidentem uerſus ad regnum vſque Gualatæ, quod Atlantico mari adiacet à Septentrione verò Numidiæ adhæret. Sunt itaque hæc deſerta Lybiæ, ſeu ſolitudines aridæ, arenoſæ, aquis deſtitutæ, & valdè infrugiferæ, nullam enim habent aquam, præterquam quibuſdam rarioribus in puteis, quæ tamen ſalſa eſt. Vnde mercatoribus per regionem hanc proficiſcentib. opus eſt aquam utribus camelis impoſitis ſecum deferre, nam interdum ſex, aut ſeptem dierum itinere ne gutta quidem aquæ inuenitur. Solent autem hæc deſerta pertranſire, qui à Regio Feſſæ ad Tombubum regnum Nigrorum proficiſcuntur, & à Telentino ad Agades regnum Nigrorum vicinum locis Libiæ. Conſueuerunt etiam centum ferè ab hinc annis à Feſſa ad Chairum iter facientes per Lybiæ deſerta pertranſire, quæ profectio periculoſa ſatis eſt. Sunt in his deſertis nonnulli putei camelorum pellibus, aut oſſibus circumſepti, qui interdum Æſtate incrudeſcente Auſtro arena cooperiuntur, unde mercatores eorum ueſtigia non agnoſcentes extrema ſiti pereunt. Iſthic multa animalium genera adinueniuntur. Fluuij uerò ab Atlante emanates in his arenarum vaſtitatibus diſperduntur, aliqui etiam nonnullos lacus efficiunt, qui maximè incolis, & mercatoribus ſalutares ſunt, ut ſunt lacus *Gir*, & *Ighidi Gheogan*.

Lybiæ fines.

Lybiæ deſerta.

Incolarum mores, & conditio.

Incolæ abſque ullis legibus, aut rationis uſu uiuunt more belluarum, miſerrimam ducentes vitam, literas patum agnoſcunt, & uirtutis omnis ſunt deſpectores, uenationi maximè incumbunt, & prædones ſunt inſignes, ac mercatoribus maximè infeſti, quod ſanè uerum eſt de paſtoribus, qui continuo per deſerta hæc uagantur: attamen quamplures reperiuntur iſthic Africani, ac Arabes qui liberales, mites, & humani ſunt, exterorum hoſpitales, ac ueritatem colētes. Breuem præ cæteris Africanis ducūt uitam, nam robuſtiores ad annum uſque 60. accedunt, vt plurimum tamē ſani ſunt corpore, ſunt graciles, atque macilenti, ſuper camelos tantum equitare ſolent, parcè admodum viuunt, & famis, ac inediæ patientiſsimi ſunt, panem non agnoſcunt, ſed lacte, & camelorum carnibus, ac butyro

ro ueſcuntur. Veſtitus eorum eſt panniculus anguſtus, atque rudis quo uix eorum pars dimidia tegi poteſt, nonnulli caput tela nigra in modum Dulipani tegunt; qui magnates verò ſubuculam ex goſſipio ceruleo confectam latis manicis geſtant: lecti uice ſtibadijs, ſeu ſtoreis ex iunco conſitis utuntur. Tentoria ex undulato, aut ex aſpera quadam lana conficiūtur, quam intra dactylorum racemos adinueniunt. Hæc Lybiæ deſerta noſtro æuo in quinque partiuntur regiones, iuxta numerum populorum, qui iſthic inhabitant, quæ ſunt *Zanaga*, *Zuenziga*, *Targa*, *Lempta*, *Bordea*, ad quæ alia minus principalia referuntur.

Quinq; deſerta Lybiæ

Zanagæ deſertum.

ZANAGÆ deſertum, ſeu regio, ubi populus id nominis inhabitat, exorditur ab Oceano mari ad Occaſum, & extendit ſeſe uerſus Ortum ad ſalinas uſque *Tegazæ*, à Septentrione ad confinia Numidiæ pertingit, & ad Meridiem vſque ad Gualatam, & Tombutum Nigrorum regna extenditur. Eſt autem hoc deſertum aridum, & fragoſum, ubi aqua ſolum ſingulis centum reperitur milliaribus profundiſsimis in puteis, quæ ſalſa, maximeque inſipida eſt. Maxima hic ferarum, reptiliumque copia eſt. In hac regione eſt deſertum *Azaoad*, ſeu *Aſanad* aſperum adeò, vt ducenteſimo milliario aquam uix in eo reperias, ſcilicet à puteo *Aſanad*, uſque ad puteum. *Araoan*, iſthic autem propter aquæ penuriam, & caloris nimiam exurentiam homines, quamplures, & armenta pereunt. In confinio huius deſerti uerſus Numidiam eſt *Tegaza* regio, ubi maxima effoditur ſalis copia, quod marmor candore ſuperat, quod camelis ad Tombuti regnum deuehitur diſtans itinere 20. dierum circiter.

Azaoad deſertum.

Tegaza regio.

ZVENZIGA deſertum inhabitatur à populo id nominis, quod quidem à *Tegaza* in Occidente incipit, & perducitur ad deſertum uſque *Hair*, quod *Targa* populus incolit: à Septentrione habet deſerta *Legelmeſſæ*, *Tebelbeti*, & *Benigorai* deſertis clauditur, & à meridie deſerto *Ghir* è regione *Guber* regni Nigritarum. Hoc uerò deſertum aridiſsimum maximè horrendum eſt, & illud pertranſire ſolent mercatores à Telenſino ad Tombutum proficiſcentes: unde eorum complures extrema ſiti in hoc deſerto pereunt. Continet hoc deſertum aliud intra ſe, quod *Gogden*, ſeu *Goeſen* appellant, ubi 9. dierum ſpatio ne guttula quidem aquæ reperitur, niſi quam mercatores camelis circunferunt.

Zuenziga deſertum.

Goden deſertū aſperrimum.

TARGA deſertum multò clementius, minusque aſperum duobus nunc deſcriptis eſt, namque iſthic aqua copioſè ſatis adinuenitur, atque mira ibi eſt aeris temperies. Patet autem hoc deſertum a Septentrione uerſus meridiem trecentis ferè milliaribus. Incipit autem ab Occaſu ab *Hair* deſerto, & uſque ad *Ighidi* deſertum uerſus ortum extenditur: ad Septentrionem deſerta habet *Tuath*, *Tegorariu*, atque *Meſabe*: a Meridie uerò deſertum *Agadez* attingit. Iſthic nullum herbæ genus deſiderari poteſt. In locis *Agades* uicinis manna colligūt copioſiſsimum, quod aqua, uel iuri commixtum valdè refrigerat, atque pro deliciis epotatur.

Targa deſertum.

LEMPTA deſertum quartum Libyę incipit ab *Ighidi* deſerto uſque ad *Berdoa* deſertum, & ad Meridiem ad *Canum* regnum Nigrorum tendit.

Lempta deſertum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est autem aridissimum, & mercatoribus periculosissimum, qui à Constantina ad Nigritarum terras iter suscipiunt.

Berdoa desertum.

BERDOA 5. & vlt. desertum est Lybię, quod ad Occasum *Lemptæ* deserto iungitur, & ad Ortum ad *Augelæ*, vsque desertum producitur, à Septentrione confinia habet deserta *Fezzen*, & *Barcæ*, & à Meridie desertum *Bornion*. Est & istud desertum aridissimum, & periculosissimum. Ab *Augela*, aut deserto ad Nilum sunt deserta nonnulla, quæ ab Arabibus, & Africanis occupata fuere, quos uulgò *Leuata* vocant.

Oppida in desertorum extremitatibus sita.

Reperiũtur in extremitatibus horum desertorum oppida aliquot, quæ ueluti portus sunt, ad quæ gentes confugiunt, inter quæ sunt *Hoden* viatoribus frequentissimum, & *Agades* optimè extructum supra fluuium, qui Sanagæ fluuio iungitur.

NIGRITARVM TERRA, QVÆ QVARTA est Africæ pars.

Nigritarum fines.

HÆc regio nomen sumit, uel ab incolis, qui nigro colore afficiũtur, uel potius à flumine Nigro, quod hanc regionẽ lambit, licèt alij dicant fluuium hunc à regione ipsa nomen sortiri. Habet autem à Septentrione Lybiæ deserta, ab Occidente Oceanum Occiduum, à Meridie Oceanum, partim Æthiopicum, & partim Manicongi regnũ; ab Ortu uerò ad Nili usque confinia porrigitur. Ferunt quidam scriptores hanc Africæ partem primam omnium inhabitatam fuisse. Ægypto tamen excepto, quæ tamen hoc tempore parum cognita est, cuius latitudo ab occidua parte patet prope 400. milliarium. Est autem calidissima ob situm eius sub zona torrida, sed non adeò ut inhabitabilis remaneat, nam frequentissimæ est habitationis, & aliquibus in locis semper uirens. Citra fluuium Canaga, qui terminus est Nigredinis populorum aridissima est, arenosa, ac deserta: ultra uerò ipsum fertilissima, ut plurimum est, ac humiditatis non minimam portionem habet, idque propter fluuij NIGRI continuam irrigationem, qui mediam penè regionem præterfluit. Vnde agri omnes, qui huic amni uicini sunt, & qui aliquo fluuio abluuntur, feracitate mira gaudent tum frugum tum pecorum, ibique etiam cocci, cucumeris, cœpæ, & id genus olerum maxima copia prouenit. Nullæ tamen isthic sunt arbores, præter aliquas, quę fructum castaneæ persimilem producunt, licet aliquanto amarum. Nulli sunt montes, aut colles, circa Nigri ripas, sunt tamen nemora permulta elephantibus, cæterisque animalibus repletissima, crebræ etiam isthic paludes sunt, & lacus, qui ex Nigri inundationibus remansisse dicuntur. Pluuiæ huic solo, nec prosunt quicquam, nec damnum afferunt, sed ab uno Nigro fluuio regionis fertilitas pendet, quemadmodum a Nilo Ægyptus fœcundatur. Crescit autem Niger sicut Nilus à decimoquinto Iunij per 40. dies, ac per totidem decrescit,

Calidissima est valdè hęc regio.

Qualitas regionis Nigrorum.

Niger flu.

Fertilitas regionis à Nigro fluuio est.

Nigritarum religio.

cit, & tũc cymbris, aut scaphis per totam Nigritarum regionẽ nauigatur.

Incolæ hæ ab origine Chusi dependent, qui patrem habuit chamum filium Noemi, qui quidem ab initio cœlorum Dominum adorabant, quem eorum lingua Guighimo uocabant: postmodum Iudaicam susceperunt legẽ, in qua quidem multis perseuerarunt annis, donec aliquot regna Christianã religionem amplexata fuerunt, quam conseruarunt usque ad Maumethis pseudoprophetæ aduentum, quo tempore Maumetani facti fuere omnes Lybiæ confines, remanentibus tantum nonnullis regionibus paucis, quæ fidem Christi adhuc seruant. Veruntamen qui iuxta Oceanum mare inhabitant idola omnes colunt, ac gentiles sunt. In uniuersum autem belluino uiuunt more, à rationis usu, ab ingenij dexteritate, atque ab omni artificio alienissimi sunt, ad luxuriam valdè procliuiores sunt, unde meretricum numerosus grex apud illos est, sed qui famosiores urbes inhabitant, nonnihil humaniores, & cultiores sunt cæteris omnibus Africanis, breuiorem degunt uitam, at maximus illis semper uigor, maximaque dentium omnium firmitas vsq; ad extrem umuitæ diem, incantatores anguium sunt eximij. Qui morbo Gallico infecti sunt, si in hanc regionem proficiscantur, optimè sanitati restituuntur ob optimam aeris temperiem nullo adhibito pharmaco. Pestis hic nunquam sæuisse dicitur. Habent autem Nigritæ diuersa inter se idiomata, nam in regionibus Gualatæ, Tombuti, Ginæ, Mellidi, & Gagonti seruant idioma ab ipsis *Sungai* uocatum est. Est & alia lingua, quæ *Guber* ab illis appellatur, quæ apud Gubetos, Canontes, Chesenas, Perzegregos, & Gangrates in usu est. Habet & regnum Borni suum loquendi modum illi omnino similem, qui apud Gaogam est.

Nigritarum mores.

Pestis apud Nigritas nõ sæuit.

Varia Nigrorũ idiomata.

In Nubæ regno est sermo, qui cum Arabica lingua. Chaldaica, & Ægyptiaca magnam habet affinitatem. Traduntur à Scriptoribus 25. horum Nigritarum regna, quæ olim proprium agnoscebant Regem, quorum nonnulla sunt citra Canagam, alia verò ultra. Sunt autem hæc: *Gualata*, *Ghinea*, *Melli*, *Tombutum*, *Gago*, *Guber*, *Agadez*, *Cano*, *Casena*, *Zegzeg*, *Zamfara*, *Guangara*, *Bornum*, *Gaoga*, *Nubia*, *Bito*, *Temianto*, *Dauma*, *Medra*, *Goran*, *Territorium Anterotense*, *Territorium Gialosæ*, *Ora Ghineę*, *Territorium Meleghese*, & *Regnum Benin*. Sed Regna hæc hodie sub tribus tantum Regibus ceciderunt, nam Tombuti Rex maiorem ex eis partem possidet, Rex Borni minorem reliquum habet Rex Gaogæ, uno tantum Gualatæ regno excepto, quòd proprium Regem habet.

Nigritarum regna olim 25.

Tres tãtum Reges Nigritarũ hodie sunt.

GVALATA Regnum ab Oceano centum milliaribus distans, angustissimum est, non enim continet nisi pagos tantum tres eum aliquot vicis, campisque dactyliferis, in quo minima millij, & cuiusdam leguminis rotundi copia peruenit.

Gualata regnum.

Incolæ nigerrimi sunt, exterorum amantissimi, sed miserrimam ducunt uitam, namque nulla est apud eos administratio, neque ulli nobiles, aut iudices.

ORA

Ora Anterosæ.

ORA ANTEROSÆ est magnus terræ tractus humilis arenosus, ac sterilis ad Oceanum expositus, à capite scilicet albo ad fluuium Canaga, quem populi A*zanaghi* inhabitant, qui olim inciuiles erant antequam cum Portugallensibus negociarẽtur: parci sunt, inediæ patientissimi, pauperes, mendaces, proditores, mediæ staturæ, & colore medio inter nigrum, & subcineritium. Sunt in hoc tractu portus Dei, & portus commutationis vulgò *del Riscatto*.

Azanaghi pop.

Agades regnum.

AGADES regnum ponitur citra fluuium Canaga, vnicamque continet vrbem huius nominis muris percinctam, cuius incolæ inter omnes Nigritas sunt candidissimi. Domus elegantissimæ sunt ad Barbarorum modũ ædificatæ. Incolæ, vt plurimum exteri mercatores sunt. Reliquum huius regni ad Meridiem pastores, atq; bubulcos habet, qui in tuguriolis ex frondib. compositis inhabitant, quæ circunferuntur quoties aliquo migrandum est. Soluit hic rex tributum Tombuti regi quotannis 150. aureorum mill.

Incolæ huius regni.

Cano regnum.

CANO regnum amplissimum citra Canagam plura deserta loca continet, montesque maximè nemorosos, ac multis fontibus irriguos, in quibus mala citrea, atque limones satis copiosè proueniunt non multum sapore à satiuis differentes. In huius regni meditullio iacet oppidum id nominis quod est Regia sedes, muros habet, atque domos ex creta ferè fabricatas, & incolas mercatores ditissimos, & ciuilitatis amantissimos. Reliquũ regni sunt pagi, in quibus pastores, & agricolæ inhabitant. Mittit hoc regnum bonam frumenti, orizæ, atque gossypij copiam. Rex tributum Regi Tombuti persoluit.

Cano oppidum regiũ.

Casenæ regni qualitas.

CASENA regnum citra Sunagam Regno *Cano* ad Ortum iungitur. Est autem montibus frequẽtissimis repletum, agrum habet asperum: hordei tamen, atque milij feracissimum. Incolæ nigerrimi sunt, maximè nasuti, & prominentibus labris: horum tuguriola uilissima sunt, neque ullus apud hos est pagus, qui plusquam 300. numeret familias.

Sanagæ regni qualitas.

SANAGA, vel CANAGA regnum vltra fluuium Canagam ad Oceanum expositum est. Terra humilis est vsque ad caput viride, quod Ptol. Arsinarium dicitur. Producit milium, fabas, & faseolos satis copiosè: frumentum uerò, siliginem, hordeum, nec uuas ullo modo fert ob maximam aeris ardorem: fructus isthic satis abundant; pascua sunt optima, arbores celsissimas, & pulcherrimas. Lacus permulti aquarum dulcium: animantia uerò domestica isthic, præter boues & capras, non sunt; syluestia verò complura, ut sunt leones, leopardi, lupi, elephantes syluatici, & feles zibetum emittentes.

Incolarum qualitas.

Incolæ nigerrimi sunt, mendaces, proditores, loquaces, luxuriæ addictissimi, & zelotypiæ morbo laborantes, aduenas liberaliter excipiunt, uxores quotquot uolunt, ducũt. Horũ rex ex stirpe nobili à populo eligitur, qui nullos certos habet reditus, nisi tantum nobiliũ munera.

Gambra regnum.

GAMBRA, seu GAMBEA regnum iacet ad fluuium Gambea, estq; angustissimum, & habet oram maritimam satis amœnam, atque arboribus continuo virentibus repletissimam, quæ tamen humilis est. Hic calor maximè feruet. In reliquis satis cum regno *Senegæ* conuenit; præterquam quod

quod isthic orizæ maior colligitur copia. Incolæ canes solent comedere, quod quidem alibi in usu non est.

Incolæ canes comedunt.

Gineæ Regnum.

GINEÆ Regnum 50. mill. extenditur ad Nigrum flu. iacetq; inter fluuium *Gualatam*, *Tombutum*, & *Melli* regnum. Est autem hordei, orizę, pecudum, piscium, atque gossipij opulentissimum. Fructus præter dactylos isthic non sunt, qui tamen ex Gualata, & Numidia huc afferuntur. Nullum omnino habet oppidum, aut castrum, sed pagum unum amplissimum, quem Princeps, Sacerdotes, Doctores, Mercatores, cæteriąue regionis nobiles inhabitant. Domus cretaceæ sunt tectis stramineis.

Incolæ gossipio nigro, aut cęruleo vestiunt, quo & caput tegunt etiam; sed Sacerdotes, & legis doctores candidum gestant gossypium. Horum nũmi aurei sunt, nulla inscriptione insigniti: vtuntur etiam numis ferreis pro rebus minutioribus emendis.

Incolæ huius regioni.

Tambusi regni qualitas.

TOMBVTVM Regnum ab oppido id nominis uocatur, iacetque ultra fluuium Canagam. Est autem frumenti, pecudum, lactis, atque butyri abũdantissimum, sed salis magnam penuriam habet quod alibi aduectum caro emitur precio: equorum etiam pauca quantitas hic est. Tombuti Rex complura alia possidet regna, unde opulentissimus est: habet enim bracteas aliquot, atque sceptra, quorum nonnulla mille & trecentarum sunt librarum: aulam alit magnificam, in qua sunt semper equitum 3000. & peditum infinitus numerus, qui sagittis veneno infectis utuntur. Est uero hic rex atrocissimus Iudæorum hostis, qui non solum eos in suo regno non recipit; sed etiam illorum bona proscribit, qui cum Iudæis commercia habere intelligit. Magnam insuper doctissimorum virorum copiam alit. Vrbs autem regia domus habet omnes ex creta, & stramine compactas, præter unum templum elegantissimum, & Regium palatium, quæ ex lapidibus, & ex calce constant. Frequentissimi sunt hic putei, quorum aqua dulcissima est. Incolæ mites sunt placidi, & qui cantando, & saltando maiorem diei partem consumunt, ditissimi sunt præsertim exteri. Infiniti libri manuscripti ex Barbaria huc afferuntur, qui magnopere æstimantur. Est etiam in hoc regno *Cabra* oppidum satis amplum, absque muris in pagi formam extructum, cuius ædificia, atque incolæ nihil penè ab illis *Tombuti* differunt.

Rex Tombuti dines admodum est.

Incolarum mores.

Cabra oppidum.

Melli regnum.

MELLI regnum habet ad Septentrionem *Gineæ* regnum, ad Occidentem uastissimas syluas ad mare Oceanum extensas: ad Orientem *Gagum* territorium, ad meridiem uerò deserta, ac montes aridissimos. Adiacet uerò fluuio cuidam ex Nigro effluente, atque per 300. ferè passuum millia extenditur. Est autem hoc regnum frumento, carnibus, & gossipio opulentissimum. Incolæ ditissimi sunt, ac mercibus copiosissimi. Cæterosque Nigritas ingenio, ciuilitate, & industria præpollentes. Exteri apud Regem plurimi faciuntur. Oppidum regium in formam pagi constructum est, quod MELLI dicitur, continetque plus sex millia familias. Sunt autem in eo frequentia templa, Sacerdotes, atque prælectores, qui in templis prælegunt, cum apud eos collegia non sint.

Melli oppidum regiũ.

GAGO

Gago regnũ & Ciuitas.

GAGO regnum oppidum huius nominis præcipuum habet, ubi rex commoratur, quod amplissimum est, nullisque percinctum muris, atque à *Tombuto* versus Meridiem distat 400. milliaribus. Huius domus vilissimæ sunt, præter regiam, & nobilium domos: putei hic frequentissimi sunt dulcium aquarum: frumenti, oryzæ, & carnium hic abundantia: fructuum tamen, præterquam melonum, & citronum; magna est inopia. Mercatores ditissimi hic reperiuntur, quorum merces sumptuosæ, ac preciosę sunt; sed caro venundantur precio. Præter hoc oppidum in hoc regno nihil aliud inuenitur, quam pagi, atque uici, quorum incolæ sunt agricolæ, & pastores ignari, atque rudes.

Gubet regnum.

GVBER Regnum distat à *Gago* versus Orientem 300. milliaribus atque ab altissimis montibus percingitur. In hoc sunt innumeri pagi agricolis, & pastoribus repletissimi, qui magnam alunt pecudum, & armentorum copiam. Mittit hoc regnum orizæ, & aliorum quorũdam leguminum miram quantitatem. Suntque hic innumeri artifices, & telarum textores. Præcipuus pagus huius Regni, in quo est regis aula, sex ferè millia familias complectitur, inter quas omnis generis mercatores sunt.

Bito regnũ.

BITO regnum ab Occidente Regno *Guber* iungitur; à Septentrione regnis *Cano*, & *Zegzeg*; & ab Ortu *Temiamo* Regno. Est autem opulentissimũ, ut quidam tradunt, sed de eo particularia non habentur, sicut nec de TEMIAMO Regno.

Regzeg.

ZEGZEG Regnum inter *Cano*, *Guber*, & *Zanfara* ponitur. Estque partim in planicie calidissima, partim in montibus situm frigidissimis. Ager maximè irriguus est, & frugibus omnibus felicissimus. Incolæ ditissimi sunt, & apud alias nationes maximè negociantur.

Zanfara regnum.

ZANFARA regnum, quod ad Orientem superiori coniungitur, agrum habet frumento, oriza, millio, atque gossypio copiosissimum. Incolæ uilissimi sunt, & rusticitatẽ referentes, proceri statura, & colore nigerrimi, lata facie, & ingenio belluino.

Guangara regnum.

GVANGARA Regnum inter desertum *Geogam*, & *Zanfaram* regnum situatur. Huius Rex 7. millium sagittariorum, & quingentorum equitum alit, amplissimosque sibi quotannis recipit prouentus. Incolas autem innumeros habet. Non sunt tamen in eo, nisi uilissimi pagi, uno tamẽ excepto, in quo Rex residet, cuius incolæ ditissimi sunt, atque cum exteris negociantur. Huic regno uicina est a Meridie Aurifera regio.

Borni, regni situs & qualitas.

BORNVM regnum amplissimum est, habetque ab Occasu *Guangaram*, & uersus Ortum ad quingenta ferè milliaria producitur. Est autem alicubi planum, alicubi montuosum. Planities autem plurimis pagis mercatoribus repletissimis ornatur, vbi frumenti magna prouenit copia. Montes a bubulcis, & pastoribus habitantur innumerosissimis; ibiq; millium, & alia frugum genera nobis incognita proueniunt. Incolæ nullam habent religionem, sed belluarum more uiuunt; neque propriam uxorem, aut prolem agnoscunt: quinimo nec propria nomina ipsis imponuntur, sed ab aliquo accidente distinguuntur. Rex potentissimus est, qui equitum circiter

Incolarum mores.

circiter tria millia, & peditum infinitum numerum alit, sed nullum alium habet Rex prouentum, quàm quod suis incursionibus, & prædationibus hostibus adimit.

Gaogæ regni situs.

GOAGA Regnum iacet inter *Borni*, & *Nubiæ* regna, ac deserta nonnulla. Quod quidem tam in longum, quàm in latum, 500. milliaribus patet.

Incolæ.

Incolæ nullam habent humanitatem, literarumq; cognitionem; sed agrestissimi sunt, præsertim ij, qui montana colunt; nudi incedunt, pudenda tantum cooperiendo; horum domus ex ramulis & frondibus sunt compositæ, & apud eos copiosissimus est Grex, cuius etiam maximam gerunt curam.

Nubæ regni situs. Incolæ.

NVBIÆ regnum ab Occasu habet *Gagæ* regnum ab Ortu Nilum, à Septentrione Aegyptum, & à Meridie desertum *Goraniæ*. Incolæ vocantur Nubæ, qui miseram ducunt uitam, agriculturam, ut plurimum exercentes Leo tamen Africanus ait, ciues esse ditissimos, ciuilitatisque amantissimos, atque eos maximè cum Cairi, ac Aegypti mercatoribus negociari. Christianam olim habuerunt fidem; sed nunc corrupti sunt ab Hebræis, & Mahumetanis. Præcipuum oppidum est DANGALA commercijs satis affluens, in quo sunt circiter 10. millia familiæ: sed domus cretaceæ sunt stramineis tectis. In reliqua regni parte reperiuntur tantum pagi, ac uici prope Nilum fluuium siti. Regio ipsa abundat oryza, saccaro rubeo, sandalo, & ebore multo, zibetto insuper, ac auro. Est autem arenosa, & lacubus copiosa, qui eum obluunt ac irrigant. Reperitur hic uenenum præsentissimum, cuius decima pars grani homini allata ante horæ quadrantem ipsum pernecat, singula autem huius veneni vncia centum aureis emitur, sed solum exteris hoc uenenum venditur.

Vangala opp.

Regionis qualitas.

Gorhan, Medra, & Dauma Regna.

GORHAN, MEDRA, & DAVMA regna ponit etiam Sanutus inter *Gaogam*, *Bornum*, & *Iudæorum terram*, quæ maiori ex parte incognita sunt: asserit tamen reges habere opulentissimos, sed populum uilissimum, qui per deserta sparsim inhabitat. Præter hæc regna sunt alijs etiam populationes sparsim per hanc Nigritarum terram, de quibus pauca habetur cognitio.

SVPERIOR, SEV INTERIOR ÆTHIOpia, vbi Abyssinorum, seu Presbyteri Ioannis est Imperium. Quinta Africæ pars.

Abyssynorũ Imperium.

SVPERIOREM hanc, seu INTERIOREM AETHIOPIAM possidet magnus ille princeps Abyssinorum qui ab Europæis *Presbyter Ioannes* uocatur, & uulgò *Prete Gianni*, a Mauris uerò *Asiclabassi*, & à suis, hoc est ab Abyssinis *Acegue*, ideſt Imperator, & *Neguz*, ideſt, Rex cognominatur. Est autem hic princeps inter potentissimos totius Orbis connumerandus, cuius Imperij limites attingunt ferè

Æthiopiæ superioris fines.

vtrunque

Universidad de Deusto
Biblioteca

utrunque tropicum, mare Rubrum, & Oceanum Aethyopicum, atque in ambitu 67 2. leucas plus minus complectitur. Habet igitur a Septentrione *Nubiæ*, & *Bugiæ* populos Aegypti regioni confines: ab Ortu ad mare Rubrum, & sinum Barbaricum extenditur, atque ad terram usque *Aiadnam* & *Dancali* regnum, quę ad exteriorem Aethiopiam attinent: a Meridie Lunæ montes attingit: ab Occasu Regnum habet *Manicongi*, Nigrũ amnem, *Nubiæ* regnum, & Nilum fluuium.

Regiones antiqnorũ in superiore Aethiopia.

In hoc autem terræ tractu uolunt quidam regiones hasce antiquorum comprehendi, nempe AETHIOPIAM SVB AEGYPTO, TROGLODITICAM, CINNAMOMIFERAM regionem, & LYBIAE interiorem partem: De hac aũt Orbis parte multa miranda ab antiquis prædicantur, quæ tamen nostris temporibus fabulosa penitus esse constat. Aethiopiam porrò ipsam *Aetheriam* primo, deinde *Atlantiam* fuisse appellatam Plinius testatur. Postremò uerò Aethiopia ab Aethiopie Vulcani filio, qui ei regioni præfuit: seu potius à uerbo Græco, quod apud nos cremo sonat, quando quidem ipsa regio sub Torrida iacet zona, ardoribus que solis maximè opposita est: ex qua quidem adustione incolæ ipsi Nigri sunt.

Aethiopia vnde dicatur.

Incolæ autem *Chusæi*, olim, uocati fuere a Chus filio Chanum, ut Iosepho placet: atque etiam adhuc *Cussios* ipsos a Lusitanis dici nonnulli tradunt. Abysini uerò dicuntur lingua Aegyptiaca ab habitationibus, quas colunt, namque sparsim inhabitant. Est autem ipsa regio in uniuersum (ut ex recentibus Scriptoribus, qui eam lustrarunt, constat) fertilissima. Nam & si frumentum parcè mittat, nihilominus hordeum, millium, zaburrum, ciceres, fabam, aliaque legumina abundantissimè profert; quorum nonnulla nobis ignota sunt: Saccharum etiam in harundinibus copiosè producit, sed ipsum coquere & depurare neseiunt. Vites isthic multę sunt, at uinum confici non licet, nisi in Regia domo, atque etiam in domo Patriarchę totius regionis, qui solet appellari *Abuna*. Mala medica, citria, & limones ad abundantiam hic spõte proueniunt: melones autem, rapas, & oleas non fert regio: oleum tamen conficitur hic ex fructu quodam *Geua* incolis uocato. Mellis porrò immensa est copia: nam apes in ipsis etiam hominũ habitationibus nutriuntur, unde cerę tantam conficiunt copiã, quę toti regioni ad candelas cõficiendas sufficiat absq; sępi usum; linũ habet etiam hęc regio, sed incolę artem ex ipso telas conficiendi ignorant, atque ut plurimum pannos suos ex gossypio sibi parãt, cuius hic magnus est prouentus. Habet prętera regio hęc omnis ferè generis animalia, & aues, ut sunt boues, pecora, caprę, asini, cameli, equi; deinde elephantes, leones, tygrides, linces, taxi, & cerui: ursi tamen, cuniculi, & carduelis isthic non uidentur. Hoc autem insigni incommodo regio hęc laborat, quod locustas innumerosissimas producit, quæ sua multitudine aerem ipsum obfuscantes, nunc vnam prouinciam, nunc aliam vastant: omnem siquidem segetem, messem, & arborum folia, ac cortices deuorant, ac depascuntur.

Incolæ Aethiopiæ olim Chusæi vocabantur.

Abysini.

Regionis qualitas.

Locustæ huic regioni infestæ.

Metalla

Metalla etiam omnia, ac mineralia abundè producit, sed gentes hæ artificia omnia, quæ ad mineras expurgandas requiruntur, prorsus ignorãt. Fiunt isthic duæ æstates, & duæ hyemes, quæ non a frigore, aut caliditate percipiuntur; sed à pluuiarum copia, & a serenitate. Duo autem memorabiles amnes per Aethiopiam discurrunt, nempe *Abanhi*, qui est Astapus Ptol. & *Taccasii*, qui Ptol. est Astaboras, in quem complures alij amnes confluunt. Fons *Abanhi* est *Barcenæ* lacus amplissimus sub Aequinoctiali iacens, in quo plures sunt insulæ Monacorum monasteria continentes, Hic lacus est Coloe Palus Ptolæmei.

Duæ æstates & duæ hyemes in Aethiopia.

Fluuij Aethiopiæ.

Incolæ uerò nigri sunt, uiles, ac omnis doctrinarum genere ferè ignari, medicinæ nullum habent usum, horum uestitus ex animalium pellibus, & ex pannis præsertim gossypinis constat, domus habent humiles, ac uiles sub rotunda forma ex creta, ac stramine confectas in quarum inferiore parte tantum inhabitant apertis semper tamen ianuis, sed nemo alterius domum ingredi ualet, nullis nec mappis, nec mensis utuntur, quando comedunt, sedent uerò humi, uel super tapetos, aut alios pannos. Sunt inter eos, qui uaccinas carnes erudas recentes comedant. Nullus apud hos est æris monetalis usus, sed eius loco aurum purum, infectumque penditur: rerum commutationibus, ut plurimum utuntur, in quibus sal, & piper maximo sunt usui. Apud hos uenatio & piscatio in usu parum sunt, ac inter eos pauci sunt artifices. Europæos omnes *Francos* solent nuncupare, sed alias gentes albas *Ghibetes* appellant. Christi cultum obseruant, sed diuerse a nobis: nam circunciduntur omnes etiam fęminæ, atq; etiam baptizantur in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti post 40. dies ab eorum Natali: quin etiam singulo anno iterum sese baptizare solent in die Epiphaniæ Domini, omnibus baptizatis eodem momento Sacram Eucharistiam ministrant. In horum ecclesiis more nostro campanas habent, sed plerunque saxeas: Missam celebrant, sed Sacerdotes omnes, ac Presbyteri nubunt, Monachi uerò non, quorum hic est ingens numerus, & infinita Monasteria utriusque sexus. Sed in uirorum Monasteriis neque mulier, neque animal fœminei sexus ullum intrat. Monachi ieiunium strictissimè obseruant ad 50. dies, alij aqua & pane tantum: alij herbis tantum sustentantur: alii uero toto hoc tempore sub aqua permanent usque ad mentum. Hi Monachi comam nutriunr, sicut etiam laici, qui barbam abradunt, ac crucem collo suspensam gestant. Presbyteri uerò abradunt caput, & barbam nutriunt, crucemque in manibus ad laicorum differentiam ferunt. Plebei duas, interdum uerò plures uxores ducunt absque ulla pęna; hos tamen Ecclesias ingredi non licet: diuortia attamen facere possunt. In summam habent Abysini uenerationem D. Thomam cognomento Didymum.

Incolarum conditio, & mores.

Abysini Christicolę sunt.

Presbyteri Abysini nubunt.

D. Thomas maximè apud Abysinos uneratur.

Cæterum hunc Abysinorum Imperatorem ex antiquissimo stemate ortum ducere tradunt, hoc est a Dauide procreatum esse, stirpe unius gentis in tot ætates propagata: atque ipsemet in suis titulis hoc affirmat. Solet autem inscribi sic:

Abysinus Imp.

N. Si-

Abyssini Imp. tituli.

N. supremus meorum Regnorum à Deo vnicè dilectus, columna fidei, Ortus ex stirpe Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sionis, filius ex semine Iacob, filius manus Mariæ, filius Nahu secundum carnem, filius Sanctorum Petri & Pauli secundum gratiam Imperatorum superioris & minoris Aethiopiæ, & amplissimorum regnorum, iurisdictionum, & terrarum, Rex Goæ, Caffares, Fatigar, Angolæ Barn, Baliguazæ, Adeæ, Vanguæ, Goyame, ubi Nili fontes, Amaræ, Baguamedri, Ambeæ, Vanguci, Tigremahon, Sabaim patriæ Reginæ Sabæ. Barnagassi, & dominus usq; in Nubiã, quæ in Aegyptũ extenditur.

Abyssinus Imp vagam habet habitationem.

Hic uerò Princeps ueteri instituto nullam habet determinatam stationem, ubi continuò resideat: sed modò ad unam partem, modò ad aliam proficiscitur, sub tentorijs degendo, quorum circiter sex millia secum defert: unde tota eius aula occupat ferè 10. uel 12. milliaria. Immensam habet auri, & argenti copiam, suppellectilia innumera, ac alias diuitias incomparabiles, quas, ut plurimum in montium cauernis conseruat. Aiunt,

Diuitiæ ciues.

Abyssinus Imp. albo colore est.

ipsum non atro colore esse, ut reliqui ferè Aethiopes; sed candido, atque decies centum millia hominum ad bellum instruere, ac insuper quingentos elephantos, & equorum, ac camelorum ingentem numerum. Nõ sunt

Conditio habitationũ Aethiopiæ.

in hac toto imperio urbes, aut oppida celebria, aut multitudine habitantium, aut ædificijs murisque, sed maiores habitationes plusquam duo millia familias non habent, eorumque domus ex creta, & stramine sunt compactæ; non autem ex lapidib. est calce, ex quibus tantummodo Ecclesiæ fabricantur, & Regiæ domus. Præcipua regna ad altam Aethiopiam attinentia, quę ut plurimum Abyssinorum Imperatori subiacent, sunt hęc quę sequuntur.

Barnagnes regnum.

BARNAGNES, seu BARNAGASSVM regnum vicinum est AEgypto clauditur enim inter *Abanhi* amnem, & mare rubrum, ubi portum habet *Ercoccum*. Regio est uillis, & pagis frequens; fluuijs, & aquis copiosa, unde fertilissima est. Prorex huius regionis, qui solet nuncupari BAR-

Barnagassus Bęroę vrbs.

NAGASSVS, suam habet sedem in urbe BEROAE, seu Baruæ quæ Ptol. *Coloue* dicitur, ut Sanuto placet. Iacet autem ad fluuium amœnum, ac piscosum. Tributum Presbytero Ioanni 150. equorum optimorum persoluit, ac sericum, pannos sericos, & bombicinos, aliaque huiusmodi, quæ ex Iudæa habet. Præterea etiam Bassæ Turcico, qui in urbe

Barnagassus quibus tributũ pendeat.

Suaquem inhabitat, mille uncias auri quotannis persoluit. Namque Turca præteritis temporibus cępit per uim urbem & portum *Ercoccum*, atq; etiam urbem *Suaquem*, & portum, qui Ptol. Sebasticum ostium est, quæ ambo ad hoc regnum pertinent.

Tigremaon regnum.

TIGREMAON regnum amplissimum iacet inter *Marabo* fluuium, Nilum, mare Rubrum, & regnum *Angote*. Huius Rex soluit Abyssinorum Imperatori quotannis ducentos equos ex Arabia aduectos, innumeram pannorum Sericorum, & Gossypii quantitatem, ac aurum permultũ subest huic Regno.

Tigrai regnum. Caxumo vrbs.

Regnum TIGRAI, in quo est urbs CAXVMO, seu CASSVMO, sedes olim Reginæ Sabæ, quam *Maquedam* nuncupatam ferunt, ex qua filium

filium suscepit Salomon nomine *Meilec*. Hæc ipsa urbs fuit etiam sedes Candacis Reginæ. Ad hoc etiam regnum Tigremaon *Sabain*, *Torrates*, *Balgada* regiones, & alia loca pertinent.

Regiones huic regno subiectæ.

ANGOTE regnum ponitur inter *Tigremaon*, & *Amaran* regna. Est autem montibus, ac uallibus refertissimum, & ubique fruges oĩs generis ad abundantiam producit: animalia etiam innumera habet. Incolæ semel in die comedunt, & hoc quidem nocturno tempore: uescuntur autem ut plurimum carne cruda, & salsamentis ex felle uaccino compositis. Monetæ loco salem, & ferrum in globulos habent. Subsunt huic regno *Abugana*, *Giannamora*, & aliæ nonnullæ regiones, & loca.

regnum. Angote

Incolarum mores.

AMARA regnum habet à Septentrione regnum *Antogense*, ab ortu regnum *Xoę*, à Meridie *Damutum* regnum, & ab Occasu ad Nilum ferè amnem extenditur. Est autem regio hæc ut plurimum campestris, paucos habens montes, satis frugifera, & animalium repletissima. In hac est mõs *Amara* immensæ latitudinis, ac altitudinis, ascensuq; difficillimus, in quo Presbyteri Ioan. filij in custodia à præsidijs detinentur, quo defuncto Imperij successor educitur.

Amara regnum.

Mons Amara.

XOA regnum inter *Amaram*, *Damur*, & *Fatigar* regna iacet. Sunt in hoc regno multa profunda loca: mittit autem fruges, & animalia omnis generis ad abundantiam.

Xoa regnũ

GOYAMI regnum duos immensos continet lacus, è quibus Nilus fluuius emanat. Estque multo auro opulentissimum, quod tamen impurũ est: in Septentrionali sui parte loca habet deserta, ac montibus aspera.

Gayami regnum.

BAGAMEDRVM regnum cæteris huius Altæ Æthyopiæ amplissimũ est. Namque iuxta Nilum fluuium à *Goyamo* regno ultra *Gueguere* insulã producitur. Quod quidem spatium sexcentis penè milliaribus Patet. Sunt autem in hoc regno præter cætera argenti mineræ ditissimæ.

Bagamedrũ regnum.

GVEGVERE verò insulam, quæ antiquis ab urbe id nominis Merces uocabatur. Nilus amnis efficit, quæ longitudine 350. mill. latitudine 125. circiter patet. Est autem auro, argento, ære, ferro, ebore, lapillis preciosis, & sale minerali diues: producit quoque leones, elephantes, rinocerontes, pardos, & dracones. Incolæ Mahumetani sunt, qui contra Abyssinos cum Turcis, & Mauris confœderati sunt. Habet insulæ hæc, ut scribit Plinius bis in anno solem in uertice, & tunc nullæ iaciuntur umbræ: hoc autem euenit gr. 16. tauri, & gr. 14. Leonis perlustrat.

Gueguere inſ.

Incolæ Gueguere.

Sol isthic bis in anno in uertice.

FATIGAR regnum *Adel*, & *Xoę* regnis interiacet. Huius loca campestria sunt, atque frumenti, hordei, aliorumque frugum feracia. Isthic animalia multa domestica sunt. Est etiam hic celsissimus mons, in cuius uertice lacus duodecim milliarium ambitu patet, qui piscibus satis abundat: ab eodem etiam monte permulti emanant fluuij piscibus repletissimi.

Fatigar regnum.

DAMVT regnum, ut scribit Sanutus, vicinum est regno *Xoæ*, atque inter *Barcenæ* lacum, & terram *Zanguebaram* clauditur. Alij ponunt *Damut* regnum ultra regna *Vangue*, & *Goyami*, versus Occasum, quod mi-

Damut regnum.

hi magis arridet. Abundat autem hoc regnum auro, zinzibere, uuis, frugibus, & animalibus omnis generis. Mancipia huius regni plurimi æstimantur, quæ distrahi solent per totam Arabiam, Persiam, & Aegyptum, vbi ad bellum valdè idonei fiunt. Incolæ maiori ex parte Gentiles sunt, reliqui uerò Christiani, qui monasteria aliquot habẽt. Ilsihic est mortis mons altissimus cuius ascensus ex una tantum parte patet, in quo nobiles uiri nutu Imperatoris damnati proijciuntur, ut intereant. Inter Nili fontes, citra Lunæ montes, dicunt nonnulli esse tum Amazones mulieres bellicosas, & fortes, quæ arcubus utuntur, & reginam habent: tum etiam *Cafates* populos, qui nigerrimi sunt, & corpore pergrandi, ac a Iudæorum stirpe emanant: sed nunc Idolatræ sunt, & Christianis infestissimi, quippe qui continuo Abyssinos adoriuntur præsertim noctu, eosque interficiunt & deprædantur: die verò in montibus, nemoribus, & vallibus profundissimis permanent.

Amazones mulieres. Cafates populi.

Ad hanc interiorem Aethiopiam pertinet etiam DANCALI Regnum, & DOBAS prouincia, quæ Regiones mari Rubro vicinæ sunt, & à Mauris coluntur, nec sub Imperio Presbyteri Ioannis manent.

Daucali regnum.

DANCALI regnum iacet inter mare rubrum, & *Dobas* regionem, & ab ortu ad fretum usque maris rubri extenditur. Mauri huius regni incolæ continuo cum Abyssinis belligerantur, suntq; Christianis infestissimi. Ad hoc regnum pertinet VELLA vrbs, & portus supra mare Rubrum.

Vella vrbs.

Dobas prouincia.

DOBAS prouincia, seu regnum iacet a Meridie regni *Dancali*, dominaturque a Mauris, ac in 12. seu, ut alij scribunt, in 24. præfecturas partitur. Tributa persoluunt Presbytero Ioãni. Est apud hos Mauros lex, qua cauetur, ut nemo possit nubere, nisi prius duodecim Christianos occiderit. Sunt in hac regione innumeræ vaccæ statura, & magnitudine reliquas excedentes.

ÆTHIOPIA INFERIOR, SEV EXTERIOR, Sexta Africæ Pars.

Aethiopia inferior antiquis ignota. Eius situs.

ÆTHIOPIA INFERIOR, seu exterior ea meridionalior est totius Africę pars, quę Ptol. ac antiquis prorsus incognita fuit, & a Portugallensibus proximè elapso sęculo inuẽta, & perlustrata. Hæc aũt incipit Occasum uersus supra Zaire fluuium non longè ab Æquatore, & totam complectens littoralẽ Africę partem ultra ipsum æquatorẽ, Abyssinorum regnum ab hac parte circumabit usque ad fretum Arabicũ. Sunt autẽ in hac terræ parte multa memorabilia, ut sunt regna aliquot insignia, Lunæ montes celeberrimi, amnes notabiles a *Zembre* lacu emanantes, qui dicun-

Memorãda huius Aethiopiæ partis.

dicuntur *Cuama*, & *Spiritus sancti* fluuius, famosissimum illud *Bonæ spei* promontorium, & alia de quibus pertractabimus. Partitur verò hic terræ tractus in quinque præcipuas partes, quæ sunt *Terra Aiana*, *Terra Zanguebaram*, *Benomotaxę* regnum, *Cafeorum regio*, & *Manicongi* regnum.

Regiones inferioris Aethiopiæ.

AIANA terra vocatur ab Arabibus regio illa, quæ inter ianuas maris Rubri, & fluuium *Quilmancis* iacet. Quæ maiori ex parte circa maris litus ab ipsis inuehitur, at Mediterranei tenent etiam nigræ gentes Idolatræ. Continet autem duo regna nempe Del, & Adea.

Aiana terra.

ADEL regnum amplũ est, & ab Arabiæ freto ad Caput *Gardafunium*, quod Ptol. Aromata promontorium est, extenditur. Habetque a Meridie, & Occasu Imperij Presbyteri Ioannis limites, ubi scilicet est regnum *Fatigar*. Rex Maurus est, qui inter Maumethanos sanctitatis specimen tenet, ab iisq; summopere colitur, eo quia cum Christianis cõtinuo belligeratur, multos Abyssinos in captiuitatẽ ducendo, quos Turcæ, & Principibus Arabiæ dono mittit, atque ab eis auxilia non minima equorum, & militum pro bello suscipit. Incolæ oliuastro sunt colore, bellicosi, licet inermes, ut plurimum sint. Metropolitana urbs est Anar, ut nonnulli scribunt. Subest huic regno ZEILA urbs Maurorum in arenoso, ac humili solo, quam ibi esse conditam quidam percensent, ubi olim fuit *Analites* Ptolemæi extra fretum maris Rubri. Vrbs hæc maximè commerciis uiget, ibi enim ex India panni, elephantũ dentes, thus, piper, aurum, ac aliæ merces deferuntur. Eius ager mittit satis copiosè mel, ceram, atque maximam olei quantitatem, quam non ex oliuis, sed ex zerzelino colligunt: abundat præterea frugibus, animalibus, ac fructibus a nostris differentibus, adeò ut etiam ad alias nationes nauigatione mittat.

Adel regnũ.

Incolæ huius regni.

Zeila urbs.

BARBORA etiam urbs Maurorum sub hoc regno cadit, quæ portum habet, ad quem permultæ naues mercibus onustæ ex *Aden*, & *Cambaia* appellunt. Genti color niger est, & opes eorum sunt carnes. Putant quidam hic esse locum, qui Ptol. *Malao* uocatur.

Barbora urbs.

ADEA regnum alterum *Aianę terrę* ad Oceanum usque Orientale pertingit, & habet a Septentrione regnum *Adel*, & ab Occasu Abyssinorum Imperium. Est autem frugiferum ualdè, & in quadam sui parte nemoribus abundantissimum, ubi armenta, & fruges copiosissimè proueniunt. Habitatur autem a Mauris, qui pacifici sunt, ac tributa Regi Abyssinorum persoluunt.

Adea regnũ.

Incolæ huius regni.

Subest huic regno MAGADAZZVM regnum, quod nomen ab urbe huius nominis sumit ad mare exposita ualdè tuta, fortis, pulchra, ac opulens, cui Rex Maurus præest: Territorium habet fertile, ac carnibus, equis, tritico, hordeo, & frugibus abundans. Portum insuper habet commerciis frequentissimum, ubi naues ex *Adel*, & *Cambaia* concurrunt, uariis pannis, aromatibus, & alijs mercibus onustæ. Ex hac uero urbe trahũt elephantium dentes, aurum, mancipia, mel, & ceram.

Magadazzũ regnum, & vrbs.

Incolæ oliuastri sunt, & nigri, sicut cęteri circumuicini, & nudi a superiore parte incedũt, Arabice uerò loquuntur, & pauca habent arma: vnde sa-

Incolæ Magadazzi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gittis tantum ueneno infectis vtuntur. Fuit olim hæc urbs caput Maurorum totius huius oræ maritimæ per longum tractum.

Zanzibar terra.

ZANZIBAR, seu ZANGVEBAR dicitur ab Arabibus, & Persis regio seu terra a fluuio *Quilimanci*, qui RAPTVS fluuius Ptolemæi est, ad *Benomotapę* regni fines usque producta. Sunt etiam qui totam Meridionalem Africę partem sub nomine *Zanzibar* intelligant vsque ad caput Nigrum ad Occiduum usque Oceanum; Vnde isti complectuntur simul *Benomotapæ* regnum & *Cafrariam*. Nos hac in parte Sanutum sequimur, dicentes hunc terræ tractum *Zanzibar* vocatum esse humilem, paludosum, & nemoribus, ac saltubus occupatum, & fluuijs repletissimum. Vnde aerē pestilentem habent. Incolæ nigri sunt, capillis crispis, idolatriæ dediti, & ad veneficia, & auguria admodū propensi: Nudi in superiore parte sunt, sed inferiorem partem pannis diuersicoloribus, & belluarum pellib. tegūt. Hic totus terræ tractus asper est, & inops, & maritima loca inhabitant Mauri. Continet autem hæc terra *Melindæ*, *Mombazzæ*, *Quiloæ*, *Mozambique*, & alia regna, ac loca.

Incolæ Zanzibur.

Melindæ regnum.

MELINDÆ regnum ad terram *Zanguebaram* pertinet, & est urbs muro percinctā, amęna admodum, quæ distat a *Mombazza* 70. milliaribus. Habet autem abundè orizam, millium, carnes, limones, citria, & omnis generis fructus: sed frumentū ex Cambaia huc affertur. Incolæ Mauri sunt, cuius domus ex muro constant. Suntq; magnificè extructæ maurorū more; colore sunt oliuastri, & nōnulli etiam nigri sunt, inter quos alii sunt idolatræ, alii Maumetanæ sectæ, sed omnes ciuilitatem quādam præ se ferunt tum uestitu, tum in domorum apparatu. Sunt autem Portugallensiū amici.

Incolæ huius regni.

Mombazza regnum, & vrbs.

MOMBAZZA urbs, & regnum iacet in insula quadam, cuius ambitus est 12. mill. hæc autem eiusdem qualitatis est cum urbe *Melinde*, eius tamē Rex Christianis infestissimus est. Fuit olim hæc urbs a Portugallensibus capta, qui ex ea multas opes, & plurima mancipia abduxerunt, eam tamen postea reliquerunt ob cęlum ipsis inclemens.

Quiloa insſ.

QVILOA vrbs ad terrā *Zanguebur* attinet: tametsi a continenti in modum insulæ sit paruo maris freto discreta. Posita autem hæc insula est ad ostium *Coani* fluuii, quem alii *Quiloa*, alii *Tabina* uocant; & ualdè amœna est, ac fertilis omnium rerū, quæ ad uictum attinent; sicut de urbe *Melindę* diximus. Vrbs porrò ipsa magnificis, & sumptuosis domibus Arabū more ornatur, & incolæ Mauri sunt Maumetanæ sectæ, & opulentissimi, quorū Imperium olim per magnū terræ tractū extendebatur, sed paucis ab hinc annis Portugallenses capta insula & urbe omnia deprędati sunt, & gentes plurimas in seruitutem abduxerunt. Vnde *Quiloę* rex quotannis 1500. marcarum auri tributum Portugalliæ Regi persoluit.

Quiloa vrbs.

Mozābiqui regnum, & insſ.

MOZAMBIQVE regnum ad terram *Zanguebaram* attinet, & sic uocatur ab una trium insularum, quæ uicinæ sunt continenti, ubi promontorium iacet Ptol. PRASSVM uocatum. Quæ quidem insſ. & si sterilis sit, populo tamen frequens est, & cōmerciis uiget magis, q̄ ulla alia huius Oceani urbs. In ea Portugallenses arcem habent munitissimam, estque ibi tutissimus, ac capa-

capacissimus portus, ubi naues Portugallensium, quæ ad Indiam nauigāt, & quæ ex ipsa redeunt, appellunt, optime sibi de rebus ad uictum necessaris prouidendo,

Monoemugi regnum.

MONOEMVGI regnū in Mediterraneis ponitur, & habet ab Occasu Nilum, & partim Presbyterum Ioannem: ab Ortu regna *Mombazzæ* & *Quiloe*: a Meridie *Mozambique*: a Septentr. Presbyterum Ioannem. Hic Rex confœderatus est cum Regibus Mombazæ, & Quiloæ ob negociationem: Habet mineras auri opulentissimas, & populi uestibus amiciuntur sericeis, & bombicinis in inferiori tantum parte, quos à mercatoribus exteris habent: Monetæ usus apud hos non est, sed eius loco globulos rubeos uitro persimiles habent. Subsunt huic regi quidam populi *Agag* uocati, crudeles, ac feri, qui inter sinistram Nili ripam, & *Zembrę* lacum per dispersos campos in tuguriolis inhabitant, nigro sunt colore, horribili aspectu, ac hominiuoræ.

Qualitas huius regni.

Agag pop.

Cefalæ regnum.

CEFALÆ regnum maritimum est, ac inter *Cuama* fluuiū, & *Manicam* montem clauditur: sumit aūt nomē a parua insula, ad ostiū cuiusdā fluuii sita. In quo quidem regno pauca sunt oppida, quæ potius uicos, aut pagos referunt: Isthic Portugallenses arcem habent egregie munitam comerciorum gratia, quæ ibi magnopere uigent, hic enim aurum & elephantiū dentes ex Mediterraneis regnis deferuntur, ac cum mercibus Cambaiæ, & aliorum locorum commutantur.

Arx Portugallensium isthic.

Benomotanæ regnum.

BENOMOTANAE, aut Benomotaxæ, seu Monopotapæ regnum amplissimum est, principiq; magno, ac potenti huius nominis subest, qui Gentilis est; Hoc autem nomen eorum lingua idem sonat, quod apud nos Imperatorem. Iacet hoc regnum ad modum insulæ inter duos ramos fluuij maximi, qui a lacu *Zembre* uersus Meridiem emanat, a quo quidem lacu Nilus quoque uersus Ortum, & Boream, & *Zaire* uersus Occidentem Originem ducunt. Ramus prædicti fluuij *Cuama* uocatus Boreale latus huius insulæ claudit: alter uerò, qui uocatur *Spiritussancti*, Australem, & occiduam insulæ partem terminat: atq; ipsam ab ortu mare abluit, cuius sanè insulæ ambitus traditur 750. Leucarum, seu trium milliū mil. Rigatur hoc regnū a multis amnibus, quorū limus & arena abundè secū deferunt. Regio tēperata est, amęna, fertilissima, ac optima, licet non undiq̄ue sit populo frequens, ob nemorū impedimenta. Isthic magna reperitur elephantū copia, qui gregatim incedunt, ut ex hac regione magna trahatur dentium elephantium quantitas: auri mineræ sunt hic optimæ, ac frequentes, non tam in subterraneis, quàm in fluuiis, ac lapidibus; gens attamen hæc non adeò magnificit ipsum. Incolæ uescuntur carnibus oryza, piscibus, millio, & oleo susimanorum, colore sunt nigerrimo, capillis hirsutis, mediocri statura, bellicosi, insidiosa feritate terribiles, cursu uel incitatos equos præuertentes; nonnulli tamen mercaturam exercent: idola non habent, sed vnicum colunt Deum ab ipsis *Mozimo* vocatum: inferiorem corporis partem Gossypinis, & Sericeis pannis auro intertextis cooperiunt, & caput etiam vario modo tegunt: Idolatræ, venefici, adulteri, & fures

Benomotanæ regnum.

Zembre lacus.

Insſ à duob. fluuijs facta

Auriferi amnes.

Regionis qualitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic ultimo ſupplicio puniuntur: vxorem quotquot volunt, ducunt; ſed earum prima cæteris præeſt, eiusque filij hęredes fiũt, reliquæ vxores huic obediunt, ac ſeruiunt. Tempore Sebaſtiani Portugalliæ regis ſuſcepit hic Benomotapa ſacroſanctum baptiſma, vnà cum multis Regni proceribus, ſed poſtea à Mauris ſeductus occidit Conſaluum Siluam Ieſuitam, cuius ſtudio ad Chriſtianam religionem venit. Sunt autem oppida huius regni diſperſa, & exigua, quæ domus ex lignis, & ſtramine habent.

Benomotapa Rex baptiſma ſuſcepit.

Benomotaxa vrbs Imperij huius amplitudo.

Præcipua verò vrbs eſt BENAMATAXA, vbi Rex maiori ex parte moratur. Vltra hanc Inſulam Rex hic longè, lateque ſuum extendit imperium tam verſus Mediterranea, quàm ad caput vſque *Mozambique*, & caput *Bonæſpei*, ſiquidem complures vicini Reges ipſi tributa pendent. Sunt etiam in hoc regno mulieres Amazones, ad bellum aptiores quàm viri.

Tortæ, vel Butuæ regnum.

Inter reliqua regna huic ſubiecta eſt TORRÆ, vel BVTVÆ regnũ, quod à fluuio *Spiritusſancti* ad *Currentium* vſque caput expanditur, & verſus Mediterranea maximè dilatatur. In hoc autẽ regno ſunt mineræ ditiſſimæ, & famoſiſſimum illud ędificium SIMBAOE vocatum quadrata forma ex lapidibus duriſſimis miræ magnitudinis antiquitus extructum, quo in loco Agyſſimbam fuiſſe Æthiopum regionem a Ptol. poſitam credibile eſt, tum ob poſitionem, tum ob nominis affinitatem: Maxima hic, & optima ſunt armentorum paſcua, & prata vbique campeſtria, ſed lignorum, & arborũ inopia eſt hic maxima: Vnde animalium ſtercore ad ignem nutriendum gentes utuntur; namque hic frigus maximè ſæuit ob uentos, qui à polo Antarctico proueniunt.

Simbaoe ędificium.

Agyſſimba regio iſthic.

Cafrania.

CAFRARIA, ſeu Cafrorum terra ea intelligitur pars à fluuio *Spiritus ſancti* uſque ad caput *Nigrum*, ultra *Bonæſpei* promontorium. Regio eſt aſpera, & inops. Incolæ ſunt inciuiles, & barbari, qui oppida non habent, ſed ſparſim per ſyluas inhabitant, ac per montes belluarum more uiuẽtes. Dicuntur uerò *Caferes*, ideſt ſine lege: ſunt inimici crudeles omnium nationum, & ueneficijs, ac augurijs plurimum operam nauant. De horum autẽ mediterraneis locis non habetur diſtincta cognitio. Cæterum in hac parte extat promontorium, vel caput *Bonæſpei*, ultimum ſcilicet terræ Africæ ad Meridiem, & eſt famoſiſſimum illud promontorium, & periculoſiſſimum, quod fuit detectum anno 1498. à Vaſco Gama tempore Ioannis Portugalliæ Regis: tres autem format angulos, qui uulgò dicuntur *Cabo della Guglia, Cabo falſo, & Cabo di buona ſperanza*. Iſthic perpetuò ſæuiunt maximè uenti ac procellæ, ſupra hoc promontorium iacet planities miræ amęnitatis in montis uertice, quæ *Tabula capitis* uocatur; namque perpetuò abſque humano auxilio uireſcit, ac floreſcit.

Caferes, ideſt ſine lege

Caput Bonę ſpei.

Tabula capitis.

MANICONGI, ſeu CONGI regnum habet ab Occaſu Oceanum Æthiopicum: à Meridie Lunæ montes, & *Caferes* populos; ab Ortu montes a quo fluuij emanant, qui in fontes Nili prolabuntur; & a Septentrione territorium Regni *Benin*. Extenditur autem a Meridie in Boream a *Capite vaccarum* ad *Caput Regni Benin*, ſeu ut alij dicunt a mare uſque ad lacum *Aquelunda*, quod quidem ſpatium complectitur circiter 600. mil. Eſt

Manicongi regnum.

Magnitudo huius regni & qualitas.

autem

autem hęc regio mirificè abundans herbis, plantis, frugibus, & animalibus innumeris, ut ſunt capræ, pecora, cerui, daini, capri, cuniculi, lepores, feles, qui zibettũ efficiunt, & ſtruthij, iſthic ẽt ſunt tigres, cocodrilli, hippopotami, zebræ, bufali, aſini ſylueſtres, dantes, & elephãtes innumeri ſunt, & mirę magnitudinis, quorum dentes 200. libras pendunt; ſerpentes uerò quidam adeò magni ſunt, ut integrum uorent ceruũ; uolucres item, & aues complures reperiuntur. Multis præterea aquis regio ipſa irrigatur, & inter cæteros amnes præcipuus eſt ZAIRE, ac ualdè ingens, qui regionem ipſam mediam interluit, exoritur autẽ is amnis a lacu *Zembre*, qui eſt unus ex Nili fontibus. Incolæ ſanguinei ſunt, fortes, ac longæui, capillos in capite paucos habent, eoſque criſpos, eorum corpora abſque pilis ſunt, & quatuor, aut pluries in die ſolent comedere bibentes aquam, aut palmę liquorem; monetam non habent, ſed eorum loco conchylijs utuntur, ſicut etiam in uicinis regionibus. Chriſti autem fidem præteritis annis opera, ac diligentia Portugallenſium ſuſceperunt. Diuiditur autem in prouincias ſex, quæ ſunt *Sunde*, *Pango*, *Songo*, *Bamba*, *Batta*, & *Pemba*, quarũ *Bamba* nobilior eſt. Vrbs Regia eſt D. Saluator diſtans 150. mill. ab Oceano, iacet autem ſupra altum, & ſaxoſum montem, in cuius ſummitate extat planities amęna, fertilis, ac aquis copioſa, quæ habitatores habet penè 100. millia, in hac Portugallenſes ſeparatim inhabitant.

Zaire amnis.

Incolarum mores.

Prouinciæ regni Manicongi.

ANGOLÆ Regnum populo numeroſiſſimum eſt, atque olim ſub Rege *Congi* erat, antequam ab ipſo defeciſſet. Rex ſuam habet ſedem in oppido CABAZZA, quod 150. mill. ab Oceano diſtat. Tenuit olim commercium cum Portugallenſibus. Sed poſtea bellum ſæpè inter ipſos ſecutum eſt. Regio eſt metallis diues, & animalibus omnis generis, attamẽ carnes canum magis æſtimant, quam alias, quo fit ut magna eorum quantitas ab incolis alatur pro macellis. Iſthic ſunt mõtes *Cantaberes* mineris argenti opulentiſsimi, quæ etiamnum intactæ ſunt, ob quas continuum inter uicinos exardeſcit bellum.

Angolæ regnum.

Cabazza oppidum.

Angolæ qualitas.

Cantaberes montes.

LOANGHI regnum eſt ultra regnum *Manicongi*, eſtque elephantibus copioſiſſimum cuius populi circunciduntur Hæbreorum more.

Loanghi regnum.

ANZICHI populi ſunt ultra Loanghum, nempè a Taire uſq; ad deſerta Nubiæ. Abũdant mineris æris, & ſandalo rubeo, ac griſeo. Regem præcipuum tenent, cui complures obediunt principes, negociantur in Regno *Conghi*, ex quo ſalem, ac lumacas maiores exportant ex Inſula D. Thomæ aduectas, quæ cum palmarum telis, ebore, & cum mancipijs permutant: clypeis in bello ex pelle *Dant* animalis confectis, & arcubus paucis utuntur, quibus ſagittas mira celeritate emittunt; macellum habent pro humana carne, ſicut apud nos pro uaccina; ſed tamen inimicos ſolũ, quos in bello capiunt, comedunt; mancipia autem macellaribus exhibent, quando ea conuenienti precio uendere nequeunt. Reperiuntur inter eos qui principum gratia, ac dominorum ſeſe ipſos macello exponant; ſunt adeò fideles, ut mortem potius eligant, quam non rectè propriis dominis ſeruire. Vnde Portugallenſes hæc mancipia præceteris eligunt.

Anzichi populi.

Anzichi hominiuoræ.

INSVLÆ CIRCA AFRICAM Insigniores.

Inſ. circa Africam.

CIRCA Africam permultæ ſparſæ ſunt inſulæ, quarũ maior pars nihil notatu dignũ habet, præter has, quas ut præſtantiores numerabimus. Et primo quidem in Oceano Atlantico ſunt inſ. *Portus ſancti*, *Madera*, inſulæ *Canariæ*, & inſ. *Capitis uiridis*. In Oceano Æthiopico ſunt inſ. *Principis*, & inſ. *D. Thomę*. Deinde poſt Caput Bonæſpei in ſinu Barbarico, quod Aſperũ mare Ptol. eſt. Sunt innumeræ inſulæ maiori ex parte inhabitatæ, præter inſulam inſignem *D. Laurentij*, quam *Madagaſcar* uocant. Tandem è regione capitis *Guardafu*, olim Aromata promontorium, iacet Zocotara inſula, olim Dioſcuriada.

Inſ. Portus ſancti.

INSVLA PORTVS SANCTI.

Madera.

INSVLA hæc olim inhabitata fuit, anteq̃ an. Do. 1428. primum a Naucleris Regis Portugalliæ detegeretur. Vocata autem fuit inſ. Portus ſancti, quia inuenta fuit in Feſto omniũ Sanctorum, ipſamq; Niger putat eſſe *Ombrio* Plinii, quam inter Canarias numerat, ſed rectius *Cerne* eſt Ptol. Iacet è regione regni Marocheni, & eius circuitus eſt i 5. mil. ac diſtat ab Æquatore uerſus Boream gr. 32. cum dimidio, & long. habet gr. 4. cum dimidio a primo Meridiano. Abundat autem frumẽto, ac frugibus, quantum ſibi ſufficit. Boues, apri, & cuniculi iſthic ſunt ſatis copioſè. Legitur etiam iſthic gumma illa, quæ ſanguis draconis uocatur, in uicino mari optima eſt piſcium expiſcatio. Nullum habet hæc inſula portum, ſed ſolum ſatis tutam ſtationem.

Eius circuitus. Diſtantia ab Æquatore. Qualitas.

MADERA.

Madera.

MADERA inſ. diſtat ab inſ. Portus ſancti mill. 40. uerſus Garbinum. Eius medium obtinet latit. gr. 32. uerſus Boream, & long. gr. 3. cum dimidio: amplitudo eius eſt gr. 140. uel ut alii tradunt 160. Hanc Ortelius putat eſſe *Iunonis inſulam* Ptol. quam *Autolalam* quoq; uocat. Fuit autem hæc inſ. primum detecta, & habitata an. Do. 1420. cum prius deſerta, ac nemoroſa eſſet, & immenſis arboribus repletiſſima. Vnde accenſo in eam igne per aliquot annos nemora omnia conſumpta fuere, & ager ad culturam idoneus, redditus eſt. Eſt tamẽ montuoſa ad inſtar Ciciliæ, atq; ẽt fertiliſſima. Nam quamprimum ſeminari cępit, ex una ſeminũ menſura 60. reddebat: hodie aũt non adeò fertilis eſt. Mittit igitur hæc inſula fruges & uinũ optimum ſatis copioſè, atq; ẽt optimos fructus, mel, & ceram profert, ſed ſacchari harundinũ præſertim miro prouentu gaudet, quod in multis regionib. diſtrahitur, nomẽq; ab inſula retinet; animalium greges hic copioſi ſunt, ac ẽt montes apris abundant; pauones ſyl-

Iunonis inſ. Eius qualitas.

ueſtres

ueſtres, palumbi, coturnices, & alij uolucres iſthic non deſunt. Abundant iſthic fontes aquæ limpidiſſimæ, & octo plùs minùs fluuiis irrigatur ipſa inſula; aer iſthic calidus, & temperatus eſt, frigore parũ ſæuiente. Cedri celſiſſimè in hac inſula creſcunt, ex quibus menſæ, capſæ & alia huiuſmodi fabricantur. Sedet iſthic Archiepiſcopus Primas Indiarum in urbe FVNCIAL, quæ caput reliquarum eſt.

Primas Indiarum. Funcial.

CANARIÆ INSVLÆ olim Fortunatæ.

Fortunatæ inſ.

FORTVNATAE inſulæ ab antiquis in Atlantico mari ponuntur, quas nunc Canarias dicunt, in quorum nominibus recẽſendis inter ſeſe diſcrepant: atq; in earũ diſpõne, ac ſitu moderni ualdè a priſcis uariant. Plinius & Solinus haſce ſex recenſent, quę ſunt Ombrio, Iunonia, Iunonia minor, Capraria, Niuaria, & Canaria. Ptol. aũt nominat eas Aproſitum, Heram, uel Autolalam, Pluitaliam, Caſperiam, Canariam, & Centuriam. Omneſq; in rectam ferè lineam a Septent. in Meridiem diſponit; unde ſub eodem Meridiano cadunt, qui quidem Meridianus initium eſt computationis longitudinis tertæ. Moderni, qui eas anno 1402. detexerunt (cum antea poſt Rom. Imperij interitum latuiſſent) recẽſent ſeptem, easq; alio ordine diſponunt, & hæc ſunt: *Lanzarotta*, *Forteuentura*, *Magna Canaria*, *Tenariffa*, *Gomera*, *Ferrum*, & *Palma*; præter alias quaſdam paruas, quæ ſunt circiter ſex. Ex his *Lanzarotta*, *Ferrum*, & *Gomera* ſunt particulariũ dominorum: reliquæ ad Regẽ Portugalliæ ſpectãt. In uniuerſum aũt hæ inſ. abundant hordeo, mele, cera, ſacchari harũdinib. caſeo, pecoribus, capris: camelis, & animaliũ pellib. in primis uerò mittũt herbã copioſè *Oricelo* uocatũ, ex qua panni colore puniceo inficiũtur, cuius maxima quãtitas in alias regiones Europæ defertur. Incolæ olim rudes admodũ erãt, ſed hodie cultiores, & ſagaciores facti ſunt. Inter has inſ. maior eſt CANARIA MAGNA, quæ ampla eſt 90. mill. & antiquũ retinet nomẽ, ac incolas hẽt plùsminùs 9. millia. TENARIFFA aliquãdo minor eſt, quæ quidẽ montẽ habet immenſæ altitudinis, qui procul 90. leucis cõſpicitur, ac eius altitudo eſt 15. leucarum. Hanc inſulam Niger putat eſſe *Niuariam*. Plinij. FERRI inſula, olim *Pluitalia*. Ptol. vt quibuſdam placet, vel *Ombrio*. Plin. & *Aproſitus*. Ptol. vt alii putant. Hæc aũt aliam non habet aquam, quam quæ ex arbore quadam ſtillat. Quam nubes ei ſubminiſtrat, & hæc ſufficit hominibus, & animalibus. FORTEVENTVRA inſula *Capraria*, Plinii eſt, & *Caſperia*, Ptol. ut Niger putat. GOMERA inſulam Andreas Baccius putat eſſe *Niuariam*, Plinij. PALMA inſula exigua eſt, ſed amœna, ac uino, caſeo, animalibus, & ſaccharo diues. Vnde qui ex Hiſpaniam in Peruuiam, & Braſiliam nauigant, iſthic de rebus ad uictum neceſſariis ſibi prouident.

Plinius. Solinus. Ptolemæus.

Quãdo inſ. Can. detectæ.

Quot ſint inſ. Can.

Illarum nomina.

Qualitas inſ. Fortunæ.

Oricelo.

Incolarum mores, ac natura.

Can. magna

Tenariffa.

Niuaria.

Forteuentura.

Gomera.

Palma.

INSV-

INSVLÆ CAPITIS VIRIDIS, olim Gorgones, seu Hesperides.

Inſ. Capitis viridis. Quando repertæ. Gorgones. Gorgades. Heſperides. Earum qualitas. Inſ. D. Iacobi. Ribiera Grandę.

INSVLAE CAPITIS VIRIDIS ſunt nouem, quę inter Caput uiride, & Caput album iacent, ac anno 1440. à quodam Gennenſi repertæ ſunt, & has quidem *Gorgones*, ſiue *Gorgades*, aut *Heſperides* antiquorum putant nonnulli eſſe. Abundant autem capris, & ſalinis, ac in eis Hiſpani millium Zaburrum colligunt, Præcipua earum eſt Inſula *D. Iacobi*, cuius longitudo eſt 7. mill. in hac eſt Portugallenſium urbs & colonia, quæ uocatur uulgè *Ribiera grande*, quæ amnem habet, & portum ſatis tutum. Inſula autem uniuerſa aſpera eſt, & montuoſa, ſed tamen amœniſſimas habet ualles, & populo refertas.

INSVLA PRINCIPIS.

Inſ Principis.

INſula Principis iacet citra Aequinoctialem gr. penè tribus, quæ quidem ſatis culta eſt, ac olim Principi Portugalliæ eius reditus aſſignabatur, unde inſula ipſa nomen traxit.

INSVLA D. THOMÆ.

Inſ. D. Thomæ. Eius formę. Qualitas.

DIVI Thomæ Inſula ſub Aequatore precisè iacet, cuius forma rotũda propemodum eſt, ac diametrum habet 60. mill. Aere potitur calido, & æquinoctij tempore, utpote menſibus Martij, ac Septembris iſthic magnæ decidunt pluuiæ; alijs autem menſibus ros ſatis copioſe tellurem humectat, quinimo eſt mons in inſulæ meditullio nemoroſus ualdè, qui continuo nubibus opertus eſt, quib. ſyluæ in eo denſiſſimę adeò humectantur, ut continuò aquam emittant, quæ ſanè ad irrigandos agros ſacchari harundinibus conſitos ſatis ſufficit. Iſthic quoque quanto ſol uertici magis appropinquat, tanto magis cœlum fit nubilum. Solum huius inſulæ tenax eſt, molle, & colore ad rubeum accedente, quod quidem frumentum non fert, nec uites, aut ullam fructiferam arborem, cuius fructus oſſa habeat, nutrit melones tamen cucurbitas, ficus, & ſaccharum præſertim mirè profert, ex quo incolæ magnum recipiunt prouentum; namque quotannis iſthic 40. plùs minùs naues ſaccharo onerantur, quod incolæ in frumentum, uinum, caſeum, coria, uitrea uaſa, & in alia quoque ad uictum, & humanum uſum neceſſaria commutant. Vrbs eſt in hac inſula *Pauoaſan* uocata, Portugallenſium colonia cum optimo portu, & annę ſaluberrimo, in qua circiter 700. familiæ numerantur.

Pauoaſan.

MA-

MADAGASCAR, SEV DIVI Laurentij Inſula.

Madagaſcar inſ.

DIVI LAVRENTII inſula vocatur, quia in feſtiuitate D. Laurentij fuit inuenta, incolis *Madagaſcar* dicitur, & Ptol. eſt *Menuthias*, Plinio verò *Cerne*. Quæ quidem intet maiores, ac ditiores totius vniuerſi connumeratur. Eius ambitus eſt 4. millium milliarium, & longitudine ſua Italiam ſuperat, licet non adeò culta ſit. Sita autem eſt vltra Aequatorem a gradibus 17. uſque ad gr. 26. cum dimidio uerſus polũ Antarticum è regione Pruſſi promontorij, quod nunc *Mozanbiche* uulgò uocant, a continentique Africæ diſtat propè eius mediũ mill. 170. Eſt autem omnium rerum ad humanum uſum neceſſariarum vber ac beata, mittit enim millium, oryzam, mel, cerã, goſſipium, ſaccharum, limones, medicos, gariophylum ab Indiano nonnihil diſſimilem, & gingiberis aliquantiſper, ſuccinum, crocum, argentum, atque etiam ſandalum rubeum. Præterea ſunt etiam iſthic leones, leopardi, cerui, damæ, capræ, & alia animalia tum domeſtica tum ſyluestria. Elephantes innumeros etiam inſula mittit, unde maxima hinc trahitur eboris copia, ſic quoque camelis abundat, quorum carnes ab incolis ſanitatis cauſa comeduntur. Incolæ ſubfuſco ſunt colore, capillis hirſutis, idolatræ, & moribus ferinis, & barbaris, atque parum à populis Caferes differunt, pudenda tantum goſſipinis pannis cooperiunt, & habitant in pagis per nemora ſparſis. Sunt tamen hic quamplures Mauri, qui oppida, ac urbes incolunt, atque etiam iſthic ſunt gentes candidi coloris, quas ex China ortum duxiſſe nonnulli percenſent.

Eius ſitus.

Qualitas incolarum mores.

ZOCOTARA INSVLA.

Zocotara inſ.


ZOCOTARA Inſula olim *Dioſcoridis* Ptol. uocata fuit, vt Ioanni Bario placet. Et ſita eſt è coſpectu capitis *Guardaſui*, quod Ptol. eſt Aromata promontorium, eius que longitudo eſt milliarium 60. & latitudo 25. quam quidem per medium montes aſperrimi, ac admirandæ altitudinis diuidunt. Ventis autem magnis uexatur unde ualdè ſiccitate laborat, ac rebus ad uictum neceſſarijs indiget, licet nonnihil millij, dactylorum, & fructuum quorundam ferat. Paſcua habet optima pro animalium gregibus. Cinnabaris, ſanguinis draconis, gumma, & lignum aloes ex hac inſula abundantiſſimè extrahuntur. Incolæ rudes, ac uiles ſunt colore ſubcineritio, & optimè diſpoſiti Chriſtianã fidem colunt, errores Iacobitarum ſequendo, & crucem ualdè uenerãtur, eamque ſemper collo appenſam geſtant. Magici uanitati, & incantationibus ſummè dediti ſunt, & habitant in ſpeluncis, ac uilibus caſulis.

Aromata prouincia. Inſ long. latitudo.

Incolarum mores.

ÆGYPTI

Universidad de Deusto
Biblioteca


MARE RUBRUM
AEGYPTVS.
Cairo
Babylon
Memphis
Alexandria
Nilus
Delta
Desertum
Arabia
Libya
Nubia
Abyssinia
Aethiopia
Mons Sinai
Mons Horeb
Mons Oliveti
Mons Sion
Mons Libanus
Mons Carmel
Mons Hermon
Mons Seir
Mons Hor
Mons Nebo
Mons Gilead
Mons Galaad
Mons Ephraim
Mons Gelboe
Mons Gilboa
Mons Thabor
Mons Gerizim
Mons Hebal
Mons Iudæ
Mons Olivet
Mons Calvariæ
Mons Caluariæ
Mons Caluariæ
Mons Calu

Universidad de Deusto
Biblioteca

Africanus tradit, cum ibi flexuram quandam efficiat ab Occasu in Ortum aliquantisper se deuoluens: sed Plinius, quem multi sequuntur, finit Ægyptum ab hac parte propè Syenem vrbem famosissimam, quæ nunc *Asna* vocatur. Alij scribunt a Meridie Cataractas esse, quæ sunt præcipites, & asperæ montium angustiæ, per quas amnis Nilus ingenti aquarum mole deuolutus non fluere inter occursantes scopulos, sed ruere videtur, ab Ortu sunt Deserta Arabiæ, quæ Aegypto, & mari Rubro interiacent, qui tractus inuius, & aqua carens itinere dierum octo patet. Ab Aquilone autem mari nostro infido, & raris portubus hospitali clauditur, quod sanè Aegyptiacum pelagus a regione ipsa, quam abluit, nuncupatur. Vnde patet, id solum Aegyptum cum priscis uocari, quod habitatur, & a Nilo amne irrigatur, nempè tractum eũ, qui a maximis desertis circundatur, incipiẽs a locis Syene proximis usq; ad Mediter. mare. Quæ sanè pars irrigua ad utrãq; Nili ripã iacens a Syene, seu *Asna* ad Alcairũ usq; olim Babylon dictũ similis est fasciæ in longum explicatæ, si excipias diuersicula fluuij, ut ait Strabo, quæ sunt compluria; quam quidem figurã mõtes efficiunt, prope quos fluuius ipse recta fluens, ac inter ipsos contractus non magis quam in 300. stadiorũ, seu 37. circiter mill. (licet nõ ubique) continuã latitudinem diffunditur recentiores uerò quidã tradunt latit. hanc uix esse septẽ, aut octo mill. ac interdum ẽt inter montes adeò constringi, ut quatuor, aut quinque non excedat, ab Alcairo vero, seu propè is amnis in duas præcipuas partes scissus reliquum Aegypti figura efformat triangulari, cuius sanè duo latera sunt duo aluei ipsius Nili utrinque ad mare descendentis, alter nempè ad dextram usque ad Pelusiacum ostium, vbi est nunc Damiata urbs, qui alueus Ptol. Bubasticus fluuius uocatur; Alter ad sinistram ad Canopum vsque proximum Heraclium ostium, ubi nunc Rossetum extat oppidum, & hic quidem alueus Agathos dæmon fluuius Ptol. est: Basis autem huiusce trianguli maritima est ora Pelagi, Ægyptij inter Pelusium atque Canopicum ostium, seu Heraclium, quæ quidem 1300. ferè stadijs extenditur, seu mill. Italicis 162. ferè, ex Strabonis sententia, seu ut alij ponunt 170. mill. passuum. Est itaq; hæc Borealior Ægypti portio, quę inferior dicitur in modum insulæ, mari scilicet, duobusq; illis Nili alueis inclusæ, quæ sub Deltæ nomine a ueteribus Geographorũ Historicis, ac Poetis comprehenditur ob eius similitudinem cum huiusmodi litera Græcorum, & hæc quidem ter mille ferè stadiorum secundum Strabonem ambitu suo complectitur, quæ faciunt mill. Italica 375. Moderni tamen nonnulli hoc Delta tradunt in ambitu mill. circiter 300. continere: nam a Rosetto oppido prope ostiũ Canopicum ad Damiatam circa ostium Pelusiacum sitam, computãt mill. 140. & utrumq; alueum 70. mill. extendunt. Hanc Ptol. magnum Delta appellat, propterea, quod ipsum adhuc in paruum & tertium Delta secat, vocans paruum Delta quod Bubastico, & Busiritico fluuijs continetur: & tertium Delta, quod Bubastico, & Athribitico comprehenditur.

Ægypti longitudinem omnes ferè ab urbe Syone, seu Asna ad mare usque nostrum accipiunt quam Plinius quingentis octuaginta quinque millibus

Aegyptus propriè quę pars dicatur.

Aegypti figura.

Duo Nili alueí.

Bubasti fiu.

Agathos dæmon fiu.

Aegyptus inferior ad instar insulæ, & figuræ Deltæ.

Aegypti mensura.

millibus passuũ mensus est, at milliaria circiter 500. continere nonnulli moderni tradunt. Leo tamen Africanus regionis huius longitudine supra Asnam ad urbem usque Asuam amplam, & uetustam extendit, quæ ad Aegypti Nilum 80. circiter milliaribus Orientem, & Meridiem uersus distat in confinio regni Nubiæ, & populorum Bughiæ, facitque longitudinem 450. milliariorum Italicorum, quæ tamen milliaria cum plùs iusto maiora ipse Leo accipiat, idcirco quartam partem secundum Sanuti opinionem addere oportet, ut sint milliaria, propè 562. communia.

Sita est aũt prouincia hæc non longè a Tropico Cancri, uersus circulum Arcticum, inter parallelum, s. septimum & decimum sub secundo potissimum climate, quo fit ut maximus æstatis dies horas 13. cum semisse superet, quæ tamen parum supra horas 14. sub Borealioribus partibus producitur. Meridianis uerò Alexandrino, & Pelusiano inclusa est, quorum ille per gra. 60. cum semisse transit, hic uerò iuxta gradum 63. cum triente Pelusianum autem Meridianum intelligimus esse ductum per urbem hodie Tenesse, seu Teneze uocatam, quam cum Ortelio antiquam urbem Pelusiam fuisse credimus.

Aegypti situs cęlestis.

Regionis porrò huius diuisiones uarias apud Scriptores comperimus. Nam qui Nilo amne Africam ab Asia seiungunt, in tres eam diuidunt partes, ut apud Nigrum constat, nempe in AEGYPTVM ASIATICAM, quæ Thebais dicitur, & nunc *Seid*, uel *Said*; in AEGYPTVM AFRICAE, & est ea pars, quę ad occasum uergit: & in ÆGYPTVM INFERIOREM, quæ ad Septentrionem inter Nili diuisionem sub Deltę forma comprehensa est. Quę profectò pars inter orbis insulas ab aliquibus Plinio auctore connumerata fuit, & ab aliquibus etiam inter orbis antiquis cogniti primarias partes, ceu quarta accepta fuit.

Aegypti diuisio in tres partes.

Antiquitus quoque diuisa erat Ægyptus in superiorem, & inferiorem. SVPERIOR ea intelligitur pars longa, ac angusta, quæ à cataractis supra Syenem in confinio Æthiopum incipit, & ad verticem vsque Deltæ, seu trianguli propè Alcairum finit. INFERIOR autem AEGYPTVS est, quæ ab Alcairo ad mediterraneum mare sub Deltæ Forma a duobus Nili alueis concluditur, vt superius diximus. Præterea alij etiam secant ipsam prouinciam in tres partes, in superiorem, Mediam, & inferiorem. SVPERIOEM quidem accipiunt à finibus Aethiopum iam dictis, sed terminant eam solũ ad Antinoẽ, seu Antinoiã vrbem ad Nilum sitam, quæ hodie *Anthius* Leoni Africano est, & hæc quidem est eadem, quæ Thebaidis regio nũc *Sahid*. MEDIAM AEGYPTVM eam portionem intelligunt inter Antinoem vrbẽ, & maioris Deltæ verticem interiacentẽ quæ Heptapolis, & Heptanomia etiam dicitur, & a posterioribus *Archadia* ab Archadio Rege appellatur. INFERIOREM autẽ AEGYPTVM eãdem intelligunt partem sub Deltæ figura contentam, quæ quidem a Romanis Augustamnica, seu Augustamia uocata fuit; ipsamque Iustinianus in suis nouellis in primam, & secundam diuidit, & Ptolemæus in tres, hoc est in magnum Delta, paruum, & tertium Delta, vt etiam supra constat.

Antiqua Aegypti diuisio in superiorem & inferiorem.

Aegypti diuisio in superiorẽ Mediam, & inferiorem.

Postremò

Aegypti diuisio à Ioã. Leone tradita.

Postremò Leo Africanus huius prouinciæ diuisionem, affert eo tempore ortam, quo Mahumetani illius principatum occuparunt, in tres uidelicet regiones, quæ sunt *Sahid*, ideſt terrestris, quæ est à finibus Bugiæ ad Alcairum vsque, & hæc est superior Ægyptus: *Errifia*, quæ est ora Occidentalis Nili ab Alcairo ad Rosettum, & *Bechria*, seu *Maremma*, quæ versus Orientem Nilo flumini adiacet. Nec ignorandum etiam est, Ægyptum olim ab Alexandro Macedone in suam ditionem redactam in Nomos plures, hoc est præfecturas diuisam fuisse, quod itidem, & Romani postea fecerunt. Herodotus 18. nomos ponit Strabo 19. Ptolemæus 46. numerat, & Plinius circiter 50. nomorum nominatim meminit. Ortelius uerò ex pluribus ueteribus scriptoribus 66. nomorum nomina colligit, ut apud ipsum uidere licet.

Aegypti in nomos distributio.

Regio hæc solo fluuio NILO totius orbis nobilissimo secatur, irrigatur, ac proinde fœcundissima redditur, cui uaria indita sunt nomina, & eorum variæ traduntur rationes. Dicitur enim ÆTVS ideſt Aquila Diodoro propter uelocitatem cursus circa catarractas AEGYPTVS à rege Aegypto, qui & prouinciam suo de nomine appellari uoluit, MELVM uocari etiam Festus dicit, & MELAM Eustathius, & Plutarchus. CHRYSORRHOAS, quasi auriferus à Cedreno, & Epiphanio appellatur, SYENE à Dionysio. Vocatus olim etiam fuit SIRIS, TRITON, DYRIS, ASTAPVS, & ASTABORAS, In sacris Literis *Seor*, vel *Sihor*, ideſt turbidus ob limum, quem secum ad Aegyptum fert, atque etiam in ijsdem *Gehon* & *Phison* nominatur. NILVS autem à Nileo rege nuncupatus fuit, qui fluuium illum utilem colonis reddidit. *Noym* ab Aegyptijs, *Tacui* ab Abyssinis teste Barrio, uel *Abanhi*, teste Marmolio. *Nil* ab Africanis, *Taccasij*, & *Abanhi* ab accolis indigeratur. De huius fluuii origine uarię traduntur a scriptoribus opiniones, eæque omnes ferè incertę, hoc tamen nunc certo constat ipsum non a montibus Lunæ, ut Ptol. ponit, sed a maximo lacu exoriri, qui est in superiore Aethiopia inter regnum Maninconghi, & territorium Benomotapæ sub gr. circiter 11. altitudinis pali Austrini, atque longissimo tractu per uarias pluresque regiones percurrere magnis retortus fluxibus, ac multas efformans insulas, quarum omnium maxima & clarissima est MEROES, quam cum perstrinxerit (ait Niger) collectus in unum uires omnes acquirit, & nunc uagus aliquandiu, & extra ripas effluẽs campos stagnat, rursus multifidas undas unum in alueum resumit unde per saxa excurrens præcipitem se in cataractas emittit (quæ petrosa quædam supercilia sunt in superiori parte plana, ut fluuium recipere possint desinentia in præcipitium, quo aqua pręcipitatur. Aegyptum autem ingressus montes ab vtraque parte protensi flumen excipiunt, qua conuallibus, & angustiis interiectis dispersum, magnos lapsus usque Deltam fermè efficit: nam quantum ij extenduntur, & inter se distant, tantum diffunditur flumen, & contrahitur, ac regionem habitabilem diuerso modo figurat: rursus tanquam inde repulsus per campos funditur, naturalem recipiens cursum: hæc ille. Est autem Nilus dum per Aegypti regionem

Niii fluuij varia nomina.

Nili origo.

Meroes insula.

Nilus Pado Italiæ similis.

fertur

fertur persimilis maximè Pado Italiæ fluuio (ut asserit Bellonius) præsertim à Ferraria usque ad eius ostium: nam facilè uelis expansis sicut ille subiri potest, & secundis, ac aduersis undis nauigari. De ostiorum Nili numero, & nominibus ualdè antiqui Scriptores discordant, nam alii ponunt septem, ut Pomponius, Strabo, Diodorus, & Herodotus, alii cum Ptol. 9. sed Plin. 11. Recentiores tamẽ tres, uel quatuor tantum eos hodie esse affirmãt ut Guilielmus Tyrius, Petrus Bellonius testes fide digni, & oculari, atque etiam alii. Nam in quatuor ramos sese diuidit quatuor sub Cairo mill. quorum duo bina primaria, & nauigabilia efficiunt ostia, nempe PELVSIACVM ubi est Damiata: & CANOPICVM, seu *Heracleoticum*, ubi est Rosettum: Inundationis tamen tempore plures riui, in quos amnis diducitur, nauigabiles sunt, reliquo tempore nauigabiles magnis nauigiis non sunt ob breuia, ac paludes, sed uado pertransiri possunt. Is porrò fluuius fœcundissimus est: nam plurimos pisces admodum celebres alit, ac præterea stupenda animalia, ac monstra nutrit, ut equos, & boues marinos, crocodilos, & alia, quæ hominibus noxia sunt. Ab hoc fluuio nullam exhalare auram scribunt, ac eius aquam esse prę ceteris uniuersi orbis suauissimam, forsan quod tenuissima sit, & à Sole excocta, seu ob cursus sui lõginquitatem: etenim huic nullus orbis fluuius uersus longitudine æquipari potest. Tradunt quidam Nilum suis notis per numeros expressis numerum dierum anni continere sic: N 50. E 5. I 10. A 30. O 70. Σ 200. Inundationis tempus in Aegypto incipit circa 17. Iunij, quo tempore 15 amnib. 40. diebus continuis crescit, ac totidem decrescit quod sanè euenit, quando Aethiopia supra Aegyptum æstiuis imbribus abluitur, præsertim in extremis montibus, quibus desidentibus inundatio etiam cessat, quod profecto mirabile est, hunc. s. fluuium tunc crescere, cum decrescunt cæteri; minui uerò, quando reliqui augentur, quo temporis interuallo ab initio scilicet incrementi, usque ad finem decrementi omnes Aegypti ciuitates, ac oppida ueluti insulæ conspiciuntur, propterea quòd eminentiore in loco sita sunt: ubi ab inundationibus Nili tuta euadant, ad quæ tamen accedere non licet, nisi scaphis, ut natando, atq; tunc animalia fera fere omnia suffocantur aqua; quæ euadunt, ad altiora confugiunt: pecora autem in stabulis tunc conclusa nutriuntur à colonis, ad id antea præparato pastu. Maior autem est (ut ait Seneca) lętitia gentibus cum minus terrarum suarum uident. Cæterum cum incrementi Nili quantitas aliis subinde sęculis tenuior facta sit, in futurum tandem nullam fore, sed riparum margines fluminis altitudini adęquatum coniectari potest. Sunt etiam, qui uelint, referente Strabone, Aegyptum priscorum temporibus fuisse mari submersam usque ad paludes propè Pelusium, & ad Casium montem, ac Serbonidẽ; sed Nili beneficio sua inundatione limum continuo secum deferentis fuisse opertam, nã passim isthic sub arena salsa, conchylia nulla adinueniũtur.

Nili ostia.

Nilus stupenda animalia nutrit.

Nulla aura à Nilo exhalat.

Inundationis in Aegypto tempus.

Aegyptus olim mari submersa

Est autem Aegyptus plana, & denexa, seu humilis regio, montiũ expers, unde procul intuẽtibus apparere nequit, cuius aer calidus est, ac nociuus; quo fit, ut ad imminensum, & intolerabilẽ Solis ardorem æstate effugiendũ,

Aegypti qualitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo solũ exutritur,ad aurãq́;captandã,soleãt incolę per singula oppida (vt Leo Afric.tradit) excelsas turres cõstruere,quæ in superiore,ac infima parte ostium ex aduerso ędiũ habeant,per quarũ fastigia dimittitur ad infimã partem ventus.Ipsa attamen regio ab Austrinis uentis magno,calore accẽsis,quemadmodũ cætera Africa,nõ peruagatur; sed Aquilonarib.prędipuè exposita est,qui isthic humidi sunt,tametsi alijs in regionib.desiccent, terræmotibus verò haudquaquã est subiecta,ac insueta est imbribus, quibus tamen ob Soli fęcunditatẽ non indiget, quinimò pluuiæ ipsæ,quæ rarò tamen isthic sunt, multos afferũt morbos,vt catarrhos,febres,testiculorũ tumores,ac alios ; fertilissima aũt est ob Nili imprimis inundationẽ, quæ cũ eius accessu destituitur,famem proculdubio, & ipsa sentit, & multis præterea fossis intercisa est,quod Sesostris Regis opera factum fuit, ne.s.oppida,quæ longè à Nilo in regionis meditullio sita sunt, refluo flumine aquis destituerentur. is verò fluuius regionẽ hanc irrigans ita fęcundam,mireq́; fertilem cã reddit,vt nõ alibi terrarum,aut vberior, aut uelocior herbarũ, & frugum maturitas peruenirer. Est Trogus sanè Ægypti solum ita fęcundum asserit,vt alimentorum nulla terra feracior sit in vsu hominũ . Vnde & illud Lucani legitur. *Terra suis contenta bonis non indiga mercis : aut Iouis, in solo tanta est fiducia Nilo.* Veteres ẽt plurimi,publicũ orbis horreũ Ægyptũ esse prædicarunt.& Pli.quoq; asserit,Rom.Imperij amplitudinẽ absq; Aegypti opib.frugibusq́; diu perdurare nõ potuisse,cũ in solo Nilo populi Ro.abundantia,vel fames esset.Idẽ quoq; testatur,sic abũdè herbis ad cibũ accõmodis Aegypti agrũ affluere, vt uel frugib. carere possit . Opes igitur huius regni,admirandæ potius sunt,q̃ æstimandæ,si quis ad splẽdorẽ,& supbiã regaliũ monumẽtorũ Labyrinthi,Obeliscorũ,Pyramydũ,& Sphingis respiciat,quæ inęstimabili cũ pecuniarũ absoluta fuere. Quartũ vestigia ẽt nũ visuntur, ad quæ Romanorũ fabricę, & antiquæ operæ nihil accedunt. Reditus verò huius regni olim immensus fuit tũ ob fertilitatẽ, quã ei Nilus affert tũ ẽt ob incredibilẽ uecturæ cõmoditatẽ,quia ex Aethiopia,Arabia,& India olim frequentib.nauigationib.opes multæ,ac precioſę res hic allatę sunt. Vnde Ptol. Auletem hinc annuum tributũ duodenũ millũ,& 50. talentorũ habuisse ferũt, quam summã ad Septem milliones aur. cũdimidio accedere ex Budæo colligitur,sed multò maiorẽ reditũ in hac prouincia Romani perceperunt. His tamen postremis tẽporib. sub Turca tenuiores Aegyptiorũ factæ sunt . Est itaq́; vniuersa hæc prouincia oĩ granorũ,ac leguminum genere fertilissima,pascua ubiq́; lætissima hẽt, & oleraceis stirpib.mirificè abundat. superior attamẽ Aegyptus, seu *Sahidica* regio reliquas partes oĩs generis leguminũ,animaliũ,pullorũ, anserũ liniq́; copia antecellit: Inferioris Aegypti pars ad Orientem exposita,quæ *Errifia* dicitur fructibus hordeo,farre,& oryza : *Maremma*,seu Orientalis eius ora gossypio,& saccharo fęcundor est. Isthic autẽ sub Aprilis initiũ segetes metũtur & confestim triturantur, unde circiter 20. Maij, neq; spica secanda relicta est,Agri circa Nilum plurimis locis, ut dicit Bellon. testis oculatus,oryza, papyro,sacchari harundinib.& musis sunt cõditi,interdũ ẽt colocasia,quæ isthic

Aegyptus Aquilonaribus ventis exposita.

Pluuię istic rarę .

Aegypti soli laudes, & fęcunditas.

Tempus metendi in Aegypto.

isthic sponte prouenit:hortorũ tamẽ cultũ extra Nili ripas difficilis admodũ est, quoniã perpetuò instrumentis à bobus delatis aqua pro eis irrigandis submistrãda est. Præter fruges,& olera uini ẽt optimi dies aliquib. in locis est, nã iuxta lacũ Mareotim optimũ colligitur vinũ, q̃ à loco Mareoticũ ad vetustatẽ perdurãs;oleo tamẽ,ut plurimũ caret,neq; ullę ceduę syluæ isthic conspiciuntur,raraq́; ligna isthic nascuntur p̃ter frequẽtes palmas ad ædificandũ prorsus inutiles , q̃ quidẽ per totã Aegyptũ ad magnã celsitudinẽ excrescunt,inter quas nonnullæ reperiũtur,Bell.teste,q̃ ex vnico trunco,cadẽq́; origine 20. magnas arbores ab inuicẽ separatas proferãt: præter palmas horti ẽt hic sicomorũ,cassiã solutiuã,sebestem,punica mala, & aurea,acaciã,& tamarices nutriũt,quorũ maior pars in summã excrescit altitudinẽ,sed tamarices isthic solũ sati proueniũt,indifferenterq́; tã humidis,q̃ siccis locis nascuntur : sicomori uerò adeò exquisito uirore p̃diti sũt, ut oẽs reliquas arbores sine cõtrouersia superẽt. Isthic ẽt diligẽter fructicẽ Alcãnã nuncupatũ colũt,atq; ex eo egregias ceduas syluulas parãt, cuius folia exsiccata flauo colore inficiũt,quo mulieres p Turcicũ Imperiũ manus, pedes,& capillorũ partẽ inficiunt,unde eius distributio magnũ cẽsum prębet.Florũ porrò prouentu,& odorib.satis affluit: nã unguenta p̃ciosissima Aegypto ẽt Pli.tribuit,q̃uis minimè odoratos in ea esse flores affirmet, q̃a nebulosus & roridus aer est à Nilo fluuio.Præter bestias sæuas,ac nociuas, quib.frequens hęc terra est,aĩalia domestica mira copia alit,ut sunt bubali, boues,cameli,equi,asini,arietes,& capræ, q̃ quidẽ oĩa in magnã excrescũt molẽ,ut ait Bellon.ob aeris tẽperiẽ,pabuli abundantiã, ac stirpiũ à Nilo irrigatarũ probũ alimentũ: inter cętera uerò arietes pingues admodũ,& crassi sunt, ac amplã,& densã,atq; ad terrã vsq; propendentẽ caudã habẽt, & palearia insuper è collo dependentia, ut in bobus, nigraq́; lana uestiuntur. Quia verò hæc regio hyeme lepida admodũ est,ac palustris,plurimas aquaticas aues alit p̃sertim ciconias,quarũ tãta ĩ quibusdã locis herbidis à Nilo irrigatis cõspicitur copia,ut agri, & prata ijs albescãr:ranę quoq; tãta abũdãtia isthic generãtur, ut nisi ciconię eas uoraręt nihil esset illis frequẽtius chamæleones frequẽtes,teste Bell.reperiũtur in fruticib.qui Rhãnus alteracuntur,& in uarios colores sese cõmutant,qui nõ ex uẽto uescũtur,ut multi prodiderũt,q̃uis ij sine cibo integro anno perdurare possint.Per uniuersã uerò Aegyptũ pulli gallinacei à gallinis nõ solẽt excludi , sed mediante fornacũ calore. Metallis insuper regio hæc perpetuò abũdauit,iis p̃sertim in partib.ad Aethiopiã uergentib.& Amethystus lapis,& aliæ plures gẽmę hic gignuntur: Aeritis uerò lapidis tãta propè Alexandriã inuenitur copia ut eo naues onerari possint, qui inter reliquas facultatẽ hẽt furẽ deprehẽdendi,ut notat in suis obseruationib·Bellon. Hoc ẽt p̃tereundũ nõ est,in fęminis Aegypti eximiã esse fertilitatẽ,ut est in alijs reb. nèq; sępe nõ tã gemini nascuntur,q̃ terni,& quaterni,quinẽt hoc mirũ euenit,nẽpe partum octauo mense editum hic salutarem esse,qui alibi ferè semper lætalis est.

Ipsa Aegyptus,cuius regnũ cum primis ferè hoĩb.natum esse creditur,& si difficillimi fuerit accessus ob loca montana perardua, ob deserta arenosa,

Palmæ mirandæ magnitudinis. Horti Aegypti.

Sicomori.

Alcana fructes.

Flores, & odores istic

Vnimalia ĩ Aegypto domestica.

Arietes in Aegypto insignes.

Ranæ magna isthic copia prouenium.

Gemme Aegypti.

Maria Aegyptiacarũ fęminarũ fœcunditas.

Aegypti uarium dominium.

aquis destituta,ob paluſtria loca,atq; ob importuoſum mare,quib.ſanè oĩbus regno clauditur,ac cõmunitur: diu tñ ab exterorũ incurſionib. ſe tueri nõ potuit, quia inſignẽ mutationẽ,ac multas ob bella calamitates paſſa fuerit,dũ externorũ gentiũ iugũ ſuſtinuerit Namq; ab exordio ſub proprijs regib.qui Pharaones tunc dicebãtur,permãſit (Pharao autẽ ueteri lingua Ægyptiaca regẽ ſonat) Poſt hos ſub Æthiopib.deuenit,quã poſtea Cambyſes Perſarũ Rex cepit,& Perſis ſubiecit:deĩde cũ ſub Dario,qui Nothus dictus fuit,Aegyptii ipſi defeciſſent,ſuis iterũ regib. paruerũt, ſed ab Alex.Magno iterũ ſubiecti ſunt,poſt cuius interitũ rurſus proprios habuerũt reges, qui inde Ptol.ex æquo dicti fuerunt à Ptol.ſ.lagi filio uſq; ad Ptol.Auletẽ, cui Cleopatra filia in regno ſucceſſit, qua fugata, & extincta Aegyptus ipſa ab Octauio Auguſto uicta,Romanis deinde paruit,qui hoc regnũ ampliſſimũ in prouinciæ formã redegerunt. ſub Romanorũ autẽ iugo Chriſtianã religionem amplexati fuerunt Aegyptii, ſed poſt Imperij diuiſionẽ Aegyptus ab Imperatorib.Cõſtãtinopolitanis moderabatur.Tandẽ paulò poſt Mahumetis pſeudoprophetę aduẽtum ſub Saracenis,ſeu Mauris cecidit,quib.ſucceſſi,Sultanorũ,ſeu Mamalucorũ dominiũ,qui fuerũt ex Circaſſiorũ gẽte. Poſtremò occupata fuit à Selino Turcarum Imperatore an. Do.1516. ſub cuius tyrannide nunc miſerè permanet. Toti autẽ Aegypto hodie quidem *Baſſa* Turcarum Imperatoris nomine præeſt, qui in Alcairo moratur.

Aegyptus quãdo ſub Rom.

Mauri quãdo iſthic dominarũt Mamaluchi.

Aegyptus poſtremo ſub Turca.

Aegyptiorum priſcorũ laudes, & mores.

Aegyptij olim,ut apud priſcos auctores cõſtat, ingenioſi ſemper fuerũt, unde Macrob.Aegyptũ artiũ matrũ uocat,fuerunt.n.Geometrię,Arithmeticæ,Medicinæ,ac multarũ artiũ primi inuentores,Aſtrorũ obſeruationib. ob continuã aeris ſerenitatẽ primi incubuerunt,& Magicæ uanitati,ac pſtigiis.Prętерea primi ẽt fuerunt,qui per figuras aĩaliũ ſenſum mentis effingebãt,qua de re antiquiſsima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernũtur,& de his ingẽs uolumẽ edidit Pierius Valerianus.Fuerũt ẽt deſidioſi,delicati,mobiles,iactantes,quorũ uerba inania,nihilq; ueritatis habẽtia erant natura inflati,furibundi,nouandis potius q̃ gerendis rebus aptiores,iniurioſi,imbellis,legũ inſcii,magiſtraruũ ignari, & imperij præſertim externi impatientiſsimi, ad ſeditiones uerò adeò procliues, ut leuiuſculis etiam de cauſis maximos tumultus excitarint,ſupra modum autẽ ſuperſtitioſi,& Deorum falſorum uaniſſimi cultores, quippe qui non tam Gentilium Deos colebant, ſed animalia etiam ipſa ridicula ueneratione adorabant,unde non immerito D.Hieronimus Dus fœcundos eos uocarit. Poſt Chriſti uerò Aduẽtum ex hac etiam regione multa Monachorum,Eremitarumq́ue agmina primo emerſerunt, quæ poſtmodum per omnes Chriſtianas prouincias diuulgata fuerunt, quin etiam ex priſca Aegyptiorum religione noſtra religio pleraq́; mutuata eſt,ut ſunt lineæ ueſtes,deraſa Sacerdotum capita, uertigines in altari,pompa Sacerdotalis, Muſicæ modulamina,adorationes,preces,aliaq́; id genus quãplura, ut ex Beroaldo colligi poteſt.Corpora uerò humana cõdire ſoliti erant,ut à uermib.pręſeruarẽtur, quæ quidẽ corpora ſic ſeruata adhuc ẽt inueniũtur, & mumia uulgò uocantur. Olim referente Strab.Aegyptij in tres partes erant diuiſi,quarũ una

Aegyptij ſupra modum ſuperſtitioſi.

Chriſtiana Religio multa ab Aegyptijs accepit.

Cauẽ

una militiam, altera agros coleret, & artes exerceret, tertia Sacerdotum erat,qui literis Sacris, Philoſophię, Aſtronomiæ, ac aliis ſcientiis incumbebant, hi autem filios erudire ſolebant,ac cum regibus conuerſabantur. Gens porrò hęc oĩum,ut ipſi prędicant uetuſtiſſima eſt, neq; cũ aliis quam cum Scythis de antiquitate certant. Attamen non ſunt hodie in ipſa Aegypto uerorum Aegyptiorum,niſi paucæ Chriſtianorum reliquię, reliqui Mahumetano dogmati adhærentes, Arabibus, & Africanis ſe commiſcuerunt: nobilitas enim priſcorum Aegyptiorum,quæ poſt Romani Imperii in Græciam translationem maritima in loca ſe receperat, ad Mediterranea loca Mahumetanis in Aegyptum perrũpentibus ultimo confugit,in Sahidica ſcilicet regione, quæ ſuperior dicitur Aegyptus, nulla tamen eſt natio, quæ magis antiquitatis ueſtigia retineat, quam hæc: nam etiamnum in urbibus ſimilibus utuntur ueſtibus,quales deſcripſerunt ueteres. Hoc autem tempore Aegypti incolæ ſunt partim Chriſtiani, ex illis ſcilicet,qui dicuntur Iacobitæ, partim Arabes, Africani,Turcæ,Aſiatici, Iudæi,& alii, quorum quidem maior pars, quæ Mahumetanorum eſt ſtrictius,& diligentius ſuę religionis ceremonias obſeruant,quàm Turcę proprii. Qui ciuitates colunt,candidum referunt colorem: ſed ruſtici potiori ex parte fuſcum. Suntq́ue omnes ut plurimum probi,feſtiui, ac liberales: attamen Inferioris Aegypti incolæ reliquos Superioris Aegypti urbanitate ſuperant; nam hæc mediterranea pars ab exteris non frequentatur,niſi à paucis quibuſdam Aethiopibus: ſed altera,quæ maritima eſt, ab Europęis, Barbaricis, & Aſſiriis, ut plurimum frequentatur. Hilares præterea ſunt præ cæteris nationibus,& faceti, atque ab omni antiquitate innata illis eſt promptitudo quędam,agilitas q̃; ad ſaltationem, ad choreas ducendas,atq; ad totum corpus in aere uibrandum: Anguſtis utuntur ueſtibus ad pectus conſutis, atque hinc in pedes diffluentibus cum anguſtis manicis. Æſtate tamen Goſſypinam telam varijs coloribus intertextam in vſu habent, hyeme verò pannis Goſſypio ſuffultis vtuntur, attamen mercatores, & ciues ditiores Europæis pannis,vt plurimum veſtes ſuas oblongas conficiunt. Caput rotundo, & faſtigiato pileo omnes operiunt, quod vulgò *Dulpianum* dicunt, hoc ſiquidem homines diuerſæ ſectæ diſtinguuntur, perinde, ac in reliquis Turcici dominii locis. Calceamenti genus antiquum adhuc illis in vſu eſt. Mulieres nunquam in publicum prodeunt quin tectam faciem habeant ex Mahumetis præcepto, quemadmodum in vniuerſa Turchia fit,faciem autem obuelant per regionum varietatem.

Aegyptiorum diuiſio.

Aegypti veteres iſthic perpauci.

Aegypti antiquitatis veſtigia retinent.

Incolæ huius tẽporis, & eorũ conditio,& mores.

Aegyptiorũ ueſtitus.

Frequentiſſimè in cibarijs, vt ait Leo Africanus, caſeo recenti, & largè ſalito,lacte item acido, & certo artificio indurato veſcũtur, quem tametſi nõ in delicijs habeant,exteri guſtare non poſſunt, fereq́ue ſingulis ferculis nihil acidi lactis commiſcent. Tanta eſt autem apud illos lignorum, & lapidum penuria, ait Bellonius, ut eorum ædificia humiles duntaxat ſint caſæ: etenim ampliores non ſunt quàm puſilla tecta recipiendis anſeribus idonea,eam videlicet ob cauſam quod magna ex parte cubent,bibãt,& edant ſub arboribus, præcipuè verò ſub palmis, ut frigidiorem auram excipiant.

Calciamenta antiqua iſthic etiãnum perdurant.

Aegypti subdio pernoctant.

Aegyptij enim,& Arabes supra reliquas nationes sub dio quouis tempore pernoctare delectantur,nullo etiam lecto substrato,chlamydem tantum aliquam habentes, qua se tegant. Peritiores sunt natatores necessitate quadam ad hoc eos impellente,nam cum regio a Nilo inundatur,opus eis est ad sua negocia expedienda ex uno pago in alium tranare, nisi tamen scaphis uti uelint, ut quamplurimi faciunt.

In Aegypto 20 milliaolim vrbes fuerunt.

Nunc autem de Aegypti vrbibus,ac oppidis agamus. Ferunt olim Scriptores in tota regione hac 20.circiter millia urbes Amase regnante numeratas fuisse, ex quibus Diodori temporibus tria tantum millia extabant. Verum Ortelius omni adhibita diligentia paucas supra trecentas adinuenire potuit: vnde non leui coniectura credendum est priscos illos scriptores,pagos,& uicos in hac numeratione simul complexos fuisse: non negamus tamen Aethyopica,Syriaca,& Romanorum bella multas urbes,& oppidā attriuisse. Famosissimæ porrò Aegyptiacæ urbes fuerunt Syene,Thebe, quæ,& Diospolis,Tentyra,Heliopolis,Memphis,Babylon,Alexandria, Pelusium, & nonnullæ aliæ.

Vrbes Aegypti olim celebres.

Syene nunc Asna.

SYENE vrbs nunc *Asna* precisè sub tropico cancri iacet,vbi auctore Plinio puteum ab Astronomis profundissimum extructum fuit,in quo Sole in principio Cancri constituto nulla perspicitur umbra, sed totus à Sole illuminatur.

Memphis nunc Cairū

MEMPHIS urbs ultra Nilum Occasum versus sita Regia fuit quondam Aegypti principum, ab eaque studijs aliquot Pyramides illæ famosæ absunt. In huius vrbis loco noua successit urbs CAIRVM, seu ALCAIRVM vocata, quæ Regia fuit Cœrcassiorum Aegypti Sultanorum,licet multi putent Cairum esse,ubi olim fuit Babylon. Nam Bellonius, qui hæc loca perlustrauit,asserere uidetur, paulò supra Cairum, ueterem fuisse urbem priscis Babylon dictam, in qua uetustiorum permultorum ædificiorum splendidorum rudera adhuc conspiciuntur, quæ nūc exiguus est pagus Christianorum Armenorum,& Græcorum, ubi est sacellum D. Virgini dicatum, in quo est fornix subterranea, in qua ipsa Beata Virgo cum infante Christo latuisse fertur cum ob Herodis tyrannidem ex Iudæa profugisset.Cairi itaq; urbis nouæ descriptionē ex Bellonio hanc hinc inde collegimus. Cairi urbs in longitudinem magis protensa est,quam in latitudinem,triangulari forma,ampla admodum,& laxa mœnib. percincta,non tamen ab omni parte,quoniam maior eius pars a Nili riuo alluitur, qui mœniorum uicem illi præbet,ut etiam magna ex parte ipse Nilus; extra Mœniorum ambitum sunt ædificia multa, arcem in uno eius angulo in solida rupe extructam habet, in qua gradus incisi sunt,& magnam habet aream, ac laxam ubi iucunda & sana est habitatio, nam ex fenestris undequaque, quantum oculorum acies ferre potest, circunspiciendo uniuersa ferè Aegypti regio apparet. maxima ædificiorum pars gemino pauimento subdiali recta est, & ædificiorum ianuæ adeò angustæ, & humiles sunt, ut inclinare se ingredi cupientibus necesse sit. Satraparum tamen ædes ianuas Europæis similes habent.

Babylon vrbs.

Cairi urbis descriptio.

Est

Tutris caritatem annonæ Aegypti indicans.

Est in hac urbe structura quædam solidæ turris instar, ex qua Aegypti fertilitas singulis annis æstimatur,obseruando in ea,quantum Nilus excrescat; in ea enim sunt uariæ notæ,quibus futuri anni ubertatem deprehendant. Nam quando Nilus supremum foramen attingit, uberrimus est anni illius prouentus,& sic pro altitudine illius iudicant. Est etiam locus in Cairo muris cinctus, qui *Baseſtan* dicitur,In quo argentaria,aureaque opera tum ex Sericeis staminibus contexta, & nonnulla rariora exoticaque aromara uenduntur, quo plerumque frequens hominum turba confluere solet: nam isthic quicquid est rari & elegantis in tota urbe inquirendum est. Sunt verò in Cairo innumeræ Mesquedæ. Dicunt aliqui huius urbis ambitum esse plusquam octo milliarium, & in ea esse 24. millia uicos qui noctu clauduntur. In hac autem urbe uigent negocia magnopere,nam est totius huius regionis emporium. Incolunt urbem ipsam Turcę,Aegyptij, Arabes, Hebræi,ac aliæ plures nationes, qui quidem incolæ Solis ardoribus admodum uexati ad arborum perpetuò uirentium umbram confugere coguntur: unde plerisque in locis ob hanc causam Sycomoros alunt, & colunt. Sunt autem Cairi horti tum in ipsa urbe, tum extra elegantes mirum in modum, amœni, ac diligentissimè consiti, qui præter olaceas stirpes cassiæ solutiuæ,sebesten,acaciæ,tamaricis, palmarumque arboribus,rhamnis,sycomoris,punicis malis, & aureis, limonibus syluestribus,& sacchari arundinibus repleti sunt,sepes uerò hos hortos ambientes chamęleombus obsitæ sunt. Non longè a Cairo est *Matercæ* hortus, balsami fructicibus consitus, præter alias arbores supra nominatas; quæ sanè balsami planta admodum celebris,preciosa,raraque est,atque nunc temporis in solo hoc horto colitur.Supra *Matercam*,in agro quodam ingens cernitur obeliscus erectus & longè maior, ac crassior his qui Alexādriæ sunt, & eo etiam qui Constantinopoli in Hippodromo conspicitur. Pyramides uerò Aegypti adeò a ueteribus celebratæ (inquit Bellonius) edito in loco sunt,quæ procul 40.milliorum passuum apparere incipiunt.Has Aegyptij *Pharaones* nuncupant, quæ quidem magis admirandæ uidentur prope inspicientibus,quam ab auctoribus descriptæ sint, nam uidentur esse montes immensæ magnitudinis,unde Romanorum fabricæ, & antiquæ operæ nihil accedunt ad harum pyramidum splendorem, & superbiam. Positæ autem sunt in loco ualdè deserto,seu solitudine quatuor milliaribus a Cairo distante ultra Nilum tertio lapidis iactu, & earum ampliſſima reliquas etiam præstantia superat,quam omnes scriptores antiqui, aspectu admirabilem esse scripserunt,extructa est gradibus foris prominētibus,atq; 324. passus in singula latera habet,ut dimensus fuit Bellonius, a basi ad cacumē continet 250. gradus, quorum singuli altitudinem habent quinque solearum calcei nouem pollicū longitudinis,adeò uastæ latitudinis est hæc moles,ut peritissimus, atque ualidissimus sagittarius in eius fastigio existens, atque sagittam in aerem emittens tam ualidè eam eiaculari non poterit,ut extra molis basim decidat, sed in ipsos gradus cadat Fastigium eius in planitiem desinit duos passus in diametro patentē,in quam 50.homines con-

Matercæ hortus Balsami.

Obeliscus ingens.

Pyramides Aegyptiacę

Primaria Aegypti pyramis.

Aliæ duæ maiores pyramides.

Aliæ adhuc minores pyramides.

Colossus Sphingis.

Alexandria vrbs.

sistere queant. Aliæ etiam duæ pyramides sunt etiam immensæ magnitudinis, sed longè minores prima, & harum trium minima tertia sui parte maior est ea, quæ apud Testaceum montem est Romæ. Præter has tres plurimæ aliç minores hinc inde per arenosum illud solum sparsę sunt plus quam centum, quarum ne unica quidem adeò uitiata reperitur uti Romana: paululum uerò infra amplissimam Pyramidem est Colossus sphingis ingens nili alueo uicinus spectatæ magnitudinis, a cuius descriptione superfedeo cùm apud Herodotum, Plinium, & alios habeatur.

ALEXANDRIA olim fuit ex primis uniuersi urbibus, quæ uni Romæ tantum multitudine incolarum cedebat. Cuius descriptionem pro præsentibus temporibus hanc ex Bellonio accipe. Sita est arenoso in solo in promontorio quodam: ab vna enim parte Mediterraneo mari alluitur; ab altera mareoti lacu amplo, & in longum extenso, palmarum siluis in ambitu obsito, qui uix dimidio milliari ab ea distat.

Perstant adhuc mœnia, quæ Alexander Macedo extrui iussit: At urbs interior ex veterum ædificiorum ruinis magna ex parte constat. Diruta autem fuit ea vrbs, quando Galliæ, & Cypri Reges Sultanum ex ea expulerunt. Is etenim illam minimè posse retinere animaduertens, prius diruit, quàm in hostium potestatem ueniret. Postea tamen paulatim ædes extrui cœperunt pro incolarum ratione. Sed, & nunc, nisi Christiani Mercatores suos isthic institores alerent ob mercium permutationem, admodum celebris non esset. In eam inuehitur omnis generis commeatus cum ex Aegypto tum ex Cypro, alijsque uicinis locis: omnis generis uina isthic etiam reperiuntur ex uariis locis inuecta, sapida admodum est isthic caro veruecina, & hædina, cùm uitulina tum bubala: magna est isthic abundantia caprarum quarundam, quæ *Gazellæ* vocantur, inueniuntur isthic gallinæ, & oua, & pisces ad abundantiam isthic nascuntur punica mala, musæ, limones, aurea citriaque mala, ficus, sycomori, cerasia, & pleraque alia fructuum genera, quæ nos non habemus.

Alexandriæ conditio, & abundantia.

Abundant etiam omnis generis leguminibus, è quibus quæstus magnus fit, atque omnium frugum genere, ueluti oryza, hordeo, farre, alias spelta nuncupato. Præterea omnium Alexandriæ ædificiorum tecta plana sunt, & constructa, ubi incolæ noctu dormiunt ad frigidiorem auram captandam omni anni tempore tum æstate tum hyeme. Isthic est Pompeij columna in exiguo quodam promõtorio sita octaua milliaris ab urbe parte, quæ quidem immensæ est altitudinis, & crassitiei, longeque columnam Agrippæ, quæ Romæ est, excedit, ex Thebaico marmore, quam Cæsaris iussu isthic erectam fuisse aiunt ob uictoriam aduersus Pompeium partam. Sunt etiam inter singularia, quæ Alexandriæ conspiciuntur, bini obelisci apud urbis palatium quorum unus rectus, & integer, alter humi procumbens, & confractus, qui rectus perstat alterò longè maior est, cuius crasities comparari posset cum eo, qui Romæ est ad Diuum Petrum.

Alexandriæ æles plana habẽt tecta

Pompeij columna.

Obelisci duo Alexandriæ.

Sunt

Sunt etiam isthic elegantes aquæductus, ingentes cisternæ, atque putei mirabili opere extructi, qui Nili aquam excipiunt, ac semel in anno impleri solent, cum Nilus intendat ad totius anni usum per ingentem canalem primum uniuersas urbis cisternas replent, in quibus depuratur, & limpida redditur. Tota autem urbs supra huiusmodi cisternas, & puteos extructa fuit olim firmo lapidum, & laterum opere. Aquæductus.

Alexandrini Arabicè, uel Mauritanicè natura nunc loquuntur, at Turcæ illis permixtum sermone ab ijs admodum differente utuntur. Sunt etiam isthic multi Iudæi, Itali, Græci, Iacobitæ, & aliæ gentes unde uariorum idiomatum inualuit usus. Caloieri uerò Iacobitæ, & Græci ædificium Alexandriæ habent pro Patriarchatu cum suo templo eo in loco, in quo reconditum erat D. Marci cadauer, antequam Veneti illud Venetias transferrent. Incolæ Alexandriæ.

Ager Alexandriæ uicinus magna ex parte arena mobili constat, planeque sterilis esset, nisi Harmalæ, & capparum non spinosas stirpes alerent, quæ crassas illas cappares proferunt, nobisque inde adferũtur. Hortorum verò cultura apud Alexandriam præterquam secundum Nili ripas admodum difficilis est, quoniam perpetuò instrumentis à bobus uersatis haurie da est aqua ad rigandum solum. Agri Alexandrini cõditio.

PHAROS insula, quæ posita est è regione Alexandriæ non amplius insula est sicut Ptolemæi, & Cæsaris ætate: nam locus ille continenti iunctus est arcemque habet admodum incommodam, nam singulis diebus aqua è cisternis Alexandriæ hausta camelis in eam deuehenda est. Quinque dierum itinere uersus Africam sunt solitudines, quæ Diui Macarii cognominantur, Diui Antonii solitudinibus conterminæ, quas Caloieri Arabes inhabitant eiusdem cum Græcis religionis, plurimaque isthic sunt Arabum monasteria Græcis permixta. Hæc ex Bellonio sunt collecta. Pharos insula nunc continenti iuncta. Solitudines D. Macarij

Sesquidiei itinere supra Alexandriam est ROSETTAE arx, & elegans oppidum hodie famosum nullis tamen mœnibus cinctum, & ad littus positum circa magnum quoddam Nili ostium. Antiquitus Canopicum uocatum, à Mauritanis *Raschit* uocatur, & Guilandinus putat, antiquorum fuisse Schedia uicum nauale habens. Rosettæ arx

Incolæ diligentes sunt in curandis hortis, & Veneti isthic Consulem tenent, quem Bailum uocant, qui res ad mercaturam pertinentes tractat, palmarum autem syluæ oppidum hoc inumbrant.

DAMIATA etiam oppidum hodie famosum est ad mare itidem Mediterraneum iacens, quod Pelusium urbem Ptolemæi Geographi patriam nonnulli fuisse tenent, quæ ad ostium Pelusiacum sita erat. Pelusium olim Aeliopolis ab Aelio principe dicta fuit, qui eam triplici muro cinxerat, clarius Aegypti à Suida cognominatur Ortelius tamen putat Pelusium hodie *Teneze* dici. Damiata opp.

Præter iam dictas vrbes, & oppida sunt alia etiam oppida nobilia, vt *Michale*, quod amplitudine cum Cairo consentit, & *Fuoa*, seu *Foua*, quod post Cairum cæteris amplum est, & è regione habet *Edibeh* insulam magnam

Fons opp. Edibeb inf. Nili.

Pagi iuxta Nilum elegantißimi ſunt.

gnam, quam Nilus efficit Sacchari arundinibus, ſycomoris, palmis, colocaſijs, omnique generis leguminibus excultam atque oryza, quæ præ reliquis magni eſt cenſus per uniuerſum Aegyptum, & alia innumera ſunt oppida Aegypti, & pagi præſertim iuxta Nilum fluuium, qui elegantiſſimi ſunt ob aquæ commoditatem, qua horti irrigantur, qui autem pagi procul à Nilo ſunt maxima anni parte aquæ penuria laborant: horum pagorum ædificia ab incolis ob ſecuritatem ab inundatione ſublimioribus locis ſubſtruuntur, & ædificia ex tenaci, pinguique limo conſtructa ſunt rectoque operta acuminato aluearіorum inſtar, quæ quidem procul conſpiciuntur, nonnulla etiam tegunt plana forma propugnaculi inſtar.

TROGLODITARVM REGIO.

Troglodi-tarũ regio.

Qualitas.

Troglodita cur dicãtur.

TROGLODITÆ populi eam occupant terram, quæ inter dextram maris Rubri ripam, ac Ægyptum interiacet, quæ quidem terra ſterilis, arenoſa, deſerta, ac inculta eſt, & habitationes raræ ſunt ob aquæ inopiam. Dicũtur verò Troglodítæ à ſpeluncis in quibus olim inhabitabant, qui etiam Ichthyophagi vocati ſunt, Ptolemæo autem ſunt Arabes Aegyptij Ichthyophagi. Et regionem ipſam Caſtaldus nunc vocari aſſerit *Sũſiam*, ſed *Arabia* recentioribus dici videtur. Regionem hanc montes per medium diuidunt, qui fluuios impediunt, ne in mare Rúbrum deſcendant. Vnde in Nilum exonerari cogũtur. Hodie præter Naturales, qui rudes, barbari, ac pauperes admodum ſunt, iſthic inhabitant Mahumetani, Arabes, & Turcæ præſertim verſus mare. Præcipua huius regionis loca ſunt GRONDOL, ſeu CORONDOL cum ſatis bono portu.

Incolæ hodie Trogloditicæ.

Corondol oppidum.

Alchoſſer vrbs.

ALCOSSER, ſeu CHOZAIR, quam antiqua *Berenice*, Ptolem. eſſe nonnulli autumant, vbi montes ſeſe aperiunt, & tranſitum fructibus, qui ex Abyſſinorum regionibus deferuntur, præſtant.

Suachen vrbs.

SVAQVEN, ſeu SVACHEN, quæ Ptolemæis Pomponij eſt, vt Ortelio placet *Epitheras* à Plinio cognominata, & *Theron* à Ptolem. Iuxta hanc vrbem optimus eſt portus; in hac vrbe Baſſa Turcicus reſidet qui præſidium trium millium militum habet.


Sues vrbs.

Ad Arabici ſinus, ſeu maris Rubri caput poſita eſt vrbs SVES, quam Ptol. *Arſinoes*, Petrus Gyllius cum Bellonio cenſet, & *Potidium* Strabonis eam eſſe, vult Zieglerus, ſed alij putant eſſe, *Hero*, ſeu *Heroum ciuitas*, quæ Ptolemæorum Regum, & Romanorum temporibus florentiſſima erat ob innumeras merces, quæ ibi concurrebant ex India, & Arabia, quæ inde per Cayrum, & Alexandriam in Europam perferrebantur. Hodie autem parum mercibus frequens eſt hæc vrbs, & a paucis incolitur propter magnam omnium rerum difficultatem, licet Turca ingentes ſumptus fecerit,

cerit, vt magis coleretur. Nulla iſthic eſt aqua potabilis ad duo milliaria in circuitu; aquamenim ex puteo quodam duobus milliaribus diſtante ſuper camelos iſthic conducunt, quæ tamen ſalſa, & amara aliquantum eſt. Iſthic eſt nauale Turcicum 25. circiter triremium, nam omnis claſſis, quæ à Turca aduerſus Indos mittitur in hac vrbe inſtruitur, & ibidem ſtatio eſt tritremium Turcicarum, quæ tamen in continentem hyeme pertrahuntur, quoniam portus ille à ventis malè fidus eſt.

Nauale Turcicum & Triremium ſtatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXV.

ASIAE VNIVERSAE DESCRIPTIO.

ASIA nobilissima mundi portio, maxima & vastissima cæterarum orbis partium est, ac tertia olim pars cogniti orbis antiqui fuit. Nunc verò quarta, seu mauis una ex septem partibus, quę quidem magnitudine sua duas mũdi alteras ueteres partes simul acceptas uincit, quę sunt Europa, & Africa: præsertim hac nostra ætate, qua tota ad ortum, & Septentrionem lustrata est, ubi sunt Chinẽsium, & Tartarorum Imperia; non adnumeratis tamen insulis ad ipsam spectantibus, quæ in unum collectæ longè Europam excedunt. Hoc autem nomine nuncupata olim fuit ab Asia Oceani, & Thetyos filia. Iaperi uxore, & Promethæi matre: siue, ut alij volunt, ab Asio Manæi Lybi filio. In sacris verò codicibus Semia hæc ipsa mundi pars nuncupari solet.

Asia.

Eius magnitudo.

Imperia Chinensiũ, & Tartarorum.

Asia vnde dicta.

Semia.

Iacet autem propemodum tota in Septentrionali orbis plaga ab Æquatore usque ad gr. 80. latitudinis Boreæ, exceptis tamen insulis ad Asiam attinentibus, quarum aliquot ultra Aequatorem porriguntur. Vnde maxima diuersitas per totam Asiam in magnitudine dierum artificialium cõspicitur: Nam in ultimo eius parallelo, qui non longè ab Aequinoctiali per extremam Malacæ Regni oram ducitur, longissima æstatis dies est horarum penè 12. circa medium Asiæ parallelum est horarum 15. & in eius Borealissimo parallello perpetua lux æstatis quatuor ferè integris mensibus perdurat.

Asiæ situs cœlestis.

Ar secundum longitudinem extenditur à meridiano gra. 52. usque ad Meridianum ductum per grad. 196. sed si sequamur Mercatoris descriptionem, Occidentalissimus eius Meridianus transit per gr. 37. iuxta extremam Asiæ minoris, uulgò *Natoliæ*, Occidentalem oram, & Orientalissimus transit per gr. 178.

Hæc autem tribus partibus percingitur uastissimo Oceano, qui ab Oriẽte uocatur Orientalis, seu Eous: à meridie Indicus: & à Septentrione Scythicus. Ab occidua verò parte sinu Arabico partim, siue mari Rubro: & mediterraneo partim mari cum Euxino ponto: & partim Tanai fluuio ab Europa, & Africa secluditur. Asia enim ipsa Europæ coniungitur in extremitate sui Septentrionali ad occasum per dorsum, quod inter paludem

Asiæ fines.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudem Mæotim, & Sarmaticum Oceanum excurrit supra Tanais fluui fontes, atque utriusque terminus est ipse Tanais fluuius.

In altera autem Meridionali extremitate ad Occasum isthmo, inter Mediterraneum mare, ac sinum Arabicum interiacente Africæ tantum iungitur, qui sinus Arabicus Asiam ab Africa separat. Sunt tamen, qui Asiam ad Nilum usque producunt, & Aegyptum totam Asiæ includunt. Asiam porrò Pomponius Mela, & antiqui penè omnes nullam habere marium interruptionem putarunt: sed continua successione in Orientem extendi, ibique ora latissima claudi. Quod sanè hodie aliter se habere constat, postquam integra ipsa Asia circumnauigatione probè à recentioribus explorata est. Vnde multiplicem formam cornu Asiæ obtinere animaduersum est; quinetiam à Meridie Oceanum dum in Asię continentem ingreditur, situosum efficit littus, atque inæquale valdè.

Sinus Asiæ Meridionalis.

Quare Meridionalis Asiæ pars magnos sinus in se recipit, quorum præcipui sunt PERSICVS, qui nunc *Elcatif*, & *Mesendin* vocatur, ARGARICVS, uunc Golfo di Bengala, & MAGNVS SINVS, quem *Chrise* Plinij, & *Mare Cin* hodie vocari putat Ortelius.

Taurus mons.

Præterea Asiam ipsam Taurus mons Mediam quodammodo cinguli in more diuidit, ab Occidente in Orientem longissimo tractu excurrens, vnamque eius partem ad Aquilonem relinquens, quam Græci Interiorem vocarunt: alteram verò ad Meridiem, quæ Græcis exterior Asia est. Tauri autem montis latitudo plerisque in locis stadiorum est trium millium, testè Strabone, idest milliarium Italicorum 375. sed eius longitudo de ipsiusmet Strabonis sententia est tanta, quanta ipsius Asiæ, vt pote stadiorum circiter 45. millium, hoc est milliarium Italicorum 5625. ab ora nempe Rhodiensi vsque ad extremas Chinæ, & Tartariæ Orientales partes: caput eius inter Cariam, & Lyciam Asiæ minoris regionis consurgit.

Interior Asia. Exterior Asia. Latitudo Tauri montis. Longitudo. Caria. Lycia.

Idem mons in nomina, ac partes multas diuiditur, quarum aliæ maiores, aliæ minores ambitus comprehendunt.

Asiæ diuisio à veteribus tradita. Propria, seu Minor Asia Strabo, Ptol.

Cæterum duplicem olim Asiam veteres fecerunt, alteram scilicet MAIOREM, seu vniuersalem, quæ trium Orbis partium tunc cognitarum vna fuit. Alteram uerò quam ASIAM PROPRIAM, seu Minorem dicunt, quòd sit illius pars, seu prouincia quædam. Strabo Asiam in quinque portiones diuidit. Ptolemæus eam in 47. regiones, ac prouincias distribuit, cuius descriptionem tradit in quinto, sexto, ac septimo Geographiæ libris duodecim, scilicet tabulis absolutam.

Regiones autem, quas Ptolemæus ponit sunt hæ: Pontus, ac Bithynia, quæ propriè Asia dicitur: Phrygia magna, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia Asiatica, Colchis, Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus insula, Syria caua, Phænicia, Palæstina Iudeæ, Arabia Petrea, Mesopotamia,

Arabia

Arabia deserta, Babylonia, Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania deserta, Carmania altera, Arabia fœlix, Hyrcania, Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacarum regio, Scythia intra Imaum, Scythia extra Imaum, Serica, Aria, Paropanisus, Drangiana, Arachosia, Gedrosia, India intra Gangem, India extra Gangem, Sinarum regio, Taprobana insula cum alijs circum ipsam.

ALIA DISTINCTIO ASIÆ recentiorum.

Alia distinctio Asiæ recentiorum.

NOSTRA tempestate Ioannes Barrius distinguit Asiam in nouem partes, alij autem in quinque, inter quos Ortelius secundum eius Imperia, quibus administratur, partitur, quem sequi voluimus, in harum partium distributione, nisi quod quintam partem in duo secamus, & aliam, quæ insulas ad Asiam spectantes complectitur adiungimus, ut in uniuersum ipsa Asia in septem principales partes diuidatur, quarum quædam maiorem, quædam minorem terræ portionem comprehendunt.

Nostra diuisio.

Pars Asiæ prima. Eius fines.

Primam Asiæ partem, quæ Europæ contigua est, & magno Duci Moscouiæ patet, mari Glaciali, Obij fluuio, Kytaia lacu, & linea inde ducta ad Caspium mare, isthmoque qui inter hoc mare, & Pontum Euxinum est Ortelius terminat. Et hæc quidem Sarmatia Asiatica antiquorum magna ex parte est, de qua quidem particularem infra damus tabulam.

Sarmatia Asiatica.

Secunda pars Asiæ. Eius fines. Iaxartes flu. Imaus mõs.

Secunda est, quæ magno Chamo Tartarorum Imperatori obedit, cuius fines à Meridie sunt mare Caspium, Iaxartes fluuius, Imaus mons: ab Ortu, & Septẽtrione Oceanus: ab Occidente Moscouiæ regnum, & de hac etiam extat infra particularis tabula.

Tertia pars Asiæ. Eius fines. Tigris flu. Mare Caspium. Portus Euxinus.

Tertiam partem occupant Turcæ, quæ quidem inter Pontum Euxinum, mare Ægæum, Mediterraneumque, Ægyptum, sinum Arabicum, Persicumque, Tigrim fluuium, mare Caspium, & Isthmum, qui inter hoc & Pontum Euxinum est: de qua quidem duas damus infra tabulas, nempe tabulam Palæstinæ, seu Terræ sanctæ, & tabulam Cypri insulæ: de reliquis Turcici dominij locis in Asia loquemur in descriptione particulari Turcici Imperij, cuius infra extat particularis tabula.

Quarta pars Asiæ. Eius fines. Indus flu.

Quarta pars continet Regnum Persiæ, quod hodie à Sophis gubernatur, cui Turca est ab Occidente, Tartari à Septentrione, & ad Ortum fermè usque ad Indum fluuium extenditur, à Meridie autem Rubro mari alluitur: de hac etiam parte afferremus infra peculiarem tabulam.

Quinta pars Indias Orientales omnes continet hoc est tam Indias intra

Gan-

Quinta pars Asiæ. Eius fines.

Gangem, quàm extra, quæ non ab uno solo ut aliæ partes, sed à plutibus regibus gubernantur.

Sexta pars Asiæ Eius fines.

Sexta est China prouincia amplissima in Tartarorum, & Indiæ finibus, quæ à potentissimo Rege moderatur.

Septima pars Asiæ. Eius fines.

Septima, & ultima omnes insulas in Oceano Indico, & Orientali hinc inde sparsas habet, de quibus tribus ultimis partibus unita extat infra tabula sub titulo Tabulæ Indiæ Orientalis.

Asiæ qualitas. Cicero pro Lege Manilia.

Cæterum Asia in uniuersum incomparabili potitur aeris clementia, & tam opima est, ac fertilis, & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, ut facilè omnibus terris antecellat. Isthic enim uaria animalium, & terræ nascentium genera, quæ in aliis orbis partibus non nascuntur, inueniuntur: mittit enim Asia balsamum, calamum, thus, mirrham, cassiam, cinamomum, garyophillum, piper, crocum, ligna odorifera, resinam, suauissimi odoris, muschum, & alia aromata, ac odorata: abundat odore, auro optimo mineralibus penè omnibus, & preciosis lapidibus omnis generis.

Asiæ fluuij.

Alit quoque innumeros elephantes, camelos, & alia complura animalia tum domestica, tum syluestria. Memorabiles Asiæ fluuij sunt Indus, Ganges, Rha, seu volga, & alij quidam. Montes isthic insignes, & admirandi sunt, atque etiam lacus immensi, & unum mare Caspium in modum uastissimi lacus, quod sanè ad Oceanum usque non pertingit. Vastissimę tamen sunt in Asia solitudines, ac deserta, & hæc terra magnopere terræmotibus subiecta est. Nam sub Tiberio Cæsare duodecim eius urbes una nocte prostratæ sunt, neque in toto terrarum orbe tam crebræ urbium diuersiones fiunt sicut in Asia. Credidit antiquitas multa fabulosa de hac orbis parte, hoc est in ea homines syluestres auersis post crura plantis reperiri eximiæ uelocitatis: similiter hominum genus capitibus caninis, & alia, quæ tamen falsa esse recentiorum narrationes prodiderunt.

Mare Caspium.

Duodecima vrbes Asiæ prostratæ vna nocte.

Homines auersis plantis.

Homines caninis capitibus.

Præterea populis ingeniosissimis præstat ipsa Asia, diuitiis immensis affluit, & omnibus bonis beata est, atque mater, & parens multorum amplissimorum Regnorum, ac potentissimorum, diuturnorumque Imperiorum semper fuit. Namque apud Scriptores Ethnicos celebrantur primæ in orbe monarchiæ Assyriorum, Persarum, Babyloniorum, Parthorum, & Medorum, quæ isthic floruerunt. Et nostra ætate moderantur in ea Turcæ, Tartari, Persæ, Mogori, Indi, & Chinenses, qui omnes profecto ingenio, promptitudine, & corporis uiribus præstant. Non minus in sacris literis hęc mundi pars prę cęteris illustris est, ac celebratissima, cum in hac, ut ait Ortelius non solum genus humanum à Deo Optimo maximo creatum, ab hoste Satana delusum, corruptumque, & à Christo Saluatore instauratum constat, sed omnem ferè utriusque testamenti historiam in ea scriptam, & completam legimus.

Asia plurimorum Parens regnorum.

Primæ in orbe Monarchiæ.

Qui nostra ætate Asiæ dominãtur.

Asiæ incolarum qualitas.

In Asia primus homo creatus delusus, & totum genus humanum instauratũ.

Qui-

Quinimò in hac ipsa orta postremò est Mahumeti Pseudoprophetæ infamis secta, quæ adeò per totam Asiam, ac per Africæ non minimam partem potens est. Sed nunc ad ipsas Asiæ particulares descriptiones accedamus.

Asia Mahumeti patria.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXVI.

ASIAE MINORIS, VVLGO

Natoliæ vocatæ, descriptio cum insulis circumiacentibus.

ASIAM MINOREM hic intelligimus pro totæ chersonneso, seu peninsula inter Euxinum,& Cilicium,Pamphyliumq; mare,versus mare Ægeum protensa,quę hodie vno nomine vulgò *Natolia* vocatur, *& Turcia maior.* ipsamq; descripsit Ptol.in prima Asiæ tabula, vnde regiones hasce antiquorum complectitur,nempe PONTVM, & BITHYNIAM, ASIAM PROPRIAM, LYCIAM, GALATIAM, PAMPHILIAM, CAPPODOCIAM, CILICIAM, & ARMENIAM MINOREM. Terminatur autē ab ortu Euphrate fluuio nobilissimo, qui nunc *Apherat*, vel *Frat*, dicitur: à meridie mediterraneo mari,quod ab ipsis minoris Asiæ regionibus interdum Lyciū,interdum Pamphyliū mare, & alicubi etiam Ciliciæ fretum dicitur,nuncq; vulgo *mare Caramaniæ* vocatur; ab occasu mare respicit Ægæum,seu Archipelagum Græciæ,à septē trione vero ponto Euxino seu *mare maiori* abluitur. Complectitur autem magnum terræ tractum,cum inclusa sit inter meridianum gr.51. & meridianū gr.72.atq; secūdū latitudinem est in eodem ferè situ, in quo est Italia, non clauditur inter gr.36. $\frac{1}{2}$ & gr.45.scilicet inter medium quarti climatis,vndecimumque parallelum, & sexti climatis medium, ac decimū quintum parallelum,vbi accidit maioris dici varietas vnius horæ;etenim australis. ora hēt maximā diem horarū 14.cum semisse,& borealis horarū 15.cum semisse. Est autem minoris Asię latitudo ex Plinij traditione ducētorū circiter millium passuum ab Issico scilicet sinu,nūc *Golfo de Laiazzo*, & Amanicis portis vsque ad Trapenzuntem,quæ est in ora Ponti, quod quidem cum Herodoto consentit,qui ait isthmum Asiæ minoris esse iter quinque dierum expedito viatori.

Asia minor.
Natolia Turcia maior.
Minoris Asię regiones
Eius fines. Euphrates. Apherat. Frat. Mare Lyciū. Pamphyliū. Mare Caramaniæ. Archipelagus Græciæ. Mare maius.
Minoris Asiæ latitudo. Golfo de Laiazzo.

Gaudet autem terra hæc singulari quadā cęli clemētiā,fuitq; olim frugiferis campis,copiosis pascuis,auratisq; ammibus abundè diues,atq; omniū rerum,quæ ad benè,beatèq; viuendū conducūt,mirè affluens;ac per multos peperit homines præstantissimos priscæ ætatis qui florem linguæ Grę cæ prætulerunt,quę triplex fuit DORICA,IONICA,& ÆOLICA, cæteræ linguæ huius peninsulæ barbaræ censebantur, præterea horum Laus fuit non modo in veteri illo, & ethnico disciplinarum, artiumque humanarum genere: verum etiam in Christi religione. Namque hæc orbis pars celeberrimarum Christi ecclesiarum alumna quondam fuit: quin

Eius qualitas.

Minoris Asiæ regna.

etiam in ea, ut in nulla alia, celeberrimæ fuerunt nationes, in quibus olim maxima regna fuere, vtpotè Troianorum, Mithridatis, Cræsi, Antiochi, Paphlagonum, Galatarum, Cappadocum, Phrygiorum, & reliquorum populorum. Fuit autem primum à Cyro Persarum rege occupata, deinde à Macedonibus, atque ab Alexãdri ducibus unà cum Syria, Aegypto, ac Babylonia mirè fuit diuisa, postmodum à Romanis fuit spoliata, atque postremo à Turcis fuit uastata, miserabiliterque deperdita, & ad maximam tenuitatem redacta, ut nihil modo memoratu dignum ferè habeat. Quandoquidem tam insignis & nobilis terra paucis hodie ciuitatibus insignitur, sed oppidulis, ut plurimum, & pagis, ac dicunt quidam in tota hac minori Asia, ruinas cerni plusquàm 4000. locorum, & urbium ita in diuersarum gentium incursionibus deuastatarum, ut uix dignosci queant, & multæ regiones proprium amiserunt nomen, neque adeò fertilis & culta est, ut olim, uersus tamen mare magis colitur, & habitatur ob nauigationes, & negociationem Mediterranea loca uiles, rusticæ, & abiectè gentes occupant, sunt autem plurima loca campestria eius frumento, hordeo, gossipio, & sesamo cõsita, & præcipuus prouentus regionis est gossipium, & sesamum. Incolæ Maumethani, ut plurimum sunt, dicunturque Turcæ naturales, qui simpliciores sunt cæteris; nec ita crudeles, ut sunt illi, qui Christi fidem abnegant, sunt tamen per multi Christiani in Cappadocia, & nonnullis aliis regionibus, qui Græcum ritum sequuntur, & Armeniorum: nulla isthic datur nobilitas ex antiquitate sanguinis, aut familiæ, sed omnes æquales sunt, & à Turcarum Imperatore mancipiorum loco tenẽtur, qui isthic suos *Belerbeios* & *Sangiacos* mittit in diuersis regionibus, & prouinciis. Rustici porrò segnes, & ociosi admodum sunt, qui terram nulla diligentia colunt, præsertim opulentiores, & nisi ab eorum mancipiis agri excolerentur, rari essent agri *Culti*. Sunt autem in Vniuersa minore Asia per multi fluuij, quorum præcipui sunt Iris nunc *Casalmach*, Halis nunc *Ottomangiuch*, Parthenius nunc *Dolap*, Sangarius nunc Bellonio *Sangari*, & *Acada* in Castaldi tabulis, & hi omnes in Pontum Euxinum seu mare maius decurrunt: deinde Ascanius nunc *Isnic*, Phyndacus nunc *Supidi*, qui in Propontide exonerantur, scamandores nunc *Simores*, qui in Hellespontum incedit: Caicus nunc *Girmasli*, Hermus seu Mercurius nunc *Sarabat*, Gaystrus Castaldo hodie *Chaici*, & Ortelio *Chias*, mæandrus, qui Prusęo auctore sexcentas flexuras facit, uocaturq; nunc *Madres*, & hos omnes Aegeum mare excipit. Est etiam melas fluuius hodie *Gensui*, uocatus qui ad Euphratem suas aquas mittit, præter plurimos alios, qui ad mediterraneum mare tendunt. Nunc autem, de particularibus regionibus nonnihil dicamus, seruantes antiquam partitionem.

Minoris Asiæ Incolæ qui sint, & quales.

In minori Asia omnes sunt æquales.

Rusticorũ Minoris qualitas.

Minoris Asiæ fluuij.

PONTVS,

PONTVS, ET BITHINIA.

Pontus, & Bithynia prouinciæ.

DVÆ olim PONTVS, & BITHYNIA prouinciæ fuerunt discretę, una ad Occasum, altera ad Solis Ortum Sangaro amne interfluente, quæ postea in prouinciam vnam redactæ sunt PONTVS, & BITHYNIA dicta, quæ hodie *Bursia* uocatur, ut Girauæ placet ab urbe id nominis, sed *Becsangial* Castaldo, & alijs dicitur. Terminatur hæc prouincia secundum Ptol. ab Occasu ore Ponte, & Thracio Bosphoro, & parte Propontidis: à Septentrione parte Euxini Ponti: à Meridie Asia propria iuxta Rhyndacum amnem: ab Ortu Galatia iuxta Paphlagoniam. Est autem opulenta, ac diues, in qua olim Mithridates maximus Rex regnauit, quem populus Romanus ægrè multis demum annis superauit. Isthic famosæ vrbes fuerunt olim Chalcedon, Nicomedia, Apamia, Prusa, Nicæa, & Heraclea ponti.

Pontus, & Bithynia prouincia una.

Bursia cur dicta.

Becsangial.

Ponti, & Bithiniç fines

Famosæ vrbes Ponti, & Bithiniæ.

CHALCEDON Megarensium olim fuit colonia, fuitque famosa ob Concilium quartum in ea celebratum, sed nunc destructa est. Sunt tamen, qui dicant, hodie extare contra Constantinopolim interflua Bosphori parte 7. stadiorum spatio diuisam, clarissimumq; esse emporium, & *Galatam* uulgò uocari; alij autem dicunt Calcedon hodie esse *Scutarum* oppidum contra Constantinopolim situm.

NICOMEDIA vetusta est urbs, & olim potens, ac præclara, cum fuerit aliquot Imperatorum sedes, qui plures viros sancto martyrio in ea affecerunt. Sita autem est in edito colle ameno in loco, ac magnam habet Scaturiginum aquæ commoditatem, unde frequentioribus habitatur incolis Turcis, & Græcis, licet in ruinis iaceat.

Situs Nicomediæ.

PRVSA, hodie *Bursia*, seu *Bursa* dicitur, estque urbs ampla, ac potens ad montem Olympum sita, quæ olim Ottomanorum Imperatorum fuit sedes, antequam Constantinopolim cępissent; nunc autem in ea sepeliuntur omnes ex Ottomana familia Imperatoribus tantum exceptis, quorum sepulchra sunt Constantinopolis.

Situs Prusę.

NICÆA, nunc secundum Nigrum uocatur *Nichia*, sed aliis *Isnic* dicitur: fuit olim Bithyniæ Metropolis, & nobilitata fuit ob Concilium primum in ea celebratum, nunc uerò deserta est. Iacet autem prope Ascaniam paludem, seu lacum, nunc *Lago de Isnic*, per quem in mare uadit Ascanius amnis. In hac autem prouincia auripigmentum foditur, quod Arsenicum Græcè dicitur.

Niceę situs.

Ascanius amnis.

ASIA PROPRIA.

Asia propria. Eius fines.

ASIA, quæ PROPRIA dicitur, & nunc *Sabrum*, seu *Sarcum*, particularis est prouincia minoris Asiæ, quam Ptol. ab Occasu Propontidis parte, & Hellespontо, Ægæoq; pelago, ac Icario, Myrtoq; terminat: à Meridie Rhodensi pelago, & Lycia partim, ac Pamphylia, ab Ortu Galatia: & à Septentrione Ponto & Bithynia, ac Propontidis parte. Hæc autem prouincia abundè apud omnes authores celebrata est urbibus clarissimis, fluminibus, ac montibus innumeris, ac incolis præstantissimis; quæ quidem apud ipsum Ptol. hasce particulares regiones comprehendit, nempe Phrygiam, Cariam, Mysiam utramque, Aoliden, Ioniam, Doridem, Lydiam, PHRYGIA diuiditur in maiorem, quæ ad ortum exposita est, & in minorem ad Occasum, quæ Hellespontiaca & dicitur, & Troas, & nonnullis etiam vocatur Epictetus. Castaldus hodie *Sarcum* dici tradit. Phrygia magna nunc, sicut etiam olim, pluribus vicis, quam urbibus frequens est, & in ea est MIDAIVM vrbs nobilis Mydæ regia non longe a Sangario fluuio. APAMIA etiam urbs, quæ Cibotis quoque dicebatur, Phrygiarum urbium maxima fuit, & caput quondam Phrygiæ, insigneque emporium: hæc autem pauco interuallo a Męandro fluuio iacet. Sunt montes propè Docimæum oppidum, & Synnadam urbem, in quibus Synnadicus lapis effodiebatur uarius, admirabilis, & alabastro persimilis, ex quo columnæ ingentes conficiebantur, quæ Romam per mare deferebantur.

Regiones Asiæ propriæ.

Phrygiæ diuisio.

Phrygia magna.

Sangarius flu.

Meander flu.

Synnadicus lapis.

MINOR PHRYGIA, seu TROAS iacet è regione montis, Athos, in qua fuit olim ILIVM, seu TROIA urbs famosissima caput regionis & mons Ida Paridis iudicio memorabilis, qui nunc *Gargara* dicitur, & fluuius Scamandrus, & Simois, seu Simoentius, ac alia loca ab Homero, & Virgilio celebrata. Incolæ partim Græci sunt, partim Turcæ, partim Arabes, omnesq; eã regionem *Troada*, uulgò nuncupant. Troianæ urbis ędificiorũ rudera adhuc conspiciuntur, quæ admiranda uidentur intuentibus, (ait Bellonius testis oculatus) nam murorum ambitus de urbis amplitudine satis amplum testimonium præbent, constabant autem ex magnis saxis, raris, & ualdè spongiosis, nigris, & duris, forma quadrangula incisis, quæ ex vicini Promontorij Assos nomine, latomiis exempta fuerũt. Extant adhuc turrium, quæ in muris erant rudera. Murorum, qui urbem cingebant fundamenta adhuc apparent nonnullis locis suffulta columnis, & fulcris binas Orgyas latis. Extra murorum ambitum secundum regias uias uidere licet magna marmorea sepulchra operis antiqui ex unico lapide instar Cistæ excauata, quorum opercula adhuc integra sunt. Apparent duarum arcium rudera ex marmoreis lapidibus constantia, quæ omnino corrumpi nequeunt. In interiore urbis parte nihil, nisi ruderum confusa moes conspicitur, cum toties excisa fuerit hæc urbs, ut nulla integra remanserint ædificia: eam ob causam omnino deserta est, nec quisquã ibi

Phrygia Minor. Troas. Mõs Athos. Mons Ida. Ilium. Troia. Gargara. Scamander flu. Simois flu.

Assos pronin.

ibi habitare põt ob agri sterilitatem, & aquæ penuriã. Magni colossi Troiæ humi prostrati adhuc iacent operis antiqui, & restant adhuc in mœniorum ambitu nonnullæ portæ ferè integræ. Hæc ex Bellonio collegimus suis propriis uerbis, qui asserit etiam flumina illa Simoidem scilicet & Xanthũ, seu Scamandrũ adeò a Poetis celebrata, quæ Troiana prata rigabant, nunc exiguos riuulos esse, qui æstate omninò exsiccantur, & hieme uix tantum aquæ ferunt, ut anser in iis natare possit.

Xantus flu.

Fuit quoque in Troade regione PERGAMVS urbs in colle sita metropolis Asiæ Propriæ, & Galeni Medicorum principis partia, quæ quidẽ sub Attalicis regibus fortunata fuit, ipsamque Silenus amnis intermeat, & Caicus præterfluit. In ea chartæ usus primum fuit inuentus, quæ inde nomen habet. Eius rudera hodie tantum extant, diciturque uulgò *Pergamo* etiamnum. Ager urbis ualdè opulens est, ac felicissimus, quo fit, ut etiam hodie frequentius habitetur uicis. Isthic sunt lapicidinæ, in quibus olim inuenti fuere permulti homines in lapidem conuersi, qui prius ibi terrore belli occultati fame perierant. Prope Hierapolim urbem olim diuitiis cunctis refertam, & Męandro fluuio, appositam ponuntur aquæ calidæ a Strabone, quas ait in Tophum faciliter indurari, & ibidem etiam ponuntur aquæ ad tingendas lanas idoneæ, ut ex radicibus tincta illis cedere uideatur.

Pergamus. Patria Galeni.

Silenus amnis.

Caicus amnis. Qualitas agri. Homines in lapidem versi. Hierapolis. Tophus.

Cæterum Phryges primi fuerunt, qui auguria inuenerunt, fistulam, tricordium, & alia.

CARIA regio inter Ioniam, & Lyciam iacet, cuius metropolis fuit olim MILETVS ad mare illustris, ac nobilis urbs, qui locus nunc *Melaxo* dicitur, ex qua quidem plusquam 80. coloniæ prodierunt, qui Milesii dicebãtur. Cariæ uerò populos Hætines, & Leleges dictos fuisse asserit Herodotus, & Mausolos nominat Stephanus. In Caria est urbs MAGNESIA nomen uetustum adhuc retinens iuxta Męandrum fluuium, quæ omnium Asiæ totius urbium longè frumento feracissima erat, circa quam magnes lapis inuenitur.

Magnesia. Magnes lapis.

Sunt etiam montes in Caria, in quibus lapis albus effoditur, ex quo ædificia publica, & priuata fabricantur, quæ mirè splendent.

MYSIAM regionem Ptolemæus in maiorem, & minorem partitur, quæ aliquando Abreta, Aeolia, & Aeolis dicta fuit. Castaldus *Bursiam* nũc eam nominat. Fuit olim in hac regione LAMPSACVS Græca urbs Patriorum colonia ad Hellespontum è conspectu Calipolis, quæ subuersa est, cuius locus nunc nigro teste dicitur *Aspico*, & Sophiano *Lampsico*, sed Oluario *Circe*. In huius urbis agro uineæ fructus abundè præbent.

Mysiæ partitio.

Lampsacus. Aspico. Lampsico. Circe. Abidus. Aueo.

ABIDVS vrbs nunc *Aueo* Milesiorum fuit colonia. Isthic sunt Hellespõti angustiæ septem stadiorum, ubi Xerxes ponte Europam iunxit Asię, qui tempestate dirutus, atque dissolutus fuit. Abydus hodie etiam perdurat contra Sestum Thraciæ Chersonnesi oppidum, estque paludoso in loco, ut ait Bellonius sita, & quadrangula forma reparata, quæ quatuor propugnaculis admodum infirmis prædita est in quatuor angulis muri

Abidi situs. Forma.

Sextus arx.

quadranguli, & hæc arx simul cum Sesti arce opposita, una est ex clauibus Turcarum dominij: namque ex his arcibus explodu ntur bellica tormenta in eas naues, quæ sine licentia magni Turcæ effugere, uel in Hellespontum ui perrumpere uellent.

Adramyttium. Pendasus. Landormiti

Fuit eriam olim in hac regione ADRAMITTIVM urbs, olim Pendasus Athenienſium colonia, nunc *Landermiti*, quæ portum, & mauale habuit, & agrum opulentum Thebes uocatum, & carmine Homeri nobilitatum. Pertinet ad hanc regionem Granicus, seu Grenius amnis, nunc *Lassara*, secundum Nigrum, qui ex pluribus fontibus factus in propontide exit, fuitque olim profundus, vndosus, & impetuosus, ubi Alexander Darij Satrapas prelio superauit.

Thebes portus. Granicus, seu Grenius amnis. Lassara.

Aeolis regio. Eius vrbes litoralis.

ÆOLIS regio in littore est maris Ægæi, cuius incolæ olim Pelasgi dicebantur, huius littorales vrbes sunt Myrina, Cuma, nunc *Castri*, & Phocæa duobus portubus insignita, quæ nunc *Foglia vecchia* dicitur.

Ionia prouincia. Philosophia Ionica. Quision.

IONIA Icarium respicit pelagus, & Chios insulam, ex qua sanè prouincia ortum duxit Philosophia Ionica, & in ea minium ex gleba coquebatur: hanc hodie à Turcis quidam appellari *Quiscon*, volunt.

Ephesus. Figena, seu Fienà.

EPHESVS fuit olim famosa eius urbs, & Asiæ olim lumen dicta, quæ etiamnum *Epheso*, ut Sophiano placet uocatur, sed *Figena*, seu *Fiena* Castaldo. Est autem maximè celebris ob Concilium, & ob templum Dianæ Ephesiæ in ea constructum, quod inter 7. orbis miracula connumerabatur. Ioniæ Chersonnesum insulæ Chios uicinum inhabitarunt Clazomenij, cuius ager optimum ferebat uinum.

Clazomenij.

Doridis regio. Guidus vrb.

DORIDIS regio in Chersonnesi formam in mare porrigitur, & cõtinet GNIDVM urbem famosam ob marmoreum Veneris simulacrũ, hodie diruta est, cuius locus uocatur *Capo Chio*, uel *Crio*. Castaldo est etiam in eius isthmo HALICARNASSVS urbs summæ claritatis. Dionysij, ac Herodoti patria, quæ hodie Sophiano *Mesi* dicitur, & *Castellum S. Petri*. Nigro, & Vadiano. In urbe hac regnauit Mausolus Rex, cui ab uxore Artemisia erectum fuit sepulchrum MAVSOLEVM nuncupatum, quod inter septem orbis miracula connumeratur:

Halicarnassus urbs.

Lydia regio Mœonia. Tmolus mons.

LYDIA regio dicta etiam fuit Mœonia, & ad mare non extenditur, quam amnes à Tmolo monte prouenientes, & aurum euoluentes interfluunt, ex quo feracissima fuit olim auri, & argenti, atque egregiè culta, ac delicatissima. Huius populi celebres diuitijs fuerunt, & regionis caput fuit olim SARDIS urbs magna, & Chresi regia, quam Pactolus amnis interfluit, quæ terræmotu concisa à Tiberio restaurata fuit, in cuius quidem agro Sarda Gemma uulgaris reperiebatur. Tmolus etiam mons ferocitate sua clarus extitit namque uitibus mirè consitus erat, ac croco florens.

Sardis urbs. Pactolus amnis. Sarda gemma.

LY-

LYCIA.

LYCIA olim Mylias dicta fuit, atque etiam Ogygia Stephano teste: nunc *Bricquia* dicitur Girauæ, & *Aldinelli* Castaldo: sed *Benesaacan*, ab Arabibus dici asserit Theuetus. Hæc prouincia ad mare maximè uergit ab ipsa Lycium uocatum, & ab Occasu, & Borea à Cauam conditur: ab Ortu Pamphyliæ iungitur secundum Masicytum montem ad mare usque pertingentem: à Meridie abluitur Lycio 200. ferè millium passuum nauigatione. Est autem aspera regio, ac difficilis propter nascentem in ea Taurum montem: frugifera tamen, ubi in campis sese aperit, atque olim fuit clarissima, quæ 60. oppida complectebatur, è quibus Pauli Apostoli ætate 36. extabant, reliquis parim bello, partim terræmotu disiectis. Primariæ urbes Lyciæ fuerunt Xantus, Patara, Pinara, Olympus, Myrrha, & Limyra, & inter eas Metropolitana fuit PATARA D. Nicolai patria Episcopi Myrrhæ, quæ nobilis antiquitus erat delubro Apollinis, cui consecrata erat ubi responsa dabantur. TELMESVS etiam ciuitas iuxta eiusdem nominis promontorium clara fuit ob aruspicinam, cuius incolæ somniorum interpretatione primi adinuenerunt. Tradunt antiqui scriptores, isthic esse Chimæram montem noctibus flagrantem.

Lycia prouin. Eius fines. Masicytus mons. Regionis qualitas. Vrbes Lyciæ. Patara. Telmesus ciuitas. Chimæra mons.

GALATIA.

GALATIA, seu GALLOGRÆCIA à Suida Græcogallia, & Bucellanorum regio dicitur. Nomen autem sumit à Gallis populis, qui cum Græcis commixti fuerunt: namque memoria proditum est, Gallos in Asia mixtos fuisse tempore Pyrrhi Epirotarum Regis, hoc est paucis annis ante primum Bellum Punicum. Hodie autem Castaldo *Chiangare* dicitur, & ad Occidentem Bithyniam, ac Phrygiam habet: ab Ortu Cappadociam: à Meridie Pamphiliam: ad Septentrionem uerò Euxinum pontum, ubi 250. millibus passibus eius littus extenditur. Terra frugum omnis generis ferax est, quæ Amethistum lapidem inter alia parit. ANCYRA vrbs uulgò nunc *Angouri* magna, ac opulens totius regionis celeberrima est propter panni undulati, & non undulati, frequentissimam mercimoniam, qui in ea sola urbe ex mollissimis caprarum uillis texitur. In hac regione est PAPHLAGONIA prouincia ad Portum Euxinum, num *Roni*, ut quibusdam placet, uocata, à cuius populis HENETIS uocatis quidam putant Venetos Italiæ populos clarissimos emersisse. In hac autem est SINOPE urbs colonia Milesiorum, ac omnium totius Galatiæ clarissima super collem

Galatia. Gallogræcia. Bucellani. Chiangare. Gallatiæ fines. Amethistus lapis. Ancyra urbs. Angouri. Paphlagonia prouincia. Heneti. Veneti. Sinope vrbs.

Sui qualitas agri. Sinopi.

Amisus vrbs. Simiſo.

lem peninſulæ ad Pontum Euxinum ſita cum nobili portu, quæ clariſſimi totius Aſiæ Regis Mithridatis patria fuit, qui eam primam ſibi Regiam conſtituit; agrum habet terra rubra copiosè inſignitum, & æris mineris diuitem, hodie antiquum retinet nomen, & *Sinopi* dicitur. Eſt etiam AMISVS vrbs maritima ſatis olim inſignis, quæ nunc *Simiſo* dicitur, cuius ager optimus eſt ac aquis irriguus.

PAMPHYLIA, QVÆ NVNC Caramaniæ pars eſt.

Pamphylia prouinc. Popſopia. Zina.

Caramania.

PAMPHYLIA etiam Popſopia vocatur Plinio, hodie *Setilia* Girauæ, & alis dicitur, & *Zina*, ab Arabibus uocari, Theuerus aſſerit. Bellonius autem ait hanc hodie ſimul cum Cilicia uno nomine *Caramaniam* dici, quæ quidem Caramania eſt ſeptem Turcicorum Sangiacorum ſedes, & prouentum reddit 80. circiter millia aur. Terminatur autem Pamphylia ab Occaſu Lycia & parte Aſiæ propriæ: à Septentrione Galatia: ab Ortu Cilicia, & parte Cappadociæ: à Meridie Pamphyliæ Pelago, quod ſæuum ſemper, ac procelloſum eſt. Ora eius maritima eſt 150. millium circiter paſſuum. In hac ſunt PERGA Mediterranea ad Cataractum fluuium, & SIDA, & ATTALIA urbes maritimæ, quarum mentio eſt in Actis Apoſtol. & Attalia quidem Metropolis olim fuit, quæ nunc *Sattalia* dicitur, eſtque inter maritimas eius regionis urbes maxima, ac munita, à quo uicinus ſinus *Golfo di Sattalia* dicitur, ubi emporium uniuerſi tractus illius egregium fit, celebris etiam eſt ob tapetes, qui in ea conficiuntur. In Pamphylia, quemadmodum etiam in Cilicia capræ molliſſimos habent uillos, ut ſericum ipſum tenuitate prouocent, & candore niuem, ex quibus optimi, & elegantiſſimi conficiuntur panni undulati, & non undulati.

Vrbes Pamphiliæ.

CAPPADOCIA, NVNC AMASIA.

Cappadocia prouin. Leucoſyria. Almaſia. Senech. Toccatu Alaluien. Cappadociæ termini.

CAPPADOCIA Strab. & alijs Leucoſyria uocatur, hodie uerò *Almaſia*, ſeu *Amaſia* eſt Caſtaldo ab urbe forſan huius nominis primaria. Theueto autem *Genech*, & Pineto *Toccatu Allaluien* dicitur. Hæc autem regio extendit ſeſe ad mare uſque Maius, & ab Occaſu Paphlagonia, Galatia, & parte Pamphyliæ terminatur: à Meridie parte Ciliciæ; ab Oriente Antitauro iuxta Armeniam minorem, & Moſchio monte, & Eufratis parte: à Septentrione Ponto Euxino ſupra 450. milliũ paſſuum excurſu.

Latè

Amnes Cappadociæ. Halys amnis. Ottomagiuch. Qualitas.

Thermodoon flu.

Argæus mons.

Cappadociæ ciuitates.

Latè autem pateſcit, & claris amnibus perfunditur, quorum memoratiſſimus Halys nunc *Ottomagiuch*, Creſi aliquando regnorum ab Ortu terminus: reliqui ſunt Iris, nunc *Caſalmach*, & Thermadon, qui hodie ab Accolis *Pormon* vocatur. Eſt autem hæc regio frugibus omnibus, ac vino abundans, atque argento, ære, ferro, alumine, chriſtallo, iaſpide, onichite lapide, & alabaſtro ignobili diues: imprimis verò equus innumeros alit: ſunt autem qui dicant regionem ipſam eſſe aſperam, & rerum ad uictum neceſſariarum maximè indigentem, & gentes olim fuiſſe malis moribus affectas. Circa Thermodoontem fluuium ait Plinius duo eſſe apum genera, & quæ in arboribus mellificant, & quæ ſub terra triplici cerarum ordine vberrimi prouentus. In huius ferè regionis meditullio tradunt eſſe ARGÆVM montem omnium huius loci altiſſimum, in quo ſereno cœlo utrumque mare aſpicitur, Iſſicum nempè, ac Euxinus Pontus, cuius cacumina æſtate pariter ac hyeme niuoſa ſunt. Ciuitates inſignes ſunt Trapezus, & Themiſcyra maritimæ, & Amaſiæ, Iconium, & Maza, vel Cęſarea Mediteraneæ. TRAPEZVS, ſeu Trapezuntium hodie *Trebiſonda*, & à Barbaris *Machamach* dicta maximè illuſtris eſt, ac etiam hodie celeberrima, quæ à Græcis in calce regionis condita fuit, & vaſto monte retro clauſa, hæc autem Imperio Trapezuntino ſedem, & nomẽ dedit, quod ab Iſaac Comneno ex Conſtantinopoli profugo olim fundatum fuit, ſed ab Mahumete ſecundo Turcarum Imperatore fuit deletum capta ipſa vrbe, & Dauide Imperatore Chriſtiano occiſo, ac tota illius ſtirpe crudeliter ſublata. Perdurant adhuc in ipſa urbe multi Græci Chriſtiani. AMASIAM vrbem aliqui caput faciunt Paphlagoniæ, ſed ad hanc regionem pertinere ex Ptol. ac alijs conſtat. Hæc autem urbs hodie etiam ſic uocatur, atque ab ea circunuicinæ regiones nomen ſumunt, ſita autem eſt profunda in ualle iuxta amnem Irim, nunc *Cazalmach*, cuius ager licet magna ex parte nudus, ac deſertus ſit. Attamen alendo pecori idoneus eſt. Fuit autem Strabonis Geographi patria, ac in ea nunc Belerbeius Turca reſidet, qui uocatur Belerbeius Amaſiæ, & Cappadociæ, cuius prouentus eſt 60. millium Ducatorum.

ICONIVM urbem nonnulli in Cilicia reponunt, cum ſit in illius confinio, quæ tamen ex Ptol. deſcriptione ad hanc regionem pertinet, uocatur hodie *Conia*, ſeu *Cogne*, & ſita eſt non procul ab altis montibus, quam plerique riui, ex ijs montibus delabentes irrigant: mœnia habet nõ uetuſta orbiculari forma ex uario lapidum genere cum Turribus quadrangulis raris tamen: octo in ea ſunt portæ, & elegantiores fabricæ ſunt Meſguedæ, Thermæ, & Carbaſſara. Incolæ Græci ſunt, Turcæ, Hebræi, Arabes, & Armeni, frequentes ſunt circa territorium huius urbis pagi incolis refertiſſimi, & generoſum uinum iſthic uites conficiunt.

CI-

CILICIA, NVNC Caramaniæ pars.

Cilicia regio. Tarsus. Chalah. Turcomania. Finichia.



CILICIA regio Iosepho Tarsus dicitur, & *Chalah* Hebræis, hodie *Turcomaniam*, & *Finichiam* uocari Niger putat, sed rectius alii dicunt esse *Caramaniam*, nam Turcomania est maior Armenia, quæ tamen Caramania complectitur aliquas portiones aliarum regionum extra Ciliciam præsertim Pamphyliam. Habet autem Cilicia ab

Ciliciæ termini. Amanus mons. Monte negro. Ciliciæ partitio. Campestris Ciliciæ qualitas.

Occasu Pamphiliam: à Septentrione montis Tauri iuga: ab Ortu Amanum montem nunc uulgò *Monte Negro* uocatum: à Meridie uerò mare Cilicium à se dictum 300. circiter millium passuum præternauigatione. Diuiditur autem in Trachiniam, seu asperam Ciliciam, quæ est ad Occasum, & in campestrem Ciliciam, quæ ad Ortum uergit, uastiorque est, quę quidem diues est fluminibus, frugibus, equis: ac bonis omnibus; namque maior pars Ciliciæ ob aquæ commoditatem, qua horti irrigantur, mediocriter culta est, eius tamen solum argillaceum est, & lignis destitutum, quæ petenda sunt è montibus plusquam bidui itinere inde distantibus, inter quos est mons Amanus, nunc *Monte Negro*, in quo celsæ crescunt cedri, iuniperus maior, & sabina, qui etiam uariis abundat plantis. Amęnissima autem sunt pluraque loca Ciliciæ; nam multas habent stirpes perpetuò uirentes. Suntque loca quædam campestria, & sterilia latè patentia, quæ à nemine peculiariter possidentur, sed in ea, quilibet suos greges pascere possunt, in quibus planitiebus aluntur plurimi ueruecum, & caprarum magni greges, qui ingentem afferunt quæstum suis dominis ex butyro, & caseo: Capratum uerò uellera mollissima sunt ad instar serici, ex quibus panni texuntur elegantissimi, qui uulgo *Ciambelloti* dicuntur. Syluæ isthic sunt ex myrtis albo fructu præditis, & terebinthis, ac pinastris. Regionis huius flumina tametsi nauigabilia sint, naues tamen non habent: nam cum regio deserta sit, nemo isthic negociatur, inter hos est Pyramus amnis nūc *Malmistra*, qui è media planitie exoriens longè ultra Taurum, dum per montis illius profundam censuram incedit, sonum tonitrui persimilem edit è longinquo perceptibilem, at Cydnus amnis, qui ab Antitauro scaturit, frigidissimus, rapidissimus, ac limpidissimus, cuius aquam Plinius Podagricis mederi dicit. Sunt porrò hic cisternæ sub terra reconditæ plerisque in locis in saxo, quæ aqua pluuia implentur ad incolarum usum. Inueniuntur crebro isthic lupi quidā pumiliones cateruatim, qui medii sunt inter canes, & lupos, quos Græci uulgò *Squilachi* appellant: adeò furaces, ut noctu adire non uereantur dormientes, rapiendo eis quidquid inueniunt, ut pileos, Ocreas, calceos, frena, & alia. Cæterum Cilicia raros habet incolas, ut ait Bellonius, qui neque piscationi, neque nauigationi indulgent, & terram incultam relinquunt, licet admodum irrigua sit. Sunt tamen magnæ in ea Mesguedæ satis benè instructæ, & priuatorum ædificia

Flumine Ciliciæ.

Ciliciæ habitator qualitas.

hinc

hinc inde in collicnlis sparsa. Metropolitana huius regionis urbs fuit olim HAMA, seu HAMSA, olim Tarsus D. Pauli patria, quæ sita est in valle admodum olim populosa, ipsamque perluit Cydnus fluuius. Isthic etiam est ADENA oppidum, Ptolemæo Adana, magnum quidem, sed mœnibus non cinctum, quod arcem habet quatuor quadrangulis turribus præditam, in quo nunc inueniuntur vinum, & omnia ad victum necessaria. Incolæ Græci sunt, Iudæi, & Armeni, qui vites colunt, ut uuas passulas habeant. Ait Bellonius, isthic vsum linguæ Arabicæ desinere, & Turcicum sermonem in reliqua *Natolia* obseruari, & qui montem Taurum superare uolunt in triduum annonam sibi hic parare debent. Conficiuntur in hoc oppido tapetes ignis colore, more pileorum, & Gausapum, quibus Turcæ peregrè proficiscentes indormiunt. Refert idem Bellonius, esse etiā in Cilicia vrbem HERACLEAM amplam trium dierum itinere versus Septentrionem, & Occasum ab Adena distantem apud Taurum montem in planitie fœcunda, & optimè exculta, ac aquis abundans, multisque pagis referta, ubi omnis generis fructiferæ arbores coluntur, quæ planities ad bidui iter patet, ac in ea magna equorum armenta aluntur, è quibus plusquam sexcenti quotannis eliguntur ad bellum apti, qui à Turcis admodum æstimantur, *Caramanię* nuncupantur.

Metropolis Ciliciæ. Patria Diui Pauli. Cydnus fluu. Adena opp. Adana.

Heraclea vrbs.

Equi Caramani.

ARMENIA MINOR.

Minor Armenia. Anaduole. Pegian. pirma. Leucosyria. Eius fines.

MINOR ARMENIA, sic etiam hodie secundum Nigrum dicitur, sed secundum Girauam *Anaduole*, uocatur, & secundum Castaldum *Pegian*, & alijs *Genech*, in libro autem Notitiarum Prima cognominatur, & Leucosyria Procopio dicitur. Hæc ab Ortu fluuio Euphrate à *Turcomania*, seu maiore Armenia diuiditur: ab Occasu Cappadociam habet: à Meridie Ciliciam supra Taurum montem, ac Syriæ partem supra Amanum montem: à Septentrione Ponticas gentes, Vbi dicunt alij in angulum desinere, quem Antitaurus, & Euphrates efficiunt. Est autem uicina Cappadocia longè nobilior, atque frequentior, atque inter excellentissimos, ac præruptos, syluestresque montes clauditur: inclytis rigatur amnibus, præcipuè Mela fluuio, nunc *Genesici*, qui in Euphratem percurrit. Munitis etiam oppidis illustratur, & amethistus lapis isthic præter alia inuenitur. In hac est MELIRENA regiuncula prope Euphratem, nunc *Suar*, Nigro teste dicta, in qua oleum legitur, ac uinum optimum, monariticum nuncupatum cum Græco certans.

Mela flu. Genfici. Lapis Amethistus. Melarena. Suar. Vinum Monaritico.

INSV-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INSVLÆ CIRCA MINOREM ASIAM, seu Natoliam.

Inſ. Min. Aſiæ.

AD MINOREM Aſiam plures pertinent Inſulæ ſatis claræ, ac celebres, quæ ſunt Tenedos apud Helleſpontum, Lesbos in Ægæo mari. Chios, Samos, & Icaria in Icario mari. Palmos, Leria, Claros, Cous in Myrtoo mari, Caſus, Carpathos in Carpathio mari, & Rhodos in Rhodienſi pelago, de quibus ſingulis agemus.

TENEDOS INS.

Tenedos inſ.

Calydna. Leucophryn.

TENEDOS inſula apud Helleſpontum iacet, diſtans ſolum à continenti Aſiæ, ubi Sigeum promontorium, milliaribus quinque, eius ambitu decem milliaria metitur, olim autem *Calydna*, & *Leucophryn* teſte Euſtathio uocabatur, atque *Phenice*, & *Lyrneſſus* etiam, ut refert Plinius: nunc verò *Tenedo* Sophiano auctore vocatur. Duos autem portus habet ad Ortum, ac ipſam inſulam humiles montes circundant. in medio planicies eſt, deſerta modo. Circa uerò hanc inſulam ſunt CYLIDNAE paruæ inſulæ, nunc *Maurek* melle fœcundæ.

LESBOS INSVLA, NVNC Metelino.

Lesbos. Metelino.

Lesbos nomina.

Ambitus. Longitudo. Latitudo.

Qualitas.

LESBOS, ſeu MYTLENA inſ. clariſ. nunc *Metelino*, Phrygię oppoſita eſt, ab eiusque continenti ſeptem milliaria diſtat, cum dimidio. Prius Antiſſa, Pelaſgia, Macarea, Hemerte, Laſia, Aegyra, & Aethiope alio, atque alio tempore appellabatur teſte Plinio & alijs, ac octo olim vrbibus culta fuit. Eius ambitus traditur alijs 168. milliarium ab aliis verò 130. tantummodo: eius longitudo eſt mill. 70. & latitudo mill. 14. extenditur ab Ortu in Occaſum ſecundum recentiorum obſeruationes, licet Ptol. prodiderit, eam à Meridie in Boream duci. Hæc aũt ubertate, & fructuum bonitate, atque aeris ſalubritate gaudet, & inter reliquas Aegæi magis colitur, & circa medium fertilem habet planitiem, in qua optimum frumentum naſcitur: ſed tam uerſus Ortum, quàm uerſus Occaſum montibus exaſperaſcit cupreſſo, fago, & larice arboribus ueſtiti, ex quo multa materies ad naues conficiendas col-

colligitur: Validi, & robuſti iſthic aluntur equi, licet humiles, & multi fiunt caſei. Vinum profert optimum, quod quidem Conſtantinopoli cęteris præfertur, atque magna ex parte heluoſum eſt. Marmor hic etiam habetur, quod tamen Pario marmore liuidius eſt, & Achates gemma reperitur. Duos habet portus ſatis commodos, & Turca hic claſſem continuo tenet.

MYTILENE urbs, nunc *Metelino*, totius inſulæ primaria eſt, quæ arcem habet, & agrum iucundum, ac fertilem, olimque inſignis fuit, & ſplendidis incolis, ac ædificijs ornata, quæ nunc maiori ex parte collapſa eſt, perdurante adhuc arce. Eſt autem natura, ac ſitu egregiè munita, cum ſint in peninſula. Mytilene vrbs.

Eius incolæ hodie Turcæ ſunt, ſed qui rura inhabitant, & uineta colunt, omnes ferè Græci ſunt. Turcę. Græci.

CHIOS INS.

Chios inſ. vnde ducat originem. Chione. Alia Chios nomina.

CHIOS inſula nobiliſsima inter Samum, & Lesbum inſulas iacet, quam ſic uocatam uolunt de nomine cuiuſdam Nimphæ, quæ ob inſignem candorem CHIONE nuncupabatur: olim uerò Aetalia, Aethale, Macris, & Pityuſa dicebatur: nunc autem uulgò *Chio*, uel *Scio*, Turcicè *Saches*, & Perſicè *Seghex*. Diſtat à Ionia minoris Aſiæ regione freto maris, quod 10. milliaria iuxta antiquos complectitur, nullis ſcopulis referto: at recentiores ſcribunt tantummodo quatuor. Circumnauigationem habet 124. milliariorum, uel ut alij dicunt 120. eſtq; magis longa, quàm lata, cuius longitudo à meridie in Septentrionem porrigitur. Eſt autem tota hæc inſula montibus, & collibus occupata ad Occaſum præcipuè, & Septentrionem, ac arboribus referta multisque torrentib. irrigata, atque olim adeò frugum copioſa fuit, ut horreum populi Romani dici meruerit. Longitudo Chios. Horreum Rom.

In duas autem partes eſſe diuiſam à modernis comperio, nempe in SVPERIOREM, quæ *Apanomera*, uoce Græca dicitur, ac ad Occaſum, & Boream iacet, & in INFERIOREM *Catomerea* uocatam alteri oppoſitam. *Apanomera* montibus aſpera eſt, ut diximus, & arboribus conſita, uallibus umbroſis intermixtis, & æquis irriguis, & in hac quidem permulti ſunt pagi, ac oppida tum in ipſis montibus, tum etiam in uallibus. *Catomereæ* uerò colles potius quàm montes habet, in quibus lentiſci arbores mira induſtria, ac diligentia coluntur, ex quibus maſtix gumma colligitur toti Europæ ſubminiſtrata, quæ incolis prouentum circiter uiginti millium aureorum reddit. Diuiſio Chios. Apanomera Catomerea. Apanomerę qualitas.

Namque hodie ſola hęc inſula maſticen mittit. Optimum uinum iſthic, prouenit, ſed præcipuum eſt Aruiſium (Maluaſia hodie) inter laudatiſſima, à Plin. connumeratũ, & inter cætera uina Græca præſtantiſsimũ, quod Vinum Aruiſium.

in

Aruisius locus.

in Aruisio aspero, ac importuoso loco trecentorum stadiorum spatio nascitur hocq; uinum hinc primum translatum ferunt in Cretam insulam.

Chia ficus.

Chia ficus saporis acuitate antiquis commendata est, quæ seriolis, seu fictilibus condebatur, & in his Romam aduchebatur.

Marmor Chinus. Mons Pelenæus. Terra Chia.

Marmor Chium laudatur à Plinio quod in Pellenæo præcelso omnium monte ceditur, & Chia terra etiam famosa est, cuius usum Plinius docet hanc hodie uirentem esse testatur Bellonius, & æruginis æris colorem admodum referre, attamen ueterum terram Chiam non esse putat, sed Vitruuij Theodotion. Carchedonius lapis isthic testè Theophrasto reperitur, sed nigrior est, quo fiunt vascula. Sunt in hac insula 36. circiter oppida, & vrbs CHIA primaria est, quæ olim in montis uertice iacebat, sed hodie iuxta littus ad montis radices translata est Orienti exposita, & *Natoliam* spectant, optimum habet portum (licet angustum) ac satis commodum pro triremibus, alijsque generibus nauium minorum, & lembis: maiore uerò naues anchoras in ipso canali figunt, nec portũ ingredientur. Nauale olim habebat octoginta nauium, nam Chij antiquitus classem habuerunt, & maris imperium, ac libertatem sibi uendicauerunt. Agri urbis fertilissimi sunt, ac omnibus fructibus abundantes.

Carchedonius lapis. Oppida huius insulæ. Chia vrbs insulæ primatia.

Agri quarum incolarum mores.

Incolæ humanissimi sunt, & magna ex parte Latino more uiuunt: nam maior pars est Italorum Genuensium, quibus Insula donata fuit ab Andronico Palæologo Imperatore Constantinopolitano, qui adhuc Italicè loquuntur, & Italorum more uestiuntur: Sunt tamen multi Græci, & Turcæ permixti, qui omnes propriam colunt religionem, & proprio idiomate loquuntur. Fœminæ suauissimis moribus, & eleganti forma præditæ sunt, atque etiam olim celebratæ fuerunt pulchritudinis. Fuit autem præteritis annis ipsa insula Turcæ tributaria, eique in singulos annos duodena aureorum Ducatorum mllia pendebat, cuius dominium tenuit Iustiniana familia patritia Genuensis, à qua gubernata fuit ad annum usque 1565. quo Selinus secundus eam sibi fraudulenter subiugauit. Ferunt in hac insula esse Homero Sepulchrum in oppido peruetusto supra montem D. Heliæ sito ad occiduam insulæ partem, sed alij id alibi esse contendunt.

Psyra insula.

Ab occidua huius Insulæ Chios parte iacet PSYRA insula exigua, quæ hodie *Psara* vocatur, & onagros, seu asinos syluestres alit ab his, quæ in campestribus Assyriæ reperiuntur diuersos, & alium aerem non ferentes, namque aliò transuecti pereunt.

SAMOS

SAMOS INS.

Samos insula.

SAMOS Insula clarissima olim inter Icariam insul. & ora Asiæ interiacet, à qua quinque tantum milliaribus abest. Prius Dryusa, & Anathemusa, & Melãphylas, & Cyparissia, & Stephane appellata fuit, & hodie etiam *Samo* vocatur. Hæc Iunoni quondam sacrata fuit: in Ortum, ac Occasum porrigitur 80. milliarium circumnauigatione, uel ut alii dicunt 87. Feracissima præterea est omnium frugum, & Oliuis fœcundissima, sed uino tamen infœlix est, quod notatu dignum est, cum cęteræ circunuicinæ uino abundent optimo. Olim incolis frequens fuit, & hospitibus celebrata, ac in ea SAMIA urbs florebat, quæ ad Austrum iacebat cum optimo portu ac nauali: hodie uerò, ut testatum reliquit Bellonius, pyratarum metu deserta penè relicta est, ut ne pagus quidem unicus supersit, eamque ob causam nulla pecora in ea aluntur. Isthic olim labyrinthum fuisse testantur auctores, atque ex ea uasa educebantur fictilia, quæ à loco Samia uocabantur, quæ in esculentis laudatissima fuerunt. Hinc orti fuerunt Pythagoras summus Philosophus, Sybilla Samia, & Polycrates fortunatissimus tyrannus. Insulæ pars Septentrioni, & Occidenti obiecta celsissimum, præruptumque (ut ait Bellonius) & sumptuosum habet montem, qui olim Cercesius dictus fuit, suntque eius scopuli penè inaccessibiles. Prælatarum verò arborum nemoribus insula hæc abundat, è quibus breui temporis spatio pyratæ naues sibi fabricare possunt ad prædas in mari agendum.

Dryusa. Anthemusa. Melamphylas. Cyparissia. Eius qualitas.

Samia vrbes

Vasa Samia

scopulorũ mons. Mons Cercesius.

ICARIA INS.

Icaria Ins. Nicaria.

ICARIA nũc *Nicaria* exigua est insula ad Occasum insulæ Sami posita, quæ minimè lata est, sed in longitudinẽ protenditur, cuius circuitus est circiter 37. mill. Prius Doliche, & Macris, & Ichthiesa uocabatur, necnon etiã Pergamum nuncupatam fuisse antequam isthic Icarus in mari submergeretur, Pausanias testatur. Ab hac autem vicinum Pelagus Icarium denominatur. Abundat hæc insula ouibus imprimis, è quibus ingens caseorum quantitas conficitur. namque egregia habet pascua, & frumentum etiam copiosè mittit. Portus non habet, sed tamen satis commodas stationes, atque nisi à Pyratis infestaretur longè melius coleretur.

Antiqua Icariæ nomina.

Icarium pelagus.

Interiacent autem Icariam, & Samum scopuli quidam asperrimi, modo *Fornaces* vocati, & olim Melanthij, qui nautis omnibus celebres, ac metuendi maximè sunt, præsertim nocturno tempore.

Scopuli qui fornaces modo vocantur.

PATMOS INS.

Patmos inſ.

Palmoſa.

PATMOS non magna eſt inſula, quæ triginta milliaribus ambitu ſuo non excedit, & adhuc ſic vocatur Nigro teſte, ſed Sophianus, & Bellonius aſſerunt eam *Palmoſam* hodie nominari. Sita autem eſt infra Icariam, & Samum, ac tota tritici ferax eſt, & omni leguminum genere abundat. Portum habet ſatis capacem pro paronibus, triremibus, & minoribus nauigijs. Incolæ Græci ſunt Chriſtiani, ſed magiſtratus, & vrbium Præfecti Turcæ ſunt. In hac inſula Diuus Ioannes Euangeliſta relegatus fuit à Domitiano, ibique Apocalypſim compoſuit. Scribit Bellonius in ea eſſe Monaſterium Caloierorum Græcorum, in quo cadaueris manus oſtenditur, cui ungues ſuccreſcunt, tametſi fuerint reſectæ, quam D. Ioannis manum Græci eſſe affirmat: at contra Turcæ eſſe manum alicuius ex ipſorum prophetis iactant.

ILERON INSVLA, nunc Lero.

Ileron inſ. Lero.

LERON, ſeu Leua inſula nunc *Lero* exigua eſt, cuius ambitus eſt tantummodo 18. milliarium: Hæc habet ueteres quaſdam arces collibus impoſitas, atque probè à Turcis, & Græcis excolitur. Abundat autem ligno Aloes.

CLAROS INSVLA nunc Calamo.

Claros inſ. Calamo.

LAROS inſula non longè infra Ileron ponitur, quæ nunc *Calamo*, Nigro, & Sophiano dicitur. Sinoſa autem eſt, & quadraginta milliaribus in ambitu patens, in qua ſunt montes altiſſimi, in quorum uertice Epheſus urbs continentis Aſiæ, quæ octuaginta milliaribus diſtat, proſpici poteſt.

COVS

COVS INS.

Cous inſ. Meropes. Caria. Nymphæa. Lango. Stancora.

COVS, uel Cos, ſeu Coa inſula eſt nobiliſſima 70. milliaribus in ambitu occupans, quam olim Meropen, & Cariam, & Nymphæam uocatam teſtantur Scriptores. Nunc autem *Lango*, ut Nigro, ac aliis placet, uocatur: ſed Turcicè dicitur *Stancora*. Eſt autem tota ferè plana, præterquam ad Ortum, ubi montibus occupatur, à quibus amnes in ſubiectam planiciem delabuntur, qui eam fertilem ualdè reddunt: imprimis autem uino optimo celebris eſt, quo ſatis ſuperque abundat: naſcuntur in ea cupreſsi, terrebynthi, fraxini, & quercus. Vrbem habet cum arce eiuſdem nominis, quæ à ſolis Turcis habitatur; atque in uniuerſa ipſa inſula duo tantum pagi reperiuntur à Græcis habitati. Fuit autem Hippocratis Medicorum principis patria, ac etiam Apellis egregii Pictoris.

Inſulæ Pagi quot.

CARPATHOS INS.

Carpathos inſ. Scarpanto. Doris regio

CARPATHOS inſula hodie *Scarpanto* inter Rhodum & Cretam poſita non longè eſt à Doride regione minoris Aſiæ, cuius circuitus eſt 60. milliarium, uel ut alii dicunt 70. Eiuſque longitudo ab Ortu in Occaſum extenditur: ab hac autem uicinum mare CARPATHIVM denominatur. Eſtque ardua ſublimisque montibus, ac in ea marmoris lapidicina adinuenitur, olim quaternis urbibus prædita erat, ob idque Tetrapolis nuncupabatur.

Mare Carpathium.

Tetrapolis.

CASOS INS.

Caſos inſ.

CASOS inſula Ache olim, & *Caſſio* nunc ad Occaſum eſt inſula Carpathos, & ambitu tantummodo nouem milliarium patet: mel præſtantiſsimum gignit, ac urbem olim habuit, eiuſdem nomina circa quam complures aliæ patent inſulę Caſsiorum cognomine.

RHODVS INS.

Rhodus inſ.

RHODVS inſ. nobiliſſima, & pulcherrima à qua vicinum mare nomen ſumit, Ophiuſa ante, Aſteria, Aethræa, Trinachia, Corymbia, Pœeſſa, Atabyria, deinde Macaria atque etiam Coloſſa à famoſiſsimo illo coloſſo, de quo poſtea dicemus, appellata fuit. Abeſt autem ab Aſiæ continenti 20. milliaribus, & ampla eſt milliaribus 140. uel 125. vt alij aſſeuerunt, & in mari natam fuiſſe Scriptores teſtantur. Olim vero fuit Deo Soli ſacrata, atque diuitiis, naualisque rei gloria inter cæteras maris inſulas principatum quondam obtinuiſſe legitur. Eſt autem

Rhodi nomina priſca

Rhodi qualitas.

temperatiſsimo, ac clementiſsimo cœlo, ubi nunquam eſſe ita nubilum acrem contingit, quin Sol illa die aliquantiſper ſplendeat; fertiliſsimo eſt agro, ac paſcuis præſertim mirè lætatur, fructiferisque arboribus affluit, quarum multæ perpetuò uirentes ſunt: inundationibus attamen aliquoties fuit obnoxia.

Rhodos vrbs.

VNicam nunc habet urbem munitiſsimam, quæ unà cum inſula RHODOS nunc, ſicut olim uocatur: hæc uerò ad Ortum Solis expoſita eſt, partim in accliui cole, partim iuxta maris littus, quæ in gremio ſui portum recipit nobiliſsimum, ac tutiſsimum, atque muris duplicibus, altiſsimis turribus treſdecim, arcibus quinque, ac aliis propugnaculis munita exornataque admodum eſt.

Ipſa olim & inſulæ opportunitate, & operum nobilitate, & nauigandi ſolertia, & naualibus uictorijs inclyta fuit, & longè quidem magis quàm ſuperiori ſæculo ſub militibus D. Ioannis Baptiſtę, & quã hodie ſub Turcis. Nam poſtquam Chriſtiani Dominium terræ Sanctæ amiſerunt, fuit hæc urbs unà cum uniuerſa inſula militibus ipſis D. Ioannis ab Imperatore Conſtantinopolitano anno 1308. conceſſa. Qui adeò potentia creuerunt, ut Turcis, & pyratis ſæpius terrori fuerint.

Verumtamen anno 1522. urbem ipſam toties fruſtra à Turcis petitam, & obſeſſam tandem Solimanus per uim cœpit, ac proinde totam obtinuit inſulam, migrantibus tamen abſque ulla noxia Rhodienſibus militibus, qui in bello illo cruento ſuperſtites fuerunt, in Melitam inſulam ex fœdere cum Turcis inito.

Incolunt igitur nunc ipſam urbem Turcæ, ac etiam Iudæi permulti, qui iſthic ex Hiſpania commigrarunt, ſed Chriſtiani noctu in urbe permanere non poſſunt ob ſeditionis, ac proditionis metum. interdiu tamen commorantur in ea ad habitum.

Aſſerit etiam Bellonius, omnia equitum Rhodiorum ædificia integra adhuc à Turcis conſeruari illęſis inſignibus, picturis, ſculpturis, ac inſcriptionibus omnibus, ſimiliter quoque mœnia in eodem adhuc ſtatu permanere; quo fuerunt cum à Turcis capta fuit.

Cæterum qui pagos incolunt maiori ex parte Græci Chriſtiani ſunt, qui

qui vineta, agros, ac hortos elegantiſsimos colunt omnibus fructuum generibus conſitos. Fuit olim in hac inſula famoſiſsimus, ac magnitudine admirandus ſolis Coloſſus ex ære fabrefactus, qui inter ſeptem mundi admirabilia recenſetur, cuius polex manus adeò magnus erat, ut nemo brachijs eum amplexare potuerit, eius altitudo traditur à Scriptoribus 70. cubitorum, qui terræmotu fractis genibus collapſus eſt, quem poſtea Ægyptij in inſulam hanc transfretantes demoliti ſunt: ex cuius ære 900. camelos oneratos fuiſſe dicunt.

Sunt aliæ paruæ inſulæ, ac ſcopuli in Lycio ac Pamphylio mari inter Rhodum, ac Cyprum inſulas, quæ nihil memoratu dignum habent.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXVII.

MOSCOVIAE IMPERII DESCRIPTIO.

VNiuersum MOSCOVIÆ Imperium longè, lateque extenditur, atque totam nunc occupat Russiam, Polonia, & Lithuania exceptis, quæ sub Russiæ etiam nomine comprehenduntur. Incidit autem in Europa partim, & partim quoque in Asia, quam discretionem Tanais fluuius, vulgò *Don*, Europæ, & Asiæ limes, qui regionem hanc præterlabitur, efficit; & terminatur quidem à Septentrione mari glaciali: ab Oriente in Meridiem reflectendo Tartaros attingit: à Meridie Lithuanos finitimos habet: ab Occidente vero Liuoniam contingit, atque etiam Finlandiam regionem *Polna* fluuio diuisam, quæ ad Sueciæ Regem spectat. Nomen sortitur à regione illa in meditullio Russiæ Albæ ad Septantrionem, Orientemque exporrecta, quæ proprio, & peculiari nomine MOSCOVIA nuncupatur, & caput, ac Metropolis est cæterarum regionum, & ciuitatum Moscouiæ Duci subiectarum. Russiæ autem pars Moscorum Duci subiecta *Alba Russia* dicitur: quæ verò Polonorum Regi subest *Nigra Russia*; quamuis, & Poloniæ Rex Albæ Russiæ partem possideat.

Moscouiæ Imperij amplitudo.

Moscorum Imperij fines.

Moscouiæ Imperij nomen vnde.

Russia Alba, & Nigra

Situs cœlestis Mosco.

Situm est autem Moscouiæ Regnum inter parallelum 19. gradus 52. latitudinis, & parallellum 43. qui est gr. 66. latitudinis; hoc est iacet inter octaui climatis medium, & uigesimi climatis medium; atque incidit inter Tropicum cancri, & circulum Arcticum. Vnde isthic maxima accidit varietas in diei longissimi æstatis quantitate: Nam in Meridionalissimo Moscouiæ parallelo maxima dies est horarum 16. cum dimidia, & in Septentrionalissimo, qui nõ longè à Tropico cancri incidit, est horarum 22. cum dimidia.

Regionis qualitas.

Est autem hæc regio in vniuersum paludosa, lutosa, humida, ac parum fertilis ob immoderatam, & asperam aeris temperiem, ob agrumque arenosum. Vnde segetes aspertimo frigore diuturnæ hyemis rarò maturescunt, ideoque in hypocaustis manipulos desiccant: frumento tamen, oleribusque communibus abundat: vitem non producit, neque oleam, & cerasis, ac nucibus, præterquam auellanis caret: aliorum generum fructus profert, uerum insuaues. Est uerò in superiori eius parte nemorosa, syluisq; immensis obsita, quarum arbores celsissimæ, ac densissimæ sunt, quæ quidem sunt Hercinæ syluæ partes: in eis autem mirum in modum fera

Vites, & oleæ isthic non proueniunt.

Animalia fera, quæ isthic reperiuntur.

animalia maiora, ac optima uenantur, qualia sunt uri, alces, cerui, ursi, lupi, & lepores præsertim, ac alia huiusmodi, quorum pelles in uarias Europæ uehunt regiones, inter quas nonnullæ preciosissimæ sunt, caroque uenduntur precio. Parua habet pecora, & longè nostris minora: abundat a-

Apium maxima copia.

pibus, quę non in aluearijs solummodo manu factis mella congregant; sed & nemorũ arbores cauas melle replent; Vnde præcipuum questum ex cera, & melle faciunt incolæ. Nobile quoque linum, & canabis in restes ex Moscouia in omnem Europæ partem aduehitur. Nulla auri, argenti,

Mira cęli salubritas in hac parte.

uel alterius metalli uena ferro excepto in hac regione reperitur. Prætera Regionis huiusce cœlum adeò salubre est, ut ibi ultra Tanais fontes Septẽtrionem, & Orientem uersus nulla umquam pestis sæuiat; etsi mor-

Calor morbus Moscorum.

bum haud dissimilem habeant *Calorem* ab ipsis uocatum, qui intestina, & caput infestat adeò, ut paucis diebus pereant.

Fluuij huius tractus.

Regio porrò hæc undique ferè ab innumeris fluuijs irrigatur, inter quos multi egregij, ac memorabiles sunt, tum nauigatione, ac magnitudine sua, tum etiam piscium copia, quibus affluunt.

Horum præcipue, qui uel isthic ortum ducunt, uel regionem ipsam præterlabuntur sunt Borysthenes, Turuntus, seu Duina, Rha, seu Volga, Tanais, & Occa.

Borysthenes flu.

BORYSTHENES, nunc vulgò *Dnieper*, vel *Nieper*, & *Nester*, vel *Dnester* appellatur, qui licet Herodoti sæculo ignotos habuerit fontes, nihilominus constat hodie eum propè *Dnieperko* Moscouiæ pagum oriri in sylua *Vuolkonzki*; hic autem versus Meridiem incedendo *Smolensko* primo oppidum, deinde *Kiouian*, ac alias vrbes, & oppida alluẽs multis subinde amnibus adauctus in Euxinum pontum exoneratur.

Turuntus, seu Duina.

TVRVNTVS Ptol. nunc *Duina*, & Suidum Herbestenium *Rubo* exoritur à lacu Duina, non longè à fontibus Borysthenis in eademmet sylua, & Rigam Liuoniæ alluens ad mare Balthicum aquas mittit, de quo in Liuoniæ descriptione diximus.

Rha, seu Volga.

RHA Ptol. nunc *Volga*, & *Edil* ortum habet à lacu eiusdem nominis qui 25. milli. à Moscouia abest versus Lithuaniam. Fluuius 15. longo cursu & multis flexibus, ac giris incedens multosque fluuios in se recipiens, in mare Caspium 70. plus minus ostijs exoneratur non longè ab vrbe *Citracham*.

Tanais, seu Don.

TANAIS hodie Italis *Tana*, & incolis *Don* fluuius est famosissimus, qui Europam ab Asia disterminat: oritur autem non ex Riphæis montibus, vt quidam falsò putarunt, sed in sylua quadam ex lacu ingenti non longè à *Tulla* vrbe sito, à quo etiam lacu *Scat* fluuius magnus in Occidentem discurrens, & in *Occam* confluens emergit.

Tanais igitur fluuius ex Moscouia fluens longo tractu primum incedens in Meridiem reflectitur, & Paludes efficit, quas Męotidis uocant. Abundat verò optimorum piscium copia, & amęnissimas habet ripas herbidas, & radicibus suauissimis, ac arboribus fructiferis ad instar horti consitas, vbi mira ferarum copia.

Tradit

Tradit Herbestenius, fluuium hunc autumno solum quando pluuijs augetur, aquis tantum abundare, vt oneratas naues ferre queat. Ab huius fluuij fontibus usque ad eius ostia terrestri recto itinere computantur 80. Germanica ferè milliaria, sed multo plura sunt sequendo fluminis tortuo sitates, ac flexuras.

Occa flu.

OCCA fluuius exoritur in *Mscenecx* prouincia, quam in formam semicirculi claudit, & multa oppida præterlabens tandem infra Nouogardiam inferiorem *Volgam* ingreditur: Campos autem quos alluit, fertiles reddit, & nobilissimus in primis est piscium copia, qui cæteris Moscouiæ præferuntur. Sunt præterea isthic multi lacus, quorum nonnulli amplissimi sunt: nam præter *Volgam*, *Duniam*, & alios, à quo prædicti

Ilmen lacus

emanant fluuii, est ILMEN lacus, Ruthenis *Ilmer*, supra Nouogardiam magnam, cuius longitudo est duodecim milliar. Germanicorum, & latitudo octo.

Ladoga lacus.

Deinde LADOGA lacus, cuius latit. est 60. mill. & longitudo centum, in quo pleræq; sunt insulæ dispersæ. & LACVS ALBVS, incolis *Bieloyesero*, qui 12. mill. in longitudinem, & totidem in latitudinẽ protenditur, in quẽ 360. fluuij exonerantur, non longè à quo lacus est sulphur proferens.

Lacus albus

Moscorum conditio, & mores.

Moscouitę, ut plurimum sunt robusti, & celeres, statura potiuntur mediocri, at quadrata & torosa valdè: cęsios oculos, prolixam barba, crura breuia, & uentrẽ extensum habẽt: tunicas oblongas sine plicis ad talos demissas manicis strictioribus Hungarorum ferè more gestant, præcipuè autem lazurini, vel albi coloris: Ocreas maiori ex parte rubeas, easq; breuiores genua non attingentes, quarum soleas in digitis paululum erectus clauiculis ferreis muniunt: omnes tamen, nunc, & singuli uestes tantummodo suæ conditioni congruentes ex præscripto Ducis inducunt. Illorum arma sunt pharetra sagittis referta, arcus, telum, securis, framea, cæstus, cultelli oblongi, quibus frequenter pro pugionibus utũtur: lanceis etiã utuntur pedites: muniuntur etiam loricis oblongis, thoracibus, & galeis: equis utuntur castratis, & paruis, leuissimis frenis ornatis, equitantque contractis admodum cruribus, & peritissimi, uel auersi, & fugẽtes sagittas emittunt. Qui quamprimum fugam arripiunt, nullam salutem cogitant præter eam, quam ex fuga habere sperant: assecuti, seu apprehensi ab hostibus, nec se defendunt, nec veniam precantur. Præterea miseram ducunt uitam tùm cibo, tum potu, aquam enim, ceruisiam, & medonem bibunt, omnisque potus inebrians illis prohibetur graui mulcta, quòd bibacissima gens sit: nec nisi bis, aut ter in anno illos inebriari est concessum.

Moscorum arma.

Moscouitæ tyrannide, & misera seruitute opprimuntur.

Miserrima quoque seruitute, & tyrannide opprimantur; nobiles enim, & magnates à magno Duce, plebei uero, & coloni à nobilibus grauissimè premuntur: id uerò à natura ipsa inditum habent, vt contumeliis uariis se inuicem afficiant, mutuisque conuitijs sese lacessere studeant, ac qualibet de causa sese iustè, uel iniustè accusent: interdum etiam res proprias unus in alterius domum clam imponit, quò eadem ab ipso sibi sublatas suspicetur, atque à principe, uel iudicibus condemnetur.

Moscorum vitia.

Sunt

Sunt Barbari, & perfidi, vt nihil synceri apud eos sit, nec se vnquam verò, ac naturali amore prosequuntur, imò nec apud eos vlla fides, ac sanguinis reuerentia datur. Nam pater in filium insultat, filius in patrem, & matrem irruit. Sunt etiam astuti, & fallacissimi fluxa in primis in contractibus fide, cuius rei ipsimet conscij sunt, dum sese non Moscouitas esse, sed aduenas insimulant, quo maiorem fidem obtineant, quando cum exteris commercia tractant. Apud hos etiam omnis iustitia venalis est, ac ferè palam; nec pauperibus patet aditus ad principem, sed ad ipsos tantum consiliarios, idque difficillimè; quinimò nec sine difficultate, ac labore pauperes, & ignoti ad uulgares nobiles accedere possunt: qui uel hoc nomine rarius in publicum prodeunt, quò maiorem auctoritatem, suique obseruantiam acquirant.

Moschi infideles.

Iustitia apud Moscos venalis.

Gentes Moscouiticæ, & Ruthenæ ritum religionis Græcorum susceperunt anno Domini 987. uel ut alij scribunt anno 942. cum prius Gentilium Deos colerent, in ea ad hunc usque diem unanimiter, constanterque perseuerant, quamuis temporis successu multas illi addiderint superstitiones Metropolitæ Ruthenorum authoritatem à Patriarcha Constantinopolitano habent, neque amplius Episcoporum, ac totius ordinis spiritualis consensu, & suffragijs Metropolitæ ipsi eliguntur; sed duntaxat autoritatem hanc magnus Dux Moscouiæ sibi asciuit, qui proprio tantum iudicio metropolitam in Moscouia constituit. Archiepiscopi in toto Imperio Moscouitico sunt duo. Vnus NOVOGVARDIÆ magnæ, alter ROSTOVIAE, Episcopi autem multi sunt, ut *Permiensis, Susdaliensis, Tuuerensis, Columniensis, Cernigouiensis, Rezanensis, Plesouiensis*, &c. Gloriantur Rutheni se solos cum Græcis Christianos ueros esse, Romanos verò, ac alios Christianos damnant, & execrantur tanquam primitiuæ Ecclesiæ desertores, & septem sanctarum Synodorum præuaricatores. Illirica lingua, & literis sicut Sclaui, Dalmatę, Poloni, & Lithuani utuntur, ac illorum sacra Sclauonica lingua peragunt, intermixtis etiam aliquando cantionibus Græcis, Epistola, & Euangelio. Iudæorum genus, uel memoria quidem horrent, nec eos intra fines admittunt. Putant grande esse nefas, morteque piandum, qui vitulum mactarit, & eo uesci ausus fuerit.

Moscouitæ Græcorum sectam sequuntur.

Status Moscouiæ Ecclesiasticus.

Moscouitæ Illyricum habent idioma.

PROVINCIA particularis, seu DVCATVS MOSCOVIÆ positus est inter *Græcoleuantem*, & *Tramontanam*, longeque, ac latè extenditur. Complectitur enim ab Occasu ad Ortum milliaria circiter Germanica 600. In hoc Ducatu sunt 5000. *Boiari*, seu nobiles equestres, qui semper occasione belli parati sunt iuxta uelle principis, quibus nulla ipse Princeps stipendia largitur; sed agros illis exiguo precio elocat, quo beneficio operam militum demeretur. Ex hoc autem Ducatu conscribere potest magnus Dux 60000. uel 70000. pedestres milites: in expeditione autem bellica conscripti omnes milites coram magno Duce singuli comparent, ac unusquisque ipsorum unicum dat principi nummum uulgò *Denga* uocatum. Reuersi autem ex bello, nummismata illa à principe redimunt: qui quidem ex numismatis retentis occisorum numerum agnoscit.

Moscouiæ Ducatus.

Militum numerus in hoc Ducatu

Porrò

Porrò hæc prouincia tàm ualido clauditur præsidio, ut ne dum aduenæ, captiui, aut serui, uerum etiam nec indigenæ absque literis, & Ducis licentia egredi possunt.

Huius Ducatus imo totius Russiæ albæ magno Duci subiectæ caput, & metropolis est maxima ciuitas, MOSCOVIA, & uulgò *Moskuua*, quæ unà cum regione nomen sortitur à fluuio *Moskuua* eam præterlabente, qui in Triuerensi prouincia non longe à *Mosaiſko* oppido exoritur. Arx magna, Ducis, & palatium in loco plano, & urbis meditullio sita est septemdecim turribus, tribusque propugnaculis munita, ubi ipse magnus Dux cum suis satellitibus uigintiquinque ferè millibus numero morantur. Ipsa uerò urbs lignea ferè omnia habet ædificia, & lutosa, admodumque ampla est, nec ullo certo termino contenta, neque muro, fossa, propugnaculisue commodè munita ædes complectitur 41500. & plateas habet multas, sed dispersas latissimi campi interiacent. Longissimus dies in solstitio æstiuali est in ciuitate MOSCOVIÆ 18. propè horarum, qui in tota Moscouiæ regione parum uariat. Sunt autem cæteræ prouinciæ, & principatus, quibus amplissimus hic Ducatus partim iusta successione: partim ui, uel fraude adauctus est, hæ sequentes.

Moscouia vrbs.

Regiones quę Moscouię Ducatui acceſſerunt.

VOLODIMERIA.

VOLODIMERIAE Ducatus, cuius titulum magnus Dux sibi uendicat, habet ciuitatem magnam eiusdem nominis cum castro è ligno fabrefacto. Distat Ortum uersus à Moscouia urbs 36. milliaribus Polonicis. Ager adeò fertilis est, ut ex una tritici mensura sæpe 20. & interdum 25. proueniant.

Volodimerię Ducatus

VOLODIMERIA urbs totius Russiæ metropolis à tempore suę ædificationis usque ad tempora Ioannis filij Danielis Magni Moscouiæ Ducis, qui inde sedem Ducalem in Moscouiam transtulit.

Volodimeria vrbs.

NOVOGARDIA INFERIOR.

NOVOGARDIA inferior Ducatus est fertilitate minimè Volodimeriæ cedens, in quo est ampla ciuitas ex ligno fabrefacta. *Nouograd*, seu *Nouogardia inferior* nuncupata, quæ centum milliaribus Polonicis à Moscouia distat.

Nouogrod vrbs.

RHE-

RHEZAN PROVINCIA.

Rheyan qualitas.

RHEZAN prouincia, seu Ducatus inter *Occaim*, & *Tanaim* fluuios sita, cuius titulum Magnus Dux assumit, cæteris omnibus Moscouiæ prouincijs fertilior est; in qua, vt aiunt, singula grana frumenti binas quandoque, pluresue spicas proferunt, quarum culmi tàm densè accrescunt, ut nec equi facilè transire, nec coturnices inde euolare possint. Mellis, piscium, auium ibi magna copia, ferarum quoque, vt sunt aspreoli, hermelli, & castores: arborum fructus longè Moscouiæ fructibus sunt nobiliores, gens audacissima, & belicosissima. In hoc Ducatu sunt fontes fluminis TANAIS, qui in illa parte Asiam ab Europa dirimit, suntque in ipso 15. millia *Boiari*, & equites quoque pedestres conscribi possunt circiter 30. vel 40. mill.

Tanais fontes.

VVOROTINENSIS DVCATVS, & Seuera Prouincia.

Vuorotinẽsis Ducatus. Seuera prouincia.

VOROTINENSIS Ducatus tribus à *Colluga* milliaribus cum ciuitate, & castro eiusdem nominis ad *Occam* fluuium sito distat.

SEVVERA prouincia, seu Ducatus est ingens, & rebus omnibus affluens, atque uastos, & desertos passim campos habet circa *Branki* autem syluam ingentem. Castra, oppidaque in eo sunt complura, inter quæ *Starodub*, *Potiuulo*, *Czernigouu* celebriora sunt. Syluæ hermellis, aspreolis, & martibus, melleque plurimum abundant, *Sem* fluuius regionem hanc perfluit, qui in *Desna* fluuium interlabitur. Gens propter assidua cum Tartaris prælia valdè sunt bellicosa. Duces huius prouinciæ nullum superiorem agnoscebant, sed primo magno Lithuaniæ Duci postea verò Regi Poloniæ, & vltimo tandem magno Moscouiæ Duci, obediebant, qui tandem perfidiæ innocenter accusati à Basilio magno Duce principatu exuti sunt.

Oppida seuerę prouĩ.

SMOLENSKI DVCATVS.

Smolenski Ducatus.

SMOLENSKI Ducatus positus est supra fluuium *Neper*, vel *Deneper*, qui Ptol. est BORISTENES. Hic Ducatus à Basilio Moscorum Duce captus est cum ante sub tutela Regis Poloniæ, & Lithuanorum foret. Præcipua vrb est *Smolensko*, unde nomen sumit, ingens satis & insignis, quæ à Moscouia 80. Milliaribus Polonicis distat, cingiturque collibus undique & syluis vastissimis, ex quibus pellium diuersarum multitudo prouenit.

Smolensko urbs.

MO-

MOSAISKI DVCATVS, & Biela Principatus.

Mosaiski Ducatus.

MOSAISKI Ducatus longitudine extenditur circiter 350. milliaribus Italicis, & totidem secundum latitudinem. Hunc Ioannes prædecessor Basilij Ducis Alexandro Polonorum Regi per vim arripuit.

Biela regio, & urbs.

BIELA, siue *Bielski* principatus Russiæ cum castro, & ciuitate eiusdem nominis ad fluuium *Opska*, in vastis syluis sexaginta milliaribus Germanicis magis in Occidentem à *Moscouia* distat, & à *Smolensko* 36. Dux Moscouiæ huius Ducatus titulo insignitur.

RVSCHOVIA.

Roschouiæ vrbs.

RVSCHOVIENSIS Ducatus habet Ciuitatem *Roschouua* cum castro ex ligno fabrefacta, quæ à Moscouia versus Occasum 23. milliaribus distat, & posita est supra fluuium *Volga* celeberrimum, qui suos habet fontes in lacu *Volga* in hoc Ducatu contento. Huius titulum Moscouiæ Dux sibi vsurpat.

TVVER.

Tuuer regio.

TVVER, siue OTVVER amplissima olim ditio vna ex magis Russiæ principatibus ad *Volgam* fluuium sita est habens ciuitatem, quam *Volga* interfluit TVVERda vocatam, maiorem quidem, & magnificentiorem Moscouia, cuius ab illa interuallum est 36. milliariorum.

Tuuerda vrbs amplissima.

TVVERDÆ autem Ducatus est ex titulis magni Moscouiæ Ducis, & in ipso sunt 40. millia Boiari, ex plebe verò in duplo, vel triplo.

PLESCOVIA.

Plescouia regio.

PLESCOVIA, vel *Pskouia* principatus, cuius habet titulum Moscouiæ Dux, extenditur 330. milliaria Italica, ac tertia ferè parte longior est quàm latior. Huius metropolis est PLESCOVIA, vulgò *Pskouu* cuius magna, ac potens, solaq; in toto Moschi Imperio muro percincta. Erat olim sub ditione Regis Lituaniæ, & Poloniæ antequam à Basilio Moscorum Rege an. Do. 1509. proditione Sacerdotum capta fuisset.

NO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOVOGARDIA MAGNA DVCATVS, Volzka regio, & Corella prouincia.

Nouogrod Ducatus, & vrbs.

NOVOGARDIÆ MAGNÆ Ducatus amplissimus in tota Russia est, qui nomen sumit à nobilissima, & locupletissima ciuitate NOVOGROD cæteras partium Septentrionalium præcellente, magnitudine sua hæc Romam superat, licet ædificia maiori ex parte lignea habeat. Distat autem ciuitas hæc à mare Balthico 200. circiter milliaria, à Moscouia Occidentem Æstiualem uersus milliaria 120. à *Pskouia* 36. à *Iuuanouu Gorod* 40. Fuit autem olim cum toto suo domicilio sub ditione Lithuanorum, & per uim capta fuit à Ioanne Basilij Duce Moscouiæ anno salutis 1477. Est hæc regio multo frigidior ipsa Moscouia, atque perpetua quasi hyeme, & tenebris longissimarum noctium premitur: ibi enim in solstitio æstiuali longissimus dies est 20. propè horarum, & nocturnæ umbræ ferè nullæ: Sol enim non profundè sub horizontem uersus serò crepusculum, mox nulla nocte intermedia diluculum efficit. Est etiam ibidem lacus *Ilmen* in longitudine 18. milliarium Polonorum patens, in latitudine verò duodecim. Gens olim humanissima, ac honestissima erat, nunc proculdubio peste Moscouitica, quam eò commeantes secum inuexerunt, corruptissima est.

Ilmē lacus.

Volzka regio.

VOLZKA, seu VVOTZKA regio inter Occidentem, & Septent. sita est absens à Nouogradia 28. mill. & à sinistra castrum *Iuuanouagrod* relinquens. Hæc regio idioma proprium habet nonnihil à Prusenico differēs, in qua hoc mirandum accidere referunt, animalia scilicet cuiuscunque generis in eam inducta, colorem suum in albedinem permutare.

Corella prouincia.

CORELLA prouincia à Nouogardia 60. mill. Polonicis Septentr. versus distat; proprium habet idioma, incolæ q; propter vicinitatem tū Moscorum Duci, tùm Suuetiæ Regi tributa pendunt. Extenditur autem ad mare vsque glaciale, & habet Solem in æstiuo solstitio horis 20. cum semisse supra terram, vnde tunc nulla nox profunda, sed nectis tempore dubia est lux, seu crepusculina.

BIELOIEZIORO DVCATVS.

Bieleiezioro Ducatus.

BIELEIEZIORO, seu BIOLYSERO Ducatus, & eiusdē nominis ciuitas denominatur à lacu albo, penes quem reperitur, qui 13. mill. tam in longitudine, quàm in latit. extenditur, & 36. fluuios excipit, in quo quidē lacu est arx inexpugnabilis, in qua magnus Dux Thesaurum recondere solet, illicque tempore necessitatis hostibus urgentibus velut ad asylum quoddam confugit. Hic Ducatus est vnus ex titulis magni Ducis Moscouiæ, & abest tam à Moscouia, quàm à Nouogradia magna centum mill. Regio autem tota penè palustrosa, & syluosa est.

Arx ubi thesaurum Moscus recōdit.

VVO-

VVOLOCHDA, ET VSTYVG Prouinciæ.

Vuolochda prouincia.

VOLOCDA prouincia tota palustris, & syluestris est, & olim sub ditione magnę Nouogurdiæ erat, cum autem habeat castrum natura loci firmum, Moscouiæ princeps illic thesauri sui partem reponere solet.

Vstyug.

VSTYVG prouincia olim magnæ Nouogardiæ subiecta erat. In hac est rarus, & propemodum nullus panis vsus, piscibus, & feris pro cibo utuntur, sal ex *Duuina* habent. Omnis generis ferarum pellibus abundant præcipuè vulpinis nigris, Zebellinorum pellibus exceptis, quæ nec multæ, nec adeò bonæ reperiuntur.

IAROSCLAVIÆ DVCATVS, & Rostouu principatus.

Rostauu Ducatus.

IAROSLAVIÆ Ducatus cū ciuitate & castro eiusdem nominis supra fluuium Volgam patet 46. mill. à Moscouia recedens. Hic assignabatur secundo genitis Ducis Moscouię, sed Ioannes Basiliades Moscouiæ Dux redegit eos in seruitutem, & reditus eorum, & titulum habens.

ROSTOVV ex præcipuis, & antiquioribus Russiæ principatibus post Nouogradiam magnā ponitur, assignaturq; secundo genitis Ducis Russiæ, sed huius dominium Moscouiæ Dux tyrannice anno 1565. acquisiuit, cuius etiam titulo decoratur. Soli naturafertilis est, piscibus in primis, ac sale abundans.

DVVINA PROVINCIA.

Duuina prouincia.

DVVINA prouincia sic à fluuio eam præterlabente dicta olim Nouogradēsium ditionis erat, fluuius autem ipse ab *Iug*, & *Suchana* duorum fluuiorum confluxu *Duuinæ* nomen accepit, *Duuina* enim Ruthenicè binos significat. Quamuis igitur hæc regio centum mill. in latitudine pateat; attamen præter *Colmogor* castrum, & *Duuinam* vrbem in meditullio regionis sitam, castrumque *Pinega*, oppidis, & castris caret. Pagos tamen quamplures habere dicitur, qui propter terræ sterilitatem longè, lateque abinuicem distant. Incolæ victum ex piscibus, feris, & ferarum pellibus quærunt, quibus omnis generis abundant. In maritimis huiusce regionis locis vrsos albos, & eos pro maiori parte in mari degentes reperiri dicunt, quorum pelles in Moscouiam sæpius deferuntur. Hinc aduehitur etiam magna salis quantitas in circunuicinas prouincias. Sol illic in æstiuali solstitio perpetuò duabus tantum horis cum dimi-

Duuina flu.

Oppida Duuinæ.

Vrsi albi.

dia

dia exceptis, splendescit, tuncque nox profunda nulla fit, sed crepusculũ; sic etiam tempore solstitij hyemalis Sol tantummodo duabus horis cum dimidia supra terram moratur, longissimaque nox & gelida fit.

SVSDALI PRINCIPATVS.

Susdali regio.

SVSDALI principatus cum eiusdem nominis Castro, & ciuitate sede Episcopali clara, inter *Rostouu*, & *Volodimeriam* ponitur, olimque ex præcipuis principatibus erat, & adiacentium, vrbium metropolis, cum scilicet Moschi Imperij sedes *Volodimeria* erat. Hodie uero à continuis Tartarorum incursionibus depopulatur ferè, cuius tantum vestigia visuntur.

VVIATHKA PROVINCIA.

Volodimeria vrbs.

VVIATHKA prouincia ultra *Kammam* fluuium in Orientem æstiualem centum quinquaginta ferè milliaribus à Moscouia abest. Olim Tartaricæ ditionis erat, sed tartaris expulsis à Basilio Moscouiæ monarca capta fuit, qui etiam Dux *Vuiathkæ* intitulatur. Regio palustris, & sterilis est, seruorum fugitiuorum uelut asylus quidam, melle, feris, piscibus, aspreolisque abundans.

PERMIA PROVINCIA.

Permia.

PERMIA magna, & ampla prouincia distans 250. milliaribus à Moscouia habet urbem eiusdem nominis supra fluuium *Vischoram*, vel *Vistoroiam*, in qua maximus dies æstatis est horarum 18. Incolæ panem non habent, sed tantum carne ceruorum, & aliarum ferarum uescuntur, proprium etiam idioma, & proprios caracteres à Ruthenicis differentes habent: canibus & ceruis, quos in hunc usum magnos habent pro iumentis utuntur, tributi loco equos & pelles quotannis Principi Moscouiæ pendunt.

IVGRA REGIO.

Iuhra, unde de Hungari prodierunt

IVGRA, uel IVHRA, uel IVGARIA regio posita est ad Oceanum Septentrionalem, & ex ipsa olim *Hungari* progressi Pannoniam occuparunt, quam à sui denominatione *Iuhariam Vngariam* nominarunt, Attilaque Duce multas Europæ prouincias debellarunt. Indigenæ pelles pro tributo Principi Moscouię soluunt, linguaq; Vngarica utũtur, & maximũ æstatis diem habent hor. 21. propè.

PET-

PETZORA REGIO.

Petzora.

PETZORA regio longo tractu in Septentrionalem, & Orientalem plagam suos supra mare glaciale fines extendens nomen à fluuio sic dicto sumit, circa quẽ sunt montes, & rupes in altum prominentes, qui cingulus terræ dicuntur, & à ueteribus Riphęi, seu hyperborei, suntque semper niuibus albentes, & tantæ altitudinis, vt in ascendendo quidam 17. dies consumpserit, neque uerticem attingere potuerit: Incolæ simplicissimi sunt proprium habentes idioma, & panem non agnoscentes, & fidem Ruthenicam anno Dom. 1518. susceperũt His Sol tempore solstitij æstiui perpetuò supra terram moratur duabus circiter horis exceptis.

Cingulus terræ. Montes Riphæi.

CZERMESII, ET MORDVA POPVLI.

Czeremissi populi.

ZEREMISSI populi sub Nouogardia in uastis syluis sine ullis ædibus habitant, propriam habentes linguam, Mahumetiq; dogma sequentes: omnes tàm viri, quàm fœminæ sunt cursu velocissimi, necnon etiam sagittarii perfectissimi arcu nunquam è manibus depositο, quò adeò oblectantur, ut etiam filiis cibum non præbeant, nisi præfixum scopum sagitta feriant: ferina carne, & melle magna ex parte victitant, pane rarò utuntur, pellibus uestiunrur, quas etiam pro tributo magno Duci pendunt, namque subiacent *Casane* vrbi iuxta Volgam fluuium positę.

Mordua populi.

MORDVVA populi ad *Vuolgan* sunt infra Nouogardiam inferiorem. His *Czeremessis* in omnibus similes sunt, nisi quod frequentiores domus habent, & idioma proprium.

Septentrionales regiones, quæ tributarię sunt Moschi.

Sunt etiam aliæ regiones, quę magno Duci uectigal soluunt ad Septentrionem sitæ, ut OBDORA, in qua est idolus *Slata baba*, ideſt *Aurea anus* vocatus: CONDORA: CVLOMORIA: & LOPPIA, de qua nonnihil dictum fuit in descriptione Regionum Septentrionalium, necnon etiam Hordæ aliquot Tartarorum, utpote Horda Casanensis, vrbs Astracham, seu Citracham. Hordæ Nohaicensium, & aliæ, de quibus in Tartariæ descriptione pertractabimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca


TARTARIAE IMPERIVM
TARTARIAE
Scythia hactenus ignota, per hodiernos uiatores, seruos fugitiuos, captosq; erudelis, ac humano generi infestos.
AMERICAE VEL NOVI ORBIS PARS.
OCEANVS SEPTENTRIONALIS
OCEANVS SCYTHICVS
OCEANVS ORIENTALIS
OCCIDENS.
MERIDIES.
EVROPAE PARS.
INDIAE PARS.
REGNVM PERSIAE
TARTARI EVROPAI, hac ætate campos, Ponti Euxini et Paludis mœotidis occupant, ac totum Sarmatiæ Asiaticæ tractum inhabitant, ac Moscouiam inuadunt.
Stretto di Anian
Mar de Cin
Mar de Bacchu
Mar Maggiore
Duca Moscouiæ Confinia
Obdora
Condora
Pecora
Zuira
Geor. grani.
Astraca
Volga fl. ol Rha
Tartaria Del Sambuchi
Desertum Apathachi
Zagatai
Samp. Bondy
Desertum Solthaniæ
Chiorsa
Caracotam deserta
Tabbr Reg.
Turchestan R.
Chasbi
Tacciistan
Cap. Caucasus
Mangi
Nanqui
Cathaio
Chilminia
Meridies
Iapan
Bungo
Quinci
Zaitum
Cingui
Pekin
Ariaria
Pacifico
Mare del Zur
Cap. del Engano
Cap. de Corrientes
Cap. de S. Lucas
Cap. Mendocino
Cap. Blanco
Cap. Fortuna
Cap. del Engaño
Cap. de Buena Esperanza
Cap. de Bona Speranza
Cap. de Corrientes
Cap. de S. Augustino
Cap. de S. Vincente
Cap. Verde
Cap. de Bona Speranza
Cap. de Buena Esperan

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tartarorũ dominium quando cœperit.

annum Domini 1187. uel vt alij scribunt 1162. electo in eorum Rege *Cinglzis* (hic ab alijs *Chinchis*, vel *Changius* dicitur) homo sortis humilis; cum prius hæ gentes sine moribus, sine lege, sine vllo vitæ cultu in campestri regione *Caracoram* inhabitassent, armenta tantummodo depascentes, & tributa Regi *Vncham*, seu Presbytero Ioanni persoluentes, qui sanè in *Tenduch* prouincia, & in Regno *Argon*, tunc temporis dominatus fuerat. Hic vero Rex *Chinchis* in primis dicti Regis *Vncham* regnum subiugauit, deinde plures circunuicinas prouincias inuasit, & depręd atus. Cumque anno Do. 1211. ingens cõspectus fuisset Cometes mense Maio octodecim diebus perdurans, & supra Gothos, seu Poloucos, Tanaim, ac Russiam giraus, caudamque in Occasum porrigens, aduentum Tartarorum significare videbatur. Vnde sequenti anno gentes illæ cuius nomen antea in Europa auditum non erat, de submontibus Indiæ confluxisque pluribus nationibus Septentrionis ad Poloucos venerunt, & totam occuparunt Sarmatiam Asiaticam, seu Scythicam: deinde verò Russiam, Hungariam, Poloniam, & alias prouincias Europæ afflixerunt, & diuersimodè vastarunt cum immensa Christianorum strage. Occuparunt præter hæc Chinæ regnum amplissimum, quod Marco Polo *Mangi* prouincia est: deinde regnum *Mein*, & regnum *Bengalæ*. Vnde Tartarorum Imperium magnopere dilatatum fuit.

Tartarorũ prima irruptio in Europam.

Tartariæ vniuersæ qualitas.

De qualitate autem regionis Tartarorum quidam sic scribit. Regio Tartarorum plurimum montosa: vbi campestris est admixta glarea aerenosa est: sterilis nisi aquis fluuialibus, quæ tamen rarissimę sunt, irrigetur: & ob hanc causam multum deserta, & infrequens est: lignorum in plerisque locis adeò inops, vt arido boum, & equorum stercore incolæ ipsi ignes fouere, atque cibaria decoquere cogantur: ciuitates in ea paucæ, etiam villæ & oppida: cœlum habet inclemens, & aerem intemperatum: nam tonitrua, & fulgura in æstate adeò horrenda sunt, vt præ timore homines intereant: iam calor magnus est, mox frigus, & densissimæ niues cadunt: ventorum frequenter tam validi flatus, vt equitantes detineant, & ad terram homines deijciant, arbores radicitus euertant, & multa damna inferant: in hyeme ibi nunquam pluit in æstate frequenter, sed adeò parcè, vt vix terra madefiat. Regio alioquin omnium animalium diues in camelis, bobus, & c. iumenta, & equos in tanta copia, & multitudine, quantum non credimus reliquum mundi habere. Hæc ille.

Quinque Tartariæ partes principales.

Diuidimus porrò vniuersam Tartariam in quinque principales partes, quarum vna dicitur TARTARIA MINOR, quæ scilicet ad Europam spectat, atque inter Borysthenem, & Tanaim concluditur complectens Tauricam Chersonnesum, quam quidem partem inhabitant *Precopenses*. Secunda dicitur TARTARIA DESERTA, & antiquis Sarmatia Asiatica, quæ Tartarorum hordas continet, licet non omnes. Tertia ZAGATAI prouincia; olim Scythia intra Imaum. Quarta est CATAIO prouincia cum regno Tangut, & alijs circunuicinis regionibus, quam portionem supremus Tartarorum Imperator possidet, & antiquorum est Scythia extra

tra Imaum, & Serica regio. Vltima est extrema Tartariæ pars ad Septentrionem, & ortum exposita, quæ ANTIQVA TARTARIA dici potest, cũ ex ea ortum traxerint Tartari, & hæc quidem pars Ptol. incognita fuit.

Incolarum conditio, & mores.

Sunt autem vt frequenter Tartari statura mediocri, pectore & scapulis ampli, lata facie, naso simi, colore terri, & deformes, oculis intortis, & concauis: sola barba horridi, cætera rasi, robusti viribus & fortes, animo audaci, sermone horrido & clamoroso, cantantes luporum more vlulant: inediæ, somni, frigoris, & æstus adeò patientes, vt toto nonnunquam quatriduo ea perferant, equitatu ab ineunte ætate, & arte sagittandi gaudentes, incontinentissimi præterea omnium hominum sunt, uxores enim ducunt quotquot uolunt, & sustentare possunt, etiam si consanguineæ, aut affines sunt, exceptis tantummodo matribus, filijs, & fororibus, solentque uiri dotes parentibus uxorum dare, & non è conuerso: deinde indifferenter cum masculis & pecudibus sese commiscent. Pro domibus autẽ habent currus centoribus, coriisq; contectos: pro urbibus uero, ac oppidis immensa habent castra non fossis, aut materiæ claustris, sed infinita sagittariorum equitum multitudine uallata, nec uno in loco diu commorantur (excepus tamen qui in ciuitatibus, & oppidis muro percinctis degũt, ut sunt *Zagatai*, ut plurimum & *Catayni*, qui magis cultiores, ac ciuiliores sunt) sed depastis pascuis aliò commigrant ducentes secum uxores, filios, omniaq; sua bona: putant enim grauem esse infelicitatem diù in eodem loco hærere. Cumq; incertis & nullis finibus obseruatis sedibus uagentur, stellarum aspectu, in primis uerò poli Arctici cursum suum dirigere solent. Pro hyeme verò ad releuandum à frigore ad mare Caspium diuertunt, quoniam illic ratione maris temperiem aeris inueniunt. Aestate uero in suam regionem redeunt. Carent frumento, & aliis leguminibus & terram milio seminant: lacte equino summopere delectantur, quod eo homines fortes, & pingues fieri credunt. Vescuntur etiam sanguine equino, & per se, & cum milio permixto, hauriendo interdum sanguinẽ è venis incisis equorum, quibus insident, si equitantes à fame, & siti molestentur. Vorant etiam suauiter carnes pecudum equorum, & aliorum animalium quoquomodo interemptorum semicoctas, præterquã porcorum, à quibus lege abstinent qui Mahumetani sunt: capita equorum in delicijs habent, præstantioribusq; viris tantummodo apponuntur. Victus immundissimi sunt, & sordidi, mappis enim nõ utuntur, non mantilibus, nisi perpauci: bibunt aquam, lac, & cerusiam ex milio coctam. Vinum apud eos ut plurimum non nascitur, aduectum sicut cæteri homines auidissimè bibunt vsque ad ebrietatem, quæ apud eos gloria est. Laudant acetosum lac, quia stomachum eorum confortat, & medicinæ purgatiuæ vim habet. Herbis varijs, maximè autem iis, qui iuxta Tanaim crescunt, suauiter uescuntur, & inter cæteras magnificiunt herbam illam, quam uocant *Baltracan*, quæ maximè eos nutrit, uigoremq; eis præstat; cum igitur hæc herba fructum producit, libenter Tartari per sua deserta, & solitudines permeant, in quibus nihil pro uictu inuenitur: Nam si alium uictum non habent,

Incontinentissimi Tartari sunt omnium hominum.

Tartari super currus, vt plurimũ habitant.

Tartari ex stellarum aspectu curtũ dirigunt.

Tartari equorum carnes comedunt.

Baltracam herba miræ virtutis.

bent, hæc sola herba ipsis sufficit, quam frequenter inueniunt, & super currus, ac equos eam deferunt. Scelus magnum habetur apud hos, si cibi aliquid, aut potus perire permittatur, ideoq; ossa, nisi medulla prius excepta sit canibus nequaquam proijciunt.

Non sunt artifices, vt plurimum inter ipsos nec pecuniæ vsus extra Mercatores, sed res pro rebus commutant. Horda tamen Zauolhensis recipit argenteos obolos Turcarum, quos *Aspros* vocant, & Horda Presxopiensis Ducatos acceptat.

Tartarorum varia religiu.

Sunt porrò omnes ferè Tartari Mahumetani, non tamen Turcas se vocari patiuntur, sed *Bersemani* appellari volunt, atque fidem falsi Mahumetis amplexati fuerunt anno circiter 1246. & Pentatenco Moysis obediunt, circunciduntur, & legalia obseruant, ac quotidie *Iahi illo illoloth*, idest non est Deus nisi vnus Deus clamant. Ingenuè se profitentur Ismaelitas, quia de Ismael orti: celebrant velut alij Saracenni tria in anno festa, & supremum habent Sacerdotem, quem *Seyd* dicunt, tantæ apud ipsos auctoritatis, & venerationis, ut etiã Reges aduenienti occurrant, stantesq; huic equo insidenti manum porrigant, capiteque inclinato (quod solis concessum est Regibus) tangant. Nam Duces non eius manum, sed genua; nobiles verò pedes; plebei vestes tantum, aut equum manu attingunt. Sunt tamen nonnulli idolatræ inter ipsos, qui errores gentilium profitentur, & ex eis etiam sunt quidam Iudæorum hordæ: alij præterea Christiani Nestoriani sunt, ac iuxta Ruthenorum ritum, ijque insigniores inter Casanenses sunt, qui Principis Moscouiæ impulsu an. Domini 1551. baptizati fuerunt præter nonnullos alios, qui supremo Chamo prouinciæ Catayo subsunt. Vestes oblongas ad talos demissas tam viri, quàm mulieres deferunt, & in hoc solum mulieres in cultu à viris differunt, quod uelo lineo caput tegunt: caligas quoque lineas gestant. Reliqua communis turba, quæ in campis passim degit, uestes ex ouium pellibus confectas habent, quas non mutant, nisi longo usu prorsus attritæ, laceratæq; fuerint. Eorum Reginæ, & magnatum, nobiliumque præcipuorum uxores, dum in publicum procedunt, facies velis lineis obtegere solent. Arma quibus in bello utuntur, sunt arcus cum pharetra sagittifera, securis, framea, sagittas ueneno subtiliter inficere solent, atque in fuga omne præsidium collocant.

Seyd supremus Tartarorum sacerdos.

Tartari Christiani quales sint.

Tartarorum arma.

Equi illorum sunt castrati, & pusilli, sed tamen fortes, hos dicunt *Bachmat*, quibus utuntur cum sellis, stapedibus ligneis, & frenis leuissimis, & calcarium loco flagellis utuntur. Rapacissimi sunt, & uafri, ac perfidi exteris, nulla his fides est, proinde nec pactis mitigantur, nec fœderibus acquiescunt, sibi inuicem tamen, & suis omnibus fidelissimi, nec possunt quietè uiuere, quin semper vicinos imperant, ac inuadant, prædamque ex spoliis hominum, ex animalibus, ipsisque hominibus abigant, & reportent, quam finitimis Turcis, aut aliis quibuscunque vendunt, & hoc est commune omnibus hordis Tartarorum ab exordio, & ingressu eorum in hanc diem.

Et si contingat eos ex equis esse deiectos omnibusque armis spoliatos, atque etiam grauissimè uulneratos, solent manibus, pedibus, & dentibus quoad, & quacunque possunt ratione ad extremum usque spiritum se defendere, & morituri conantur alium post se trahere. Hi itaque in uniuersum sunt Tartarorum mores, ueruntamen, qui in supremi Imperatoris prouincia, atque in urbibus inhabitant, paulò ciuiliores, & humaniores sunt, ut suo loco dicemus.

Tartarorum hordæ, quæ vocentur.

Nunc uerò singulas Tartariæ partes percurramus, adnotantes primo bonam Tartarorum partem in hordas distribui, quemadmodum Hebræi in Tribus olim diuidebantur. Horda uerò multitudinis congregationem, seu conuentum, cœtumque hominum in formam ciuitatis coactum significat: estque militaris multitudo in huncmodum distributa, ut Decuriones Centurionibus parerent, Centuriones Chiliarchis, Chiliarchi Miriadum præfectis. Harum hordarum magnum numerum esse constat, quæ quidem ab inuicem moribus aliquantulum diuersæ sunt, inter quas quædam liberæ sunt ad particulares Duces spectantes, aliæ Moscouiæ Ducis tributariæ sunt; aliæ uerò magni Chami supremi Imperatoris.

Chami supremi imp.

TARTARIA MINOR,

seu Præcopensium Tartarorum horda.

Præcopenses Tartari.

PRÆCOPENSES Tartari sunt, qui in campestribus circa Pontum Euxinum, nunc *Mar Maggiore*, & paludes Mœotidis, modò *Mar delle Zabache*, atque in toto isthmo, & Chersonneso Tauricæ degunt, nempè intra Borysthenem fluuium uulgò *Neiper*, & Tanaim, modò *Don*. Et cum originem suam ex *Zauolensium* Tartarorum horda duxissent, hanc Europæ partem occupauerunt exules propter domesticas seditiones, continuoque cum Zauolensibus belligerati sunt, donec Reges eorum penitus extinguerent.

Præcopensiũ Tartarorum origo.

Præcopensiũ alia nomina

Dicuntur hi Præcopenses Tartari *Vlani* etiam ab *Vlano* primo inuasore Tauricæ, & *Crymskij* à ciuitate *Crym* olim Regum Tauricæ sede, quæ in prædictis campis desertis sita est. Hanc porrò Præcopensium tractum nonnulli *Cumaniam* uocant, sed Tauricam cum uicina regione *Gazariam*, & ipsa Taurica peninsula dicitur *Prezelzop*, uel *Prucuply* Sclauonica lingua, quasi perfossa, quia isthmus qui peninsulæ adiacet spatio mille ducentorum passuum perfossus est.

Cumania regio. Gazaria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theodosia vrbs, Tartariæ minoris qualitas.

In hac peninsula præter alias est THEODOSIA urbs, nunc *Cassa* dicta, quæ à Maumette Octauo Turcarum Imperatore expugnata fuit, cũ prius Genuensium esset colonia. Vniuersa autem ipsa regio frugum fertilissima est, ac pascendis gregibus ualdè idonea: atque hi Tartari Præcopenses magisque ciuiles, mitioresque ratione auræ sexti, & septimi climatis, quæ inhabitant, deberent esse; verumtamen adhuc priscam suam seritatem, & rapacitatem retinent. Nam campos, & syluas inhabitant, & non ciuitates, aut villas (excepto eorum rege, qui vt plurimum in castris degit, vel *Precopxi* oppido, vel in *Oczakouu* ciuitate, quam ademptam Lithuaniæ ducibus tenet) & singulis annis inuadunt, & deprædantur Russiam, Lithuaniam, Valachiam, Poloniam, & interdum etiam Moscouiam, suntque adeò Christianis infesti, ut Turcarum Imperatori quot annis 300. Christianos pro stipendio pendant. Huius Regis filiam Selymus Turcarum Imperator in vxorem duxit.

Præcopenses moresque.

Præcopenses Christianis valdè infesti.

In postrema huius regionis parte supra Tanais ostia tribus in littore milliaribus est TANAS ciuitas, quæ Europæis *Tana*, & incolis, ac Ruthenis *Azac*, *Azoph* modo vocatur, & hæc quidem nunc Turcæ tributaria est, atque insigne est emporium, quod adeunt multæ gentes ex diuersis orbis partibus, ubi cuique liber patet accessus, & libera emendi, & uenden di facultas. Prope hanc vrbẽ BOSPHORVS CIMMERIVS extat, qui etiam Mœoticus dicitur, & vulgò *Stretto di Caffa*, Castaldo auctore, incolis verò *Vospero*. Hoc autem fretum est maris, quod inter Europam, & Asiã ab hac parte intercedit latitudine mill. 4. ex quo in Mœotidem paludem patet ingressus, vulgò *Mar delle Zabache*, cuius amplitudo ad mille miliaria panditur, eiusque aqua non parum habet dulcedinis ob multa ingentia flumina, quæ isthic exonerantur, vnde mirè piscibus abundat, sed hyberno tempore congelatur. EVXINVS autem PONTVS vastum est mare, & importuosum in arcus Scythici formam patens in circuitu vicies quinquies centenis millibus passuum, & in longitudine ab Oriente in Occidentem decies centenis millibus. Mare hoc Græcis ob sui profunditatẽ Nigrum vocatur, & Latinis mare Maius, cuius aqua semper extra in propontidem confluit, neque in pontum introrsum refluit; eius quoque superficies dulcedinem quodammodo habet ob perpetuum quamplurium amnium ingentium confluxum, introrsum verò salsum est, ac magna piscium copia præstat.

Tanais vrbs.

Bosphorus Cimmerius Mœotis palus.

Euxinus. pontus.

Mare Nigrũ vel mare Maius.

TAR-

TARTARIA DESERTA, OLIM SARmatiæ Asiaticæ pars.

Deserta Tartaria.

TARTARIA DESERTA successit in locum penè Asiaticæ Sarmatiæ, quæ quidem ante Tartarorum aduẽtum magis habitata fuit. Concluditur autem inter Tanaim, Caspium mare, & *Kitay* lacum, estque in uniuersum ferè plana, & principalibus fluuijs *Volga*, *Chesel*, & *Sur* irrigua: suapte autem natura fertile habet solum, si à Tartaris coleretur, qui nullam agriculturæ curam impendunt, sed continuo nunc in vnam partem nunc in aliam morè Arabum oberrantes operã tantum uenationi, ac bello incumbunt, atque milliũ tantummodo, & pecnicum in terram absque ulla cultura proijciunt, quorum tantam colligunt copiam, ut abundè ipsis sufficiat. Isthic etiam immensa est equorum, ac pecorum copia, quorum magnam partem in alias partes distrahunt. Habitant ut plurimum hi tartari super currus corio, & laneis pannis contectos, & habent aliquot etiam oppida munita, ubi interdum confugere solent. Sunt autem in hac parte hæ præcipuæ Tartarorum hordæ, vtpote *Zauolhensis*, *Casanensis*, *Nohaicensis*, *Thumenensis*, *Schibaschiensis*, *Cosachiensis*, *Astinchanensis*, *Kirgesiorum*, *Baschirdorum*, *Molgomozanorum*, & aliæ.

Situs eius.

Qualitas.

Incolarum conditio.

Hordæ Tartarorum.

Zauolenses Tartari.

ZAVOLHENSIVM, seu *Czadaiorum*, aut *Bulgarorum* Tartarorum horda inter *Volgam*, & *Iaych*, fluuius iacet, quæ quidem quasi princeps cęterarum omnium est; tum ob incolarum multitudinem, locique affluentiam, & opportunitatem, & rerum gestarum fortitudinem: tùm etiã quia ex ea cæteræ hordæ ferè omnes ortum duxerunt. Vnde hæc dicebatur MAGNA HORDA, & eius Imperator *Vlucham* uocabatur, id est magnus dominus, seu magnus Imperator, siquidem hęc horda olim principẽ sui iuris habebat, sed circa ann. Do. 1506. à Taurice Rege occupata, & regibus orbata penitus fuit, quam postea Basilius magnus Dux Moscouiæ Imperio suo subegit, cuius Titulum Moscouiæ Duces sibi uendicant, seq; *Bulgarię*, i. *Zauolhenses* Reges appellant; à *Volga* enim, qui eam longo tractu interfluit, *Bulgaria*, seu *Volgaria* appellari consueuit, vel à *Bulgar* oppido, quod isthic super *Volgam* positum est. Incolæ mores, & idioma Ruthenis *Communia* habent. *Cazanensis*, *Casanensis*, seu *Kosanensis* horda uocata est à *Kosan*, seu *Casan* castro supra *Volgam*, circa Moscouiæ metas sito, penes quod hi Tartari commorantur, & ortum duxerunt à principali horda *Zauolhensi*. Regnum uerò CASAN incipit 60. mill. Polonicis infra *Nouogradiam* inferiorem apud *Volgam*, & ab ortu & meridie à vastissimis & desertis circundatur campis, qui 200. mill. Polonicis extenduntur: ad ortum verò æstiualem Tartaros *Shibanskos*, & *Cozaskos* finitimos habet, cuius regni metropolis est *Casan* ciuitas iam dicta, supra fluuium *Volgam* sita. Casanenses Tartari sui iuris Reges olim habuerunt usque ad *Chelealcezk* regem, qui primus feudalis & tributarius Basilij Magni Moscouiæ Ducis fuit.

Magna horda.

Zauolhẽses Moscouo obediunt.

Casanenses Tartari.

Casan regni amplitudo.

Casan vrbs.

Casanenſes Moſcouitis obediunt.

fuit. Sed cum interdum Caſanenſes à Moſchis defeciſſent, bella vario Marte inter eos orta ſunt, donec tandem Anno 1551. Caſanenſe Regnum Magno Duci Moſcorum ſubactum eſt, & *Czar Kazanſki*, id eſt Rex Caſanenſium Moſcus appellatur:

Caſanenſiũ mores.

Hi porrò Tartari cultiores reliquis ſunt, ingenioſiores, & aliquanto humaniores, vtpote qui, & agros colant, in domibus inhabitent, & mercaturam cum uicinis Moſchis, & Turcis exerceant. Mittit hæc horda circiter triginta milliæ milites ad bellum idoneos, ac ei *Sohaſci*, *Vacheni*, qui ſoli iſthic ſunt milites pedites, & *Ceremiſſi* populi ſubſunt.

Nohaiceſes tartari.

NOHAICENSIVM, ſeu *Occaſorum* horda poſt *Caſanenſem* Orientem uerſus procedendo ultra *Volgam*, circa mare Caſpium ad fluuium *Iaych*, olim Rhym uocatum ſita eſt, & habuit initium anno Domini 1447. atque hi Septentrionaliores, ac frigidiores omnium Tartarorum ſunt, ſummamque hodie opum, & bellicæ laudis obtinent auctoriratem, nullum autem ab initio habebant Regem, ſed Reipublicæ Venetę more multa ſeniorum prudentia, ſtrenuorumq; uirtute gubernabantur. Poſtea uerò Duces habuerunt tres, quorum primus dicitur *Scharayczik* ciuitate, cuius regio campeſtris eſt. Secundus Ducatus eſt inter *Kamam*, *Iaych*, & *Volgam* fluuios. Tertius uerò Ducatus *Sibirienſis* prouinciæ partem, & omnem circumiacentem regionem attingit, quorum duorum Ducatuum regiones ſyluoſæ ſunt: ſed hi omnes Ducatus hodie ſub uno domino ceciderunt, qui in urbe *Scharaych* ad fluuium *Iaych* poſita reſidet, & Moſcouiæ Magni Ducis tributarius eſt.

Nohaicẽſiũ tres Duces.

Nohaicẽſes Moſco obediunt.

Thumenẽſis & aliæ hordæ.

Tres Tartarorum hordæ THVMENENSIS, SCIBANSKIENSIS, & COZACZKIENSIS ultra *Viaticam* regionem, & *Caſanenſe* regnum ſunt. Qui quidem Tartari bellicoſiores ſunt, & in campeſtribus habitant, caſtra uariatim que uiuunt, ac plures ducunt uxores: bibunt pro potu lac equinum: frugum uſum ignorant: pecuniam non accipiunt: exorciſmis, & incantationibus, quibus ſupra modum delectantur, caligines, & alias cœli tempeſtates perſæpe excitant; hocque modo hoſtes frequenter profligant. Sola autem *Thumen* horda iſthic ſub Magni Chami *Cathayni* obedientia etiamnum perdurat.

Thumẽ horda Magno Chamo obedit.

ASTRACHANENSE REGNVM.

Aſtrachanẽſe regnum. Aſtracham urbs.

ASTRACHANENSE regnum poſt Tartaros *Nohayenſes*, & *Caſanenſes* ad mare Caſpium ſitum eſt, & ab urbe ASTRACHAN, ſiue *Citracham* inter alias huius Regni opulentiſſima nomen habet, quæ 20. milliaribus Italicis longè ab oſtijs *Volgæ* iacet, in qua ſunt Sario, Armenia, & Perſia iſthic concurrunt.

Regnum

Regnum autem hoc non amplius ſui iuris eſt, cum anno Domini 1594. à Ioanne Baſiliade Moſcorum Duce unà cum urbe ipſa ſubactum, occupatumque ſit, cuius titulum ſibi uſurpat.

Aſtrachan ſub Moſcouiæ Duce.

KYRGESSORVM horda eſt Tartarorum, qui in campis degunt, & ſuper currus uitam traducunt, habentes ritum gentilem, & mortuos loco ſepulturæ arboribus ſuſpendentes. His contermini ſunt *Baſcherdi* Tartari ab Occidente, & *Heſeliti* ab Oriente.

Kirgeſſi tartari.

MOLGOMOZANI, BADAYQVE Tartari habitant in cauernis, & ſubterraneis locis, omniumque animalium, & reptilium ſerpentum uermium, murum, & id genus aliarum rerum incommeſtibilium carnes comedunt, & Solem, uel rubrum pannum ſtipiti appenſum adorant. His finitimi ſunt *Macriti*, & *Samogides*, quaſi ſeipſos comedentes populi. Præter hos iſthic ſunt etiam alii Tartari, nempe *Vſezucanorum Zibierariorum*, & aliæ hordæ parum celebres.

Molgomozani, & Baday tartari.

Macriti, & Samogides. Vſezucani, & alij tartarii.

Iſthic eſt lacus *Kytay*, qui amplitudine ſua mari perſimilis eſt, in quo ſunt pleræque inſulæ à Tartaris habitatæ, & iuxta ipſum eſt *Cruſtina* urbs frequens, ad quam Tartari, & Rutheni confluunt. Ex hoc lacu fluuius *Oby* emanat, qui circa eius initium 80. penè milliaribus panditur.

Kytay lacus Cruſtina vrbs.

Oby fluuius.

ZAGATHAI PROVINCIA, QVÆ EST Schythia intra Imaum montem, nunc *Altai* vocatum.

Zagathaitartari Hieſelbas vocatur.

ZAGATHAI Tartari ſic uocati fuere ab eorum Principe Magni Chami fratre, qui iſthic regnauit: nunc uerò *Hieſelbas* dicuntur, ideſt caput uiride, quoniam Dulipanum uiride ſuper capita geſtant. Occupant uerò totum terræ tractum, ubi olim regiones antiquorum Bactriana, Sogdiana, & Margiana erant, ubi etiam præter alias gentes fuerunt Maſſagetes bello, rebusque geſtis inſignes. Sunt itaque fines Zaghatheorum Tartarorum à Septentrione Iaxartus fluuius nunc *Cheſel*: ab Occaſu mare Caſpium, nunc *Mar de Bachu*: à meridie mons Paropaniſus, qui nonnullis impropriè Caucaſus uocatur, & nunc ſunt montes *Dalanguer*, & *Naugracot*: atque ab ortu ad deſertum uſque *Lop* extenduntur.

Antiquæ regiones ſub Zagathai cõtentæ.

zagathai fines.

Regionem hanc Oxo fluuius irrigat, qui nunc *Ahiam* uocatur, & multis oſtijs in mare Caſpium exoneratur, iuxta quæ oſtia iacet urbs *Zahaſpa*, ubi Mercatores multi confluunt, præcipuè autem ex India, & Cathaio. Hi porrò *Zagathai* Tartari nobiliſſimi omnium ſunt ciuiles ſatis, & diſciplinis, ac artibus dediti, atque urbes, & oppida permulta lapide conſtructa incolunt, inter quæ eſt Regia urbs SAMARCANDA, eximiæ

Oxo flu.

zahaſpa vrbs.

zagatheorũ mores.

Samarcanda vrbs.

eximiæ magnitudinis, ac claritatis, quæ olim totius Tartariæ metropolis extitit, & Maracandam antiquam nonnulli putant esse: nunc verò parum frequens est.

Tamburlanes Tartarorum Rex.

Ex hac utbe ortus est ille bellicosissimus Tartarorum Rex TAMBVRLANES ab aliis *Temir Cuthlu* vocatus, qui Bayazetem Ottomanum quartum Turcarum Imperatorem anno 1397. cum exercitu numerosissimo confligatum cœpit, & per omnem Asiam ab se terribili maximi exercitus impetu deiectum catenis aureis ligatum, ac ferrea inclusum cauea in triũphali pompa, uelut auem circumduxit. *Bichend* quoque urbs mediterranea isthic commercijs admodum frequens est. Sunt autem hi Tartari perpetui Persarum hostes non tam ob fines regionum, quàm religionis causa, cum hi Turcarum ritum sequantur; ob quam causam Turcis confœderati sunt. In huius regionis extremitate uersus ortum, & meridiem sunt nonnulla deserta, latronibus exposita, à quibus uiatores magnopere infestantur. Sunt etiam quidam principes particulares huic regioni confines satis ciuiles, & scientijs, artibus, ac negociationibus, operam nauantes, & hi quidem habent *Turchestan* regnum, ubi antiqui portas Caspias collocarunt, & *Tascam*, *Cascar*, *Ciarciem*, & alias utbes.

Bichend vrbs.

Zagathei Tartari sunt Persarũ hostes.

Turchestan regnum.

SCYTHIA EXTRA IMAVM, ET SERICA regiones antiquorum, nunc *Catayo*, *Tangut*, & alia Regna supremi Tartarorum Imperatoris.

Magni Chami Imperiũ.



IMPERIVM supremi Tartarorum Imperatoris, quem MAGNVM CHAM Europæi uocant complectitur totam ferè Scythiam extra Imaum montem, qui nunc *Altay* dicitur, & Sericam regionem, quæ nunc est *Catayo*, in quo quidem tractu permulta cadunt regna, & amplæ prouinciæ cum innumeris urbibus opulentissimis, ac oppidis munitissimis, tormẽtis præcipuè bellicis. Est enim hæc pars habitatoribus adeò frequens, & egregiè culta, ac diuitijs affluens, ut nec antiquæ Græciæ, nec Europæ cuiuis regioni facilè cedat. Clauditur autem undique desertis, ac montibus, ex quo difficilis in eam patet ingressus, atque à deserto *Lop* fabuloso, & squallido, quòd uix triginta diebus pertransiri potest, usque ad Chinensem regionem extenditur, à qua ingenti muro separatur. Vnde parum adhuc cognita est, hoc tamen ex Marci Poli scriptis, & ex nonnullis alijs recentioribus, qui eam perlustrarunt, certò constat.

Huius regionis laudes.

Fines regionis.

Regionis qualitas.

Re-

Regionem hanc ferè vniuersam frumento, horyza, ac cæteris frugibus admodum fertilem esse, licet frigidam habet aeris temperiem, atq; etiam auro, argento, serico, reubarbaro, musco animalibus innumeris, & omnib. ferè rebus ad victum necessarijs, abundare: cameli isthic frequentissimi inueniuntur, ex quorum pilis undulati panni contexuntur, equorũ quoque maxima hic est copia, licet eorum carnes à populis comedantur. Isthic paucis in locis vinum legitur, & tota prouincia Cataiæ uinum non profert, vbi potus ex horyza, & aromatibus ualdè suauis conficitur, qui non aliter, ac vinum inebriat, ibidem etiam lapides ceduntur combustibiles, quibus ob lignorum penuriam utuntur.

Regionis qualitas. Incolarum conditio, & mores.

Hi porrò Tartari ultra Imaum subijciuntur omnes Magno Chamo, qui est ex stirpe legitima *Chingis* primi Regis Tartarorum, sunt́que diuersæ sectæ, nempe Nestoriani, Iudæi, Idolatræ, & Maumetani, omneśque propriam religionem obseruant. Sunt præterea ut plurimum bellicosi, strenui in armis, & ad subeundos labores intrepidi: neq; sunt effœminati, molles, ac delicijs assueti, imo tolerantissimi laborum, & inediæ. Statura mediocri sunt, ac paruos habent oculos, & acutum visum, paucam barbam ingenio mirabili pollent, pomposè uestiunt, & gestant uestes oblongas varijs pellibus ornatas. Dicuntur uerò *Carabas*, ideſt capita nigra, eo quia tali colore dulipanos gestant. Horum Imperator adeo potens est, ut maiestate, magnificentia, amplitudine sui status, diuitiis, thesauriśque inexhaustis, atque militum numero nulli alteri Principi Asiæ cedat. hunc Turcæ *Vlucam* uocant, ideſt magnum Principẽ, & à Moschis uocatur *Czar Cataiscxi*, ideſt Cæsar Catayæ, cuius nomen auro inscriptum supra tabulã rubeam in præcipuarum urbium Templis reponunt, uocantes eum filium Dei, umbram Dei, & animam Dei, atque eius uerba pro lege habentur. Hic Imperator Satellitio maximo stipatur, ac custoditur: nam habet in sui tutelam 12. millia Tartarorum, quos *Quisitam*, ideſt fideles uocant, & præter hos habet exercitus dispersos in uicinis prouincijs, ueluti Romanę legiones. Eius moneta ex metallo non constat, sed ex cortice arboris mori in pollinem redacto & glutine compacto, in qua quidem moneta regale signum imprimitur. Vnde huiusmodi moneta factitia auri, argenti, & lapidum precioſorum inæstimabilem congregat quantitatem, quapropter diuitijs, ac potentia quemcunque uniuersi Principem superat. Omnes porrò Imperatores Catayni sepelliuntur in monte Altay, qui Haytoni Armeno est mons *Belgian*. Tametsi etiam in partibus remotis moriantur, & corpus ad inhumandum defertur satellites, qui funus concomitantur quotquot in uia obuios inueniunt, occidunt, dicentes eis: Ite, & Domino nostro Regi seruite in alia uita. Vnde testatur Marcus Polus quando *Mongu Cham* (qui tunc temporis interijt quando ille isthic commigrauerat) ad dictum montem deferebatur ad inhumandum, milites funus concomitantes circiter decem millia hominum ea occasione interfecisse.

Magni Imperatoris Catai potentia.

Moneta ex arboribus cortice.

Catayrorũ regum sepulchra.

Mos, quem obseruant dum reges sepelliunt.

Regia urbs, ac totius Imperij Magni Chami metropolis est CAMBALV, olim ut quibusdam placet Issedon Serica, in quadrangularem extru-

Cambalau regia vrbs.

cta

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta formam iuxta ripam fluuij *Polisangi*,& ambitum 24. Italicorum mill. habens cum duodecim portis, quibus extra ciuitatem duodecim magna respondẽt suburbia, in quibus Mercatores, & aduenæ morantur. Maxima uerò mercium lapidum precioſorum,vnionum,ſerici, aromatum, & opũ omnis generis copia in hanc urbem defertur ex India, China, & alijs regionibus, cum ſit in *Catay* meditullio, ueluti circumiacentiũ prouinciarũ centrum,& aſſerunt quidam quotidie in ea præter alias merces mille currus ſerico onuſtos ex China huc aduehi.

Tangut regnum.

Præter *Catay* clariſſimum regnum, ſunt alia regna opulenta ac ampla, nempe TANGVT regnum, unde omne Rhabarbarum,quod per totũ terrarum orbem conſumitur,ad nos,& ubique gentium defertur. In quo etiam Regno Imprimendi Artem ante mille annos inuentam fuiſſe nonnulli aſſerunt.

Camul prouincia.

CAMVL prouincia,cuius incolæ,ut plurimum ludis,& tripudiis uacant, ac idolatræ ſunt, dęmonumque cultores, qui quidem aduenas mira hoſpitalitate ſuſcipiunt, & proprias eis uxores proſtituunt.

Tenduc prouincia ubi Presbyter Ioannis Aſiaticus regnauit.

TENDVC prouincia, ubi olim magnus, ac potens Rex Presbyter Ioannes regnauit, cuius nomen Regi Abyſſinorum in Africa per errorem datum fuit. Huius regionis incolæ, ſicut olim, Chriſtiani ſunt, ſed Neſtorianæ ſectæ,iſthic ſunt mineræ auri opulentiſſimæ,& lapidis lazuli.

Tainfu regnum.

TAINFV Regnum,quod amplum cultiſſimum,ac uinetis refertiſſimum eſt, atque in eo artificum,& Mercatorum ingens eſt numerus,ſiũtq; ibi arma quibus magnus Cham in bello utitur.

Tebet regio

TEBET Regio paluſtris, & nemoroſa,ac animalibus feris refertiſſima, quæ corallo admodum abundat, quo monetæ loco utuntur, muſco etiam diues eſt,cinnamomo, & aliis aromatibus.

Caindo vrbs.

Eſt etiam CAINDO urbs, & regio Mercatoribus frequens præcipuè ob uela,quibus mulieres utuntur,quæ ibi ex arborum corticibus ſubtiliſſimè conficiuntur.

Quiſſai vrbs admirabilis

Tradunt quoq; Scriptores in confinio Chinæ prouinciæ urbem QVINSAI inſignem reperiri,quod nomen ciuitatem cœli ſonat,quæ magnitudine ſua reliquas totius uniuerſi ſuperat,eius enim circuitus eſt mill. circiter centum, & familiæ in ea ad unum millionem, & 600. millia aſcendunt, pontes autem lapideos habet 12. millia,inter quos ſunt aliqui adeò alti,ut ſubtus eos naues magnæ,erecto malo pertranſire queant. Intra urbis mœnia lacus eſt magnus,cuius ambitus eſt 30. mill. & habet intra ſe duas paruas inſulas, in quibus duo elegantiſſimæ Regiæ domus in litore uerò lacus plurimæ ſunt domus nobilium intus & extra mirè ornatæ. In hac urbe amœniſsima,ac opibus omnibus abundantiſsima, Magnus Cham præſidium 30000. millium habet,atque olim caput prouinciæ Mangi,ſeu Chinę fuit. Non deſunt tamen,qui putent hanc urbem poſt Marci Poli tempora,qui eam perluſtraſſe teſtatur,diruptum bello,uel alia calamitate fuiſſe.

Quinſai vrbem nõ amplius hodie extare nonnulli cẽſent

PO-

POSTREMA TARTARIAE PARS IN Regionis extremitate Boreali, & Occidentali.

Extrema Tartaria.

EXTREMÆ Tartariæ partes uerſus Scythiacum promontorium, & Tabin Plinij promontorium,non longè à quo eſt fretum *Aniam*,cæteris incognitę magis ſunt,in quibus quidem Tartarorũ aliquot hordæ, diſperſæ hac, atque illac uagantur, omnesq; ferè Magno Chamo Catayno obediunt. Verſus itaque promontorium Scythicum reperitur *Danorum*,*Neptalitarum*,*Turborum*,& *Mecritorum*, hordæ, necnon etiam *Ceremiſſiorum* Septentrionalium horda, & *Vzezucanorum* horda,quæ à *Ceremiſſis* populis interioribus, & ab *Vzezucanis* interioribus originem traxerunt: ibidem etiam eſt *Bargu* paluſtris regio, & *Tabor* regnum inter quod regnum, & montem *Altay*, *Caracoranum* patet deſertũ. Ad alterum uerò promontorium, quod Plinio Tabin uocatur, iacent regiones *Belgian*, *Arſaret*, *Amiam*, & *Argon*, quarum nomen ui notum eſt. iſthic etiam ſunt Regiones *Vng* & *Mongal*, quæ etiam *Gog*,& *Magog* uocantur,ex quibus Tartari ab initio prodiere. Harum uerò regionum Tartariæ extremæ nonnulla à Decem Tribus Iſrael habitari Scriptores quidam aſſeaunt, quę quidem cum primo à Salmanaſſaro Aſsiriorum Rege in montibus Caſpiis traductæ fuerint, iſthic poſtmodum commigrarunt; ſed hæ gentes Hebræorum ſolum nomen, & circunciſionem conſeruant, in reliquis Tartarorum mores,& feritatem imbuerunt.

Damorum, Neptalitarũ Turborum, & aliorum Tartarorũ hordæ.

Tabor regnum.


Barga regio Belgiam, Arſaret, Aruam, & Aogon regiones.

Iſthic decẽ Tribus Hæbræorum commigrarunt.

Referunt quoque hoc, *Tabor* Regem ex his partibus ad Franciſcum Galliæ Regem primum: deinde ad Imperatorem Carolum V. ac ad alios Chriſtianos Principes ueniſſe, ut eos ſecretè ad Iudaiſmum ſolicitaret, qui tamen anno 1540. Mantuæ Caroli V. iuſſu ignis pœnam paſſus fuit.

Tabor Rex ex his partibus deſcẽdens Mãtuę cõburitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca


CYPRI INSVLA
CYTINA.
Famagusta
Cerines
Golfo di Pendaia
Capo Limnitis
Capo Pila
Capo Chiti
Nicosia
Matisa
Arsida
Malandrina
S. Nicolo
S. Pietro
Cerines el Ceraunia
Cappo Carmachili el Crotonum Prom.
Leucolla
Platanias
Pedieus flu.
Leucra
Pendaricum Prom.
Capo di Greco
Capo Pila
Capo Chiti
Capo d'Agatta
Cappo Salines
Salines
Salina
Salina
Salina

Cypri mensura.

gradus cœlestis circuli penes longitudinem. Eius circuitus Straboni est 3420. Stadiorum, quæ 427. milliaria nostratia reddunt. Plinio uerò circuitus est 375. milliariorum. Alii etiam tradunt circumnauigationem habere 500. millium passuum, longitudinem 200. & latitudinem ubi latior 50. uel 60. Aliqui etiam ponunt circuitum 550. milliarium uel 650. longitudinem 220. uel 230. milliarium.

Cypri promontoria.

Præterea insula hæc pluribus promontoriis in mare excurrit; nam habet ab occasu promontorium Acamas, nunc *Capo S. Pifano*, Drepanũ promontorium nunc *Trapano*, uel *Melechia*, & Zephirum promontoriũ, nunc *Punta Malota*, uel *Melonta*, seu *Caput Chelidoni*. A Meridie est Phrurium promontorium, nunc *Capo bianco*, deinde curias promontorium, hodie *Capo delle gatte*, Dades nunc *Capo Chiti*, & Throni promontorium, nunc *Capo Pila*. Ab Ortu Pendalium, seu Pedasium est promontorium, quod nunc est *Capo de Griego*, seu *de Gree*, atque in apice ipsius insulæ est Clides promontorium hodie *Caput S. Andreæ*. A Septentrione autem est promontorium Crommyon, nunc *Capo Cormachiti*, uel *Cornacchietto*, ac insuper caput Limniti, & Caput Eleni. Cæterum inter Crommyon promontorium, seu *Cormachiti* caput, & *D. Epiphanij*, caput est Pamphilium mare, nunc *Golfo di Settalia*, qui sinus olim periculosissimus nauigantibus erat, spatio scilicet 300. milliarium.

Pamphiliũ mare.

Insulæ anti qua diuisio.

In quatuor partes diuisam hanc insulam olim fuisse, apud Ptolemæum constat, in Orientalem scilicet, quæ SALAMINÆ tribuitur; in Occidentalem, quam PAPHIA possidet; in Meridionalem, quam AMATHVSIA cum Olympo mõte; & denique in Septentrionalem, quam LAPATHIA occupat. Hodie uerò in duodecim partes, quas uulgò *Contrade* dicunt partita est, & sunt Nicosia, Famagusta, Paphia, Audima, Limissum, Masotũ, Salines, Messaria, seu Siuori, Crusocus, Pentalia, Cerines, & Carpassus.

Insulæ recẽs partitio.

Insula hæc nouem regnis clara.

Cæterum Insula hæc antiquitus diuitijs abundans, & mollis habita fuit, ac deliciis, luxuique plurimum dedita, ob idque Veneri quondam dicatam aiunt. Asserunt Pomponius, Diodorus, & Plinius, ipsam nouem Regnis claram extitisse, ac quindecim vrbibus, quarum nonnullas terræ motu ea tempestate labefactatas dicunt, quæ nunc maiori ex parte interiere. Ex regalibus urbibus præcipuæ fuerunt hæ. PAPHVS NOVA in Paphia Regione, quam Agapenor præfectus classis Agamemnonis Regis auctore Pausania condidit, quæ etiam hodie cum titulo urbis extat, uocaturque uulgò *Bapho* teste Nigro. PAPHOS VETVS, quæ in eadem Paphia regione extabat Veneri quondam dicata. CITHERA, quæ toti insulæ nomen dedit, & in qua Venus orta fuit, sed hodie non amplius extat, & in eius loco est oppidum *Conuclia* ex principalioribus totius insulæ ob gossipii, sacchari, & aquæ abundantiam. CVRIAS, quæ olim erat, ubi nunc est oppidum *Piscopia* uulgò dictum ex præcipuis totius insulæ. AMATHVS, quæ & ipsa Veneri quondam dicata fuit, nuncque destructa est. Præter has CERAVNIA vrbs, quæ nunc *Cerines* dicitur, condita fuit à Ciro, cum nouem Reges insulæ subingassent. Hæc autem posita est à Septen-

Paphus noua.

Paphos uetus.

Cithera vrbs.

Curias vrbs.

Amathus vrbs.

Ceraunia vrbs, nunc Cerines.

ptentrionali insulæ parte, habetque arcem satis tutam, atque clementiore potitur aere, quàm quæuis alia insulæ pars, sed NICOSIA, quæ antiquitus *Lettra* primo, deinde *Leucotum* uocabatur, fuit olim Regalis sedes, quemadmodum etiam fuit præteritis proximè elapsis temporibus antequam insula in Turcarum ditionem deueniret, quæ urbs Archiepiscopali sede ornata fuit, & posita est in planitie *Messaria* nuncupata occupante secundum longitudinem 78. milliaria, & 30. secundum latitudinem, quæ satis frugifera, & abundans est. A Nicosia autem 36. milliaribus abest FAMAGVSTA, olim *Salamis*, & deinde *Constantiana* dicta, insignis quidem urbs, & huius insulæ emporium. Sunt tamen, qui putent Famagustam olim *Tamasum* fuisse, alii uerò unam ex quatuor urbibus *Arsinoes* communi nomine uocatis: non autem fuisse Salaminam illam, quæ ab Ethnicis scriptoribus propter Iouis templum celebrata maximè fuit, qui ibidem colebatur, unde ab ea ipsa urbe Salaminius Iuppiter uocabatur.

Nicosia.

Famagusta.

Salaminia vrbs.

Pagorum numerus totius insulæ.

Numerantur porrò præter has urbes 850. circiter pagi, seu oppida muris non cincta, connumeratis inter ea aliquot urbibus destructis, quæ oppida *Casales* uulgò dicuntur, & complectuntur circiter 160. millia habitatores. Ex his autem multa sunt, quæ amplitudine, & populi frequentia urbibus æquiparari possunt, inter quæ præstantiora sunt *Lapithò*, *Siguri*, *D. Ioannes Carpassi*, *Lefcara*, *D. Constantinus*, *Limnati*, *Silicu*, *Pellendria*, *Chillani*, *Collosso*, *Piscopia*, *Salines*, *Couuclia*, *Ctima*, *Arzos*, *Omodos*, *Crusocco*, *Solia*, *Morfu*, & *Lefca*. Omnes autem casales in uniuersum in tres partes distributi erant, quorum dimidia pars ad cameram Regalem pertinebant: reliqui ad Ecclesiasticum statum partim, partim uerò ad nobiles laicos spectabant. Ex reditu casalium ad Regiam cameram attinentium, ex sale, & ex uectigalibus prouentum plùs minus 500. millium aureorum Respublica Veneta singulo anno recipiebat, qui ibi in merces commutati Venetiis postmodum unum millionem reddebant. Status Ecclesiasticus tàm Latinus, quàm Græcus ex suis casalibus redditum accipiebat 80. & plus millium aureorum. Particulares Nobiles laici, tam Veneti, quàm Cyprii magnum prouentum ex suis casalibus habebant.

Oppida præstantiora.

Casales Cypri in tres partes distribuebantur

Olympus mons.

Plures sunt in hac insula montes, sed omnium altissimus est Olympus Græcis *Trohodos* uocatus, qui arboribus omnis generis conuestitus est, cuius ambitus complectitur 18. leucas, seu 54. milliaria. Singulis leucis adsunt monasteria Caloierorum Græcorum ordinis D. Basilii, & in unoquoq; fontes aquę uiuę sunt, ac fructus omnis generis leguntur.

Insula hæc olim syluosa.

Tota autem insula olim adeò syluosa fuit, teste Erathostene, ut agri eius coli minimè possent, quorum lignorum & si magnam partem in metallis excoquendis, ac in nauibus fabricandis coloni consumpsissent, non tamen syluarum luxuriem euincere potuerunt, unde decretis statuerunt, ut arbores qui uellent, ac possent, exscinderent, & quod quisque agri extirpatis syluis purgasset, id tanquam proprium immune possideret. Strabo autem ait, Cyprum suo æuo præstantia nulli cedere insulę, nam & uini, oleique

Insulæ totius laudes, ac qualitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferax est & suo utitur contenta frumento. Nunc uerò miræ est fertilitatis, & omnium rerum ad usum humanum copiosissima; nam præter olei, frumenti, ac aliarum frugum ubertatem gignit uinum præstantissimum, & generosum, quod inueteraſcit usque ad octoginta annos, & uetustate sua ex nigro dealbescit, fitque odoriferum, ac suauissimum. Ex Cypro aduehitur uua illa nigra pulchra, & magna, quæ uulgò *Zibibo* nuncupatur, & colligi isthic solent omnia fructuum genera, quæ alibi etiam habentur, præcipuè autem limones, citri, & medici cæteros fructus aliarum regionum longè excedentes. Non fert tamen castaneas, sorba, & cerasa. Profert quoque dactylos, siliquas, saccharum quod ex harundinibus excoquitur, crocum, coriandrum, summachium, lentiscum; & præter communes herbas habet peculiariter brassicam floridam, fabam Aegyptiam, uel Colocasiam, & alias ad comedendum præstantes. Mel triplicis generis etiam præstat, ex apibus scilicet, quod album est; ex saccharo, quod nigrum est, & uulgò dicitur *melazzo*: & ex siliquis, quod etiam nigrum est. Fertilis insuper est rerum medicinalium insignium, ut terebinthi, coloquintidæ, reubarbari, scammoneæ, & huiusmodi, necnõ herbæ sodæ, ex cuius cinere sapo conficitur. Abundat etiam mineris auri, chrysocollæ, calcanthi, aluminis, marcasitæ albæ, & rubeæ, auricalchi, & ferri, sed ære præ cæteris diues est. Profert etiam lapillos pretiosos nonnullos, ut Smaragdum, Adamantem, christallum, corallum rubeum, & album, atque etiam Amianthum lapidem, ex quo tela confecta non solum non comburitur, imo potius per ignem depuratur, & dealbescit. Coloni quoque præcipuum faciunt, quæstum ex gossipio, & lana, quæ copiosissimè colligunt, qui etiam ex caprarum pilis pannos illos undulatos, & non undulatos conficiunt, qui uulgò *zambelotti* dicuntur per totam Europam distrahuntur. Ex lacu etiam magno non longè à mari ambitus 12. milliarium, in quem modicus amnis cadit ex Olympo monte, qui locus ad mare, *le Saline* modo uocatur, copiosè sal colligunt, dum ipse lacus in salem congelatur, ex quo plures, atque magnæ naues quotannis exonerantur. Huius insulæ olea, & unguenta in deliciis; ceram, & arundinem in medicinis ualdè commendat Plinius. Cæterum insula ipsa magno æstui subiacet, propterea quod sita est sub latitudine graduum circiter 35. unde sol paruo interualo à uertice recedit circa æstiuum Tropicũ in uico tamẽ Cerines spirat Boreas æstum refrigerans, ac in montibus aer est acutissimus. Ingratum etiã, ac insalubrem, vt plurimum habet aerem ob stagna uaporem malũ exhalantia. nulla habet flumina, sed torrentes potius: vnde quando ij exsiccantur, incolæ egestatem summam aquæ patiuntur. Referunt autem ante Constantini Magni tempora, insulam ipsam 36. annis continuis ab incolis derelictam fuisse, qui aliò confugierunt, quia nunquam isthic per id temporis spatium pluit. Vnicum tantum habet portum nauibus peruiũ propè Famagustam urbem, tametsi permultos alios olim habuisset, qui nunc ob maris impetum repleti sunt.

Olim homines pariter, ac mulieres hic Veneri nudi sacrificabant, uerum

Vinum Cyprium ad uetustatẽ valdè perdurãs

Dactyli in Cypro proueniunt.

Mel triplex

Res Medicinales, quæ in Cypro nascuntur.

Mineralia.

Lapilli pretiosi.

Gossypij, & lanæ mirus prouentus.

Maximus æstus hic est.

Aer inclemens huius insulæ.

Pluuia hic 36. annorũ spatio nunquam uisa.

Portus unicus.

Incolarum mores, ac qualitates.

rum D. Barnabæ Apostoli Cyprij precibus destructum fuit Veneris templum, ac ita mos ille obsoleuit. Scribit etiam Trogus, Cyprios olim uirgines suas prius nautis in littore prostituere solitos, quò dotem lucrari possent, antequam nuberent. Nunc deletis his barbaris, & fœdis moribus incolæ sunt sacrosanctæ Fidei Christianæ ab ipsis quidem primordiis addicti, quorum maior tamen pars ritum Græcorum sequuntur, sed nobiles, ut plurimum Latinam Ecclesiam colunt. Splendidè, lautè, & ciuiliter uiuunt, & exterorum amantes sunt bellicosi viribus corporis præstantes, & agiles, sed tamen ad atram bilem proni.

Incolæ totius insulæ diuersarum nationum sunt, eorum tamen plerique Græci, quorum maior pars illuc ex finitimis regionibus tempore Magni Constantini commigrarũt, hoc est ex Aegypto, Iudæa, Syria, Cilicia, Cappadocia, Pamphilia, Thracia, multisque Græciæ partibus, cum tunc ob aquarum indigentiam insula ipsa penè inhabitata fuisset. Patritii autem, ac nobiles Cyprij maiori ex parte ex Gallia oriũdi sunt, qui quidem post amissam terram Sanctam simul cum Rege Guido Lusignano in hanc insulam sese receperunt, quod fuit circa annum Domini 1193. Verũ postquam Regnum hoc in ditionem Reipublicæ Venetæ cessisset non solum patritii Veneti, qui illic inhabitabant, intelligebantur nobiles Cyprii, sed omnes etiam ciues uniuersi Veneti Dominij, qui quinque annis Nicosiæ commorati fuissent, ex concessione Reip. fiebant nobiles Cyprij.

Fuerunt autem inter patritios nuper hi Principes uiri, seu titulares, nempè Princeps Antiochiæ, Princeps Galileæ, Princeps Montis Regalis, Dominus Saeti, Dominus Toroni, Dominus Cæsareæ, Dominus Sur, Dominus Tabariæ, Comes Zaphi, Comes Ruchas, Comes Tripolis, Comes Carpassi, Sinischalcus Hierusalem, Sinischalcus Cypri, Comestabilis Hierusalem, Comestabilis Cypri, Marescialis Hierusalẽ, Marescialis Cypri, & Zãberlanus Cypri. Sed multi ex his titulis sublati fuerũt sub ultimis Regib. Cypri, & aliqui etiam sub Venetæ Reip. Dominio. Etenim non omnes hiusmodi tituli hæreditarij erant: verum ut plurimum ad libitũ Regis patritiis ipsis conferebantur, dum uiuerent: quandoque etiam post mortem, ut titulus comestabilis Cypri, qui ab ultima Regina Catherina Cornelia assignatus fuit familiæ Dauilæ inter nobilissimas, ac opulentissimas connumeratæ, ex qua Ortus est Ferdinandus Dauila Episcopus olim Rhetimi, & nunc Asculanus, quem in uiuis hodie agentem, & tùm alia eruditione, tum verò eloquentia florẽtem familiaritatis, obseruantiæ, ac honoris causa nomino, Vt neque præterire silentio mihi licet fratrem eius Aloysium, atque Antonium omnium parentem ob summas virtutes, morum comitatem, & magnum rerum usum summis quibusq; nostri ęui Principibus carissimos.

Cæterum incolæ uniuersæ Insulæ, qui extra urbes inhabitant quinque diuersæ conditionis sunt, nempe Parici, Lefteri, Perpiarii, Albanenses, & Veneti albi. Inter hos Pariciorum, id est obligatorum conditio miserrima erat, quippe qui non minus quàm mancipia tractabantur; hi namque singulis annis uectigal quoddam suis Dominis persoluebant, & aliis one-

Incolæ Cypri, ut plurimũ Græci.

Nobiles Cyprij ex Gallia sunt oriundi.

Patritij Cyprij titulares.

Parici quij dicantur.

ribus grauabantur, nam singulis hebdomadis duobus diebus operas dominis gratuitas locabant, quibus tertiam quoque partem omnium terræ fructuum singulis annis soluebant. Qui domini omnem in eos potestatem habebant, & omne dominium, ut eos tum carcere, tum exilio mulctare possent, fustibus cedere, torquere, deniq; eos omni alia præterquam capitis ac sanguinis pœna afficere poterant; hoc enim iuris solus ipse Rex obtinebat, quinetiam eos uenundare, permutareque ijs licebat. Contraque lis à dominis libertatem redimere 60. circiter aureis facultas erat, remanentib. tamen eorũ agris paricis, i. obligatis suis dominis eademmet conditione; sicut prius Lefsteri dicuntur quasi liberi, & hi quidem prius erant Parici antequam liberati essent, & intelliguntur etiam eorum filij esse liberi: exceptis tamen illis, quos genuerunt antequam liberarẽtur; hi namque intelliguntur Parici. Lefsteri aut quintam, uel sextam fructuum partem, quos ex agris suis colligunt, Domino persoluunt. Cautum verò lege est, ne hi Lefsteri cum Paricijs matrimonio coniungantur, quia omnes filii qui ex eis nascuntur intelliguntur esse Parici. Perpiarij sunt quidam ex Paricis, qui tempore Ducũ Cypri libertatem obtinuerunt unà cum eorum filiis, ac descendentibus hac tamen pactione, ut singulis annis persoluant quindecim perpiros pro singulo, qui perpirus genus quoddam numi est Constantinopolitani, sed tamen horum agri remanserunt parici, idest subiecti sicut prius. Albanenses sunt quidam populi dispendiarij, qui isthic ex Albania conducti sunt olim ad insulæ custodiam, & hi quidẽ filios procrearunt continuò, qui similiter ut milites stipendia exigebant, usque ad captam à Turca insulam. Veneti denique Albi dicuntur quidam Coloni, qui liberi sunt tam ipsi, quàm eorum filii persoluentes tantummodo Regibus, uel Reipublicæ Venetæ quandam exiguam pecuniæ portionem.

Lefstari.

Perpiarij.

Albanẽses.

Veneti Albi.

Status Ecclesiasticus Cypri.

Fuerunt olim Episcopatus in uniuersa insula 14. & omnes quidem Græcanici, sed ab Innocentio III. Summo Pontifice in Gratiam Reginæ Alisiæ ad quatuor tantum fuerunt redacti, & hi sunt Archiepiscopatus Nicosiensis duplex, alter Latinus, & alter Græcus; Episcopatus Famagustanus duplex itidem Latinus, & Græcus: Episcopatus Paphiensis Latinus, & Græcus: & Episcopatus Limissiensis duplex Latinus, & Græcus. Hi autem Episcopatus Latini oppida, seu casales, & decimas habebant; sed Græci Episcopi annuum stipendium à suis Presbyteris, & Diaconis subiectis exigebant more prælatorum Græcorum aliarum prouinciarum. Cæterum Archiepiscopus, & Episcopi Græci Latinos Episcopos sibi superiores agnoscebant, à quibus post eorum electionem in Episcopos per Consilũ Regium factam, ipsi Græci Episcopi confirmabantur, & à Græcis ad Latinos Episcopos in causis dabatur prouocatio. Neque verò in commemoratis vrbibus Græci Episcopi residebant, sed aliæ sedes ipsis assignatæ fuerunt ab Alexandro III. Pontifice, vt legitur in sua Summa Alexandrina: Etenim Archiepiscopus Græcus Nicosiensis sedem habebat in urbe veteri Soliæ, ac vocabatur Episcopus Soliæ, & gubernator, seu administrator populi Græci Nicosiæ. Episcopus Paphi commorabatur in urbe Arzos.

Latini Episcopi Græcis superiores sunt.

Propriæ Episcoporum sedes.

Epi-

Episcopo Limissiensi assignata fuit sedes Amathũtæ, sed quoniam illa urbs inhabitata erat, commorabatur in urbe Lescara: denique Episcopus Famagustanus residebat Carpassi: temporis tamen progressu his sedibus relictis, reuersi fuerunt in priores urbes, præterquam Episcopus Limissiensis, qui semper Lescaræ permansit. Non prætereundum etiam est, Archiepiscopum Nicosiensem Latinum, qui Archiepiscopus Cypri appellabatur, nulli Patriarchæ, sed soli Summo Pontifici parere, unde Primas Regni, & Legatus natus Summi Pontificis erat; deinde sub Pio IIII. hunc Archiepiscopatum iurispatronatus Dominorum Venetorum factum fuisse, qui semper quatuor uiros eligere solent, quorum uni à Sũmo Pontifice Archiepiscopatus ipse confertur. Præter Ecclesiam Latinam, & Græcam in insula hac aliæ quoque Christianorum sectæ sunt, ut Armenorum, Cophtorum, Maronitarum, Indorum, Nestorianorum, Georgianorum, & Iacobitarum, quæ fugatæ fuerunt à Rege Saladino post captam Hierosolymam, & illuc cum Rege Guido Lusignano commigrarunt, atque hæ omnes quidem sectæ suo utuntur Episcopo.


Archiepiscopus Cypri Primas est, & legatus natus.

Aliæ Christianorum sectæ in Nicosia.

Insulam denique hanc Iaphetum Noemi filium primum omnium inhabitasse scriptores tradunt, quæ postea Tyrannis Græcis subiecta fuit post extinctam Assyriorum monarchiam. Nam habuit Teucrum primo, qui Salaminam condidit, eiusque prolem usque ad Euagoram, & filium eius Nicoclem. Postea Romanis paruit, & horum auxilio in manus uenit Ptolemæorum Ægypti Regum, quorum postremus ueneno sublatus est, & denuò sub Romanorum Imperio cecidit. Occidente Imperio Constantinopolitani Imperatores eam tenuere, sub quibus insula ipsa à Ducibus regebatur annis circiter 800. post duces successerunt Reges Latini ex familia Lusignana Galliæ nobilissima. Postremò uerò sub ditione inclytæ Venetorum Reipublicæ peruenit anno Domini 1473. sub qua usque ad annum 1570. fœliciter permansit, quo à Selimo Turcarum Imperatore maxima Christianorum clade, ac miseria occupata fuit.

Dominij huius insulæ uarius successus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXX.

PALAESTINAE,

seu Terræ Sanctę descriptio vnà cum vicina Phœnicia.

Palæstinæ regiones.

PALAESTINA particularis Syriæ prouincia ualdè insignis est, cùm locorum, tùm uerò rerum gestarum, quas Scripturæ sacræ commemorant, celebritate. Sub qua quidem ceu generali nomine IDVMAEA, IVDAEA, SAMARIA, & GALILAEA comprehenduntur.

Palæstina olim Canaã

Dicta uerò fuit antiquitus CANAAM à Canaam filio Chami, cuius filii ipsam terram inter se distribuerunt; quod nomen eousque retinuit, donec ab Israelitis fuit occupata, à quibus inde ISRAEL

Israel etiam dicta Palæstina vndicatur. Terra Promissionis, vel Terra Sancta.

uocabatur. Ptolemæus, & alij hanc prouinciam PALAESTINAM appellarunt, à Palæstinis populis magni nominis propter potentiam, & bella, qui in sacris literis *Philistim* sunt uocitati. Dicta quoque fuit olim Terra promissionis, ut in sacris Codicibus constat; nunc autem *Terra Sancta* vulgò solet nuncupari.

Palęstinæ fines.

Iacet inter Mediterraneum mare, & Arabiam, qua ex parte montibus ferè continuis à natura ultra Iordanem fluuium uallatur, atque ab extrema Aegypti ora incipiens, ut ait Herodotus; uel ut alij dicunt, à Sirbonis lacu usque ad Phœniciam porrigitur. Vnde his continetur finibus, à Septentrione Phœniciæ parte; ab Ortu Aestiuo Libano monte; à Meridie, & partim ab Oriente Arabia; ab Occasu autem maris Mediterranei parte, quo in loco mare Syrium, & Phœnicium nuncupatur. Extenditur ab Austro in Septentrionem à grad. 31. usque ad gr. 33. & paulò plùs, hoc est inter medium tertij, ac mediũ quarti climatis, occupans 9. & 10. parall. unde isthic maior dies æstatis accidit hor. 14. & uersus Borealem limitem horarum 14. cum quadrante; longitudinem uerò occupat à Meridiano gr. 63. cum dimidio usque ad Meridianum gr. 67.

Situs cœlestis Palæstinæ.

Palæstinæ mensura.

Huius regionis lõgitudinem nonnulli tradunt esse 1600. mill. ab Austro scilicet in Boream latitudinem uerò mill. 60. At Brocardus quidam Monacus eius longitudinem leucis 64. definit, ab urbe scilicet *Dan*, quæ olim Lachis, & Cæsarea Philippi dicebatur usque ad Bersabee, quę nunc *Giblim* appellatur; latitudinem uerò ab Occidente in Meridiem leucarum ferè 16. computat, à Iordane scilicet fluuio usque ad mare magnum, seu Mediterraneum. Verumtamen ultra Iordanem regio etiam hęc extenditur, quę quidem portio transIordanis nuncupatur, & Perea Plinio,

Transiordania.

Terra

Palæstinæ laudes, & præstantia.

Terra hæc illustris semper, uel ab ipso mundi exordio fuit, ceu ex sacris litteris constat, & celeberrima etiam nostris temporibus est ob ortum miracula, passionem, & mortem CHRISTI Redemptoris nostri; clementissimo autem gaudet aere, & corpora hominum salubria, ac laborum ferentia parit, namque in medio Orbis constitutum esse prisci uoluerunt, ubi nec frigore nimio riget, nec calore torretur. Vnde ipsam Israelitæ, seu Hebræi eam esse, quæ Abrahæ semini à Deo promissa fuit, putarunt; amœna quoque est situ, planitiebus, & collibus ornata, uariarum opum diues, aquis illustris: rari autem in ea imbres, sed tamen uber solum; nam hoc præconio in sacris literis celebratur, quod reliquas terras bonitate, ac fœcunditate sua excellat. Vnde frumentum delicatissimum, reliquasque fruges feracissimè mittit; rosas uerò odoratissimas, rutam, fœniculum, saluiam, & alia olera humus ipsa sponte producit: isthic etiam oleæ, ficus, malogranata, & palmæ frequentes sunt, ac uineæ etiam satis: nam licet hodie Saracenis incolis uini usus interdicatur, bona nihilominus optimi uini quantitas pro reliquis nationibus isthic habitantibus conficitur; fiuntque tres in anno vindemiæ. Poma tamen nostratia non fert hæc terra, nec pira, cerasa, nuces, aliosue fructus nobis familiares, sed hi è Damasco illuc deferuntur, habentur verò hic fructus quidam, qui per totum annum in arboribus conseruantur, vt sunt poma citrina magna, & poma paradisi. Colliguntur præterea hic pepones, cucumeres, melones, citruli, cucumeres Babylonici, & alij fructus id generis; balsamum etiam olim proferebat, quo nūc caret, sed tamen melle affluit colocasia, & sacchariferis harundinibus; lana quoque succida ibi in fruticetis crescit, quorum semina singulis annis in terram proijciuntur. Aprorum, capreolorum, leporum, perdicum, coturnicum, ac aliorum huiusmodi animalium, & volucrum optima est hic uenatio, atque etiam leones, vrsi, & cameli innumeri isthic inueniuntur. Cæterum nonnullis in locis Palæstinæ agri sunt penè deserti ob murium, & soricum abundantiam, quos nisi quædam aues deuorarent, nullam segmentem possent facere incolæ.

Terra promissionis.

Miræ Terræ Sanctæ fertilitas.

Balsamum olim isthic prueniebat.

Sacchari harundines.

Iordanis fl.

IORDANIS fluuius mediam hāc regionem irrigat, cuius aqua dulcissima est, in qua peregrini sese solent abluere. Oritur autem is amnis in montis Libani radicibus à duobus fontibus Ior, & Dan uocatis, nec adeò latus, nec profundus est, ac à Septentrione in Meridiem tendit, suoq; curſu duos efformat lacus, nempè Samachonitis, hoc est Cānæ Galilææ, & Tiberiadis, qui etiam mare Galilææ, & lacus Genezareth vocatur, tandem in mari mortuo exoneratur. In huius fluuij ripa innascuntur salix nigra, myrica, uirex, & multa arundinum genera, quibus Arabes adiacula, tela, & leues lanceas conficiendas, atque etiam in scribendo vtuntur.

Samachonitis lacus.

SAMACHONITIS lacus, seu potius stagnum aliis Meron dicitur, seu Aquæ maronitæ, efficiturque, ut diximus Iordane amne in valle quadam, teste Broccardo, præsertim tempore resolutionis niuium à Libano fluentium, quod quidem stagnum æstate, ut plurimum exiccatur crescentibus

tibus ibidem arbustis, & herbis, in quibus leones, & aliæ bestiæ latitant.

Tyberiadis lacus.

GENESARETH lacus, seu mare Tyberiadis, aut Galilææ, nunc *Babariæ* dictus, limpidissimas hēt aquas, ac piscosissimas in quas Cyprini, Lucij, Tracæ, & Squalo Romanorum, & Venetorum capiuntur, lacus is nō adeò latè patet, quin terra circumquaque conspici possit nonnullæ ambitum eius tradunt 20. milliarium, longitudinem 16. qua à Septentrione in Meridiem porrigitur, latitudinem uerò sex, atque planicies circa ipsum desertæ sunt ob napecæ arboris spinosæ copiam, quæ agros impediunt ne seri queant. Hebræi tamen nunc circum lacum piscationis gratia inhabitant, ac loca antea deserta cultiora reddunt.

Mare mortuum, uel salsum.

MARE MORTVVM, vel salsum, quod etiam lacus Asphaltites nuncupatur à bitumine, cuius multi olim hic erant putei, est locus, ubi fuit olim uallis syluestris, uel salinarum, quæ propter fœcunditatem, & amœnitatem Paradiso Dei confertur, in qua fuerunt Sodoma, Gomorra, & aliæ tres urbes, quæ à Domino ob fœdum peccatum contra naturam subuersæ sunt, ac fulminibus conflagratæ. Habet autem is lacus longitudinem ab Aquilone in Austrum quinque diætarum, & latitudinem ab Ortu in Occasum quinque leucarum, vt testatur Broccardus, at alij scribūt huius longitudinem 70. milliaria implere, latitudinem uero 19. emittitq; fumum, & nebulas in modum camini infernalis, ex quo tota illa vallis, ad dimidiæ diætæ spatium sterilescit, neque pisces fert, nec aues circa se, & quodcunq; animal in comergitur etiam ligatis manibus, aut pedibus enatare dicunt.

Sodoma, & Gomorra vrbes submersæ.

Terra Sācta olim populo refertissima.

Hæc porrò terra fuit olim populo numerosissima, vt quæuis alia orbis prouincia. nam ferunt, Regem Dauid isthic collegisse millies mille, & tercentum millia homines ad bellum idoneos præter Tribum Beniamin.

Varia Terræ Sanctæ calamitas, & imperij mutatio.

Populus verò is ab initio iustū, sanctum, Deoq; deditum, ac deuotū sese præstit, & à Principe Iuda Iudæus dictus fiat, cum prius Hebræus uocaretur, successu tamē temporis plures calamitates perpessi sunt, ipsi Hebræi, donec tandem omnino fuerunt regno exuti, qui dispersi alio confugerunt. Siquidem prouincia hæc uarias subinde mutationes perpessa est: Nam, vt de antiquorum Patrum sæculis taceam, post CHRISTVM anno 73. capta fuit Hierosolyma à Tito, & subuersa occisis multis millibus hominum, & multis millibus captiuatis, quæ tamen anno 136. Christi ab Ælio Adriano fuit restaurata, & de suo nomine ÆLIA uocata, quā inhabitandam Iudæis concessit. Verum tempore Constantini Imper. & Helenæ eius matris sub Christianis cecidit vsque ad annum 609. quo à Persis capta fuit, relictis tamen in ea Christianis, qui isthic usque ad Henricum Quartum perdurarunt, quo tempore capta à Saracenis, & Sultanis Hierosolyma Christiani ipsi fugati sunt.

Hierosolyma sub saracenis.

Verum an. 1097. celebrato per Pontificem generali Concilio recuperandę Terræ Sanctę gratia, creati fuerunt Milites Cruciferi ex omni Europæ prouincia, qui sub Gothifredo Bolione, & aliis Ducibus suscepta profectione uersus Terram Sanctam cum trecentis millibus peditum, & centum mil-

Terra Sancta à Christianis capitur.

millibus equitum Niceam primum, & Antiochiam expugnarunt: deinde Syriam ingressi oppida eius aliquot occuparunt, moxque Hierusalem, atque subinde totam Terram Sanctam recuperarunt, cuius dominium 88. continuis annis obtinuerunt usque ad annum 1185. quo per Saladinum

Terra sãcta iterum sub Saracenis.

Persarum Regem Saracenis iterum subacta fuit; sed paulò post maiori ex parte recuperata fuit à Christianis, rursus denuò an. 1217. sub Saracénis cecidit; atq; iterum Christianis an. 1229. restituitur, sed an. 1248. Hierusa-

Terra sãcta sub Aegypti sultanis, & postremò sub Turca.

lem ab infidelibus occupatur, & reliquum Terræ Sanctæ, an. 1290. quę sub Aegypti Sultanis permansit usq; ad an. 1517. donec eis expulsis, atq; deletis à Turcarũ Imperatore occupata est, sub quo miserrimè tota iacet hęc

Incolæ Terræ sanctæ.

prouincia, quę incolas nunc habet omnis ferè nationis, ac diuersos situs obseruantes, ut sunt Saracenni, Arabes, Turcæ qui Maumeti dogma sequũtur, deinde Hebræi, & Christiani, quorum alij Sacrosanctę Romanæ Eccle-

Christiani isthic omnis generis.

się ritum obseruant, alij uerò Schismatici sunt, quales sunt Græci, Syriani, Armeni, Georgiani, Nestoriani, Iacobitę, Nubiani, Maronitæ, Abyssini, Indi, Aegyptij, & multæ aliæ gentes CHRISTVM confitentes, & colentes, habentque omnes suos peculiares Episcopos aliosue prælatos, quibus seorsim pareant.

Palæstina in 12. Tribus diuisa.

Cæterum Palęstina cum ab Israelitis occuparetur in duodecim partes, quas Tribus uocarunt, fuit diuisa, quorum nomina fuerunt *Ruben, Simeon, Iuda, Zebulon, Isachar, Dan, Gad, Aser, Naphtali, Beniamin, Manasse,* & *Ephraim*. Sub Roboam uerò Rege Salomonis filio, cum hæc prouincia per seditionem in duas partes discerneretur, duæ ex his Tribus in unum ceciderunt nempe *Iuda*, & *Beniamin*, quæ tamen sub IVDAE nomine cõprehendebãtur: reliquiæ decem Tribus, quibus Reges Samariæ pręerant obtinuerunt nomen ISRAEL. Post uerò Babyloniæ captiuitatem in duas

Terræ sãctæ alia diuisio.

iterũ regiones est distincta, uidelicet in SAMARIAM, & GALILÆAM, & tunc reges Israel in Samaria urbe habitabant, quę hodie *Sebaste* vocatur. Galilęa autem ab alienigenis gentibus occupabatur, quæ quidem reli-

Galilæa duplex.

quis Iudæis cœpit esse inuisa: hęc distribuebatur tunc in Galilęam superiorem, & in Galilęam inferiorem. Post hæc tempora vsque ad Christi Aduentum, atque etiam deinceps hæc ipsa Terra in tres partes fuit distin-

Terræ sãctæ alia partitio

cta, nempè in GALILAEAM, quæ fuit superior pars uersus Sidonem & Tyrũ urbes Phęnicię: in SAMARIAM, quæ media est, & in IVDÆAM, quæ inferior est pars ad Austrum, & Arabiam Petræam; Quibus aliqui quartam adijciunt portionem, nempè IDVMÆAM, quæ usque ad Sirbonis lacum producitur propè Ægypti confinia. De quibus Angulis partibus, nunc seperatim agemus.

GA-

GALILÆA.

Galilææ fines.

GALILÆA regio Libani & Antilibani altissimorum mõtium iugis Septentrione clauditur. Ab occidente Phœniciam uicinam habet; ab Ortu Cælesyriæ coniungitur, sed Meridionalem eius partem Samaria, ac Arabiæ deserta concludunt. Solum ipsum situ fœlix, optimum, ac fertilissimum est, atque omnium generum arboribus

Qualitas.

consitum, quòd quidem Iordanis amnis per medium ferè scindit, iuxta cuius ripas frequentissimi sunt pagi, & uici. Quinetiam torrentibus montanis, & fontibus aquarum perennium abundè irriguum est. Quo fit ut agri ex toto ab accolis excolantur, nec ulla eius pars ociosa relinquatur. Vnde meritò hæc terra olim de palma cum Samaria, ac adiacentibus regionibus certabat. Ciuitates isthic frequentes fuerunt, & oppidorum, ac pagorum multitudo, quorum gentes ab ipsa infantia pugnaces ualdè erãt.

Galilææ diuisio.

Diuiditur ipsa regio in superiorem & inferiorem. SVPERIOR GALILÆA, quæ gentium etiam Galilæa uocatur, contermina est Tyro urbi Phæniciæ, ubi Salomon Rex 25. urbes Chyram Regi Tyri olim dono concessit, & in hac quidem Iordani fontes sunt. INFERIOR autem GALILÆA, Tyberiadis ẽt dicitur ab urbe id nominis, vel quoniã Tyberiadis lacũ complectitur, iacetque ad Meridiem, atq; etiam trans Iordanem amnem extenditur, qua ex parte desertis squalet, ac montibus exasperatur. Est autem hæc regio memorabilis nunc, ob insignem, sed tamen exiguum pagum NAZARETH uocatum inter colles irriguos situm, ubi CHRISTVS conceptus fuit, namque in eo est sacellum exiguum in fornicem

Superior Galilæa.

Inferior Galilæa.

Galilæa.

Nazareth pagus.

extructum, & subterraneum, quo per gradus descendendum est, ubi Diuæ Mariæ Virgini annunciatum fuit ab Angelo, ipsam Christum Dominum nostrum parituram. Incolæ huius oppidi Arabes sunt, qui corpore breues & graciles sunt, gestantes talarem tunicam ad suras usque demissam, pilis caprarum contextam, albo, & nigro coloribus distinctam, atque sine arte ruditer consutam, interulam ferunt longissimam, & talarem uestem superantem, cuius manicæ latæ sunt, & longæ; horum pileus est niger & acuminatus. Vtuntur uerò in bello arcubus, ensibus, & pugionibus. Est etiam in hac regione THABOR mons mira rotunditate sublimis, cuius Septentrionalis pars inaccessa est, in quo quidem monte Dominus noster IESVS CHRISTVS transfiguratus fuit.

Thabor mons.

SA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SAMARIA.

Samariæ situs.

SAMARIA pulcherrimo,& vberrimo in loco Palæstinæ sita est,licet Iudeæ, aut Galilææ, inter quas iacet, magnitudine non sit conferenda. Hæc à Samaro quondam sic denominata est. Et habet quidem ab Occasu æstiuo mare nostrum: A Septentrione, & ab Oriente partim Galileæ confinis est proximè lacum Tyberiadis, atque Iordanem egressa ad Arabiæ vsque deserta extenditur. Terra montibus partim aspera, partim campestris est,amœna, fertilis,ac fontibus dulcibusque aquis copiosa: abundat autem hortis, oliuetis,& omnibus ad victum necessarijs. Memorabiles vrbes huius prouinciæ fuerunt hæ:

Samariæ fines.

Qualitas.

Samaria vrbs.

SAMARIA, quę *Sebasten* postea dicebatur,caput olim Regni decem Tribuum,quod Regnum Israel dicebatur,sed hodie dirupta penè est,paucasq; habet domos.atque in ea etiam nunc rudera conspiciuntur magnificorum ædificiorum. CAESAREA PALESTINÆ, vel Stratonis iuxta littus posita, quam nunc *Azon* nominari censet Pinetus. NEAPOLIS, quæ etiam *Sichar*,vel *Sichem* appellata fuit, nunc verò *Napolosa*, vel *Napolitza*, & *Naplos*, hæc amœnitate, ac delicijs nullo loco inferior est, & in accliui collis sita est, castellum habens peruetustum, apud quam octaua milliaris parte conspiciuntur in valle rudera exigui cuiusdam templi,ubi puteum fuisse perhibetur, super quem CHRISTVS sedens potum à Samaritana muliere postulauit, quæ tunc aquam ex puteo hauriebat. Napolosæ uicini colles fructiferis arboribus egregiè,ut ait Bellonius, exculti sunt, oleæ in magnam crassitiem adolescunt, viscoque rubris baccis prædito onustæ sunt.

Caesaria Palestinæ.

Neapolis vrbs.

Puteus vbi Christus aquam à Samaritana petijt.

IVDÆA.

Iudęa situs.

IVDÆA cæteris Palæstinæ partibus longè celeberrima est, quæ eadem terrarum fertilitate sicut olim gaudet. Iacet autem inter mare Mediterraneum, & lacum Asphaltem,qui dicitur Mare Mortuum, atque etiam inter Samariam, & Idumæam Nomen ei potissima Tribus IVDA indidit, in qua quidem, sicut in reliquis Palæstinæ locis, vrbes, & oppida complura fuerunt, quorum omnium HIERVSALEM clarissima fuit, Iudææque metropolis, ac totius Orbis terrarum primaria Possessio Patriarcharum,Prophetarum,& Apostolorum mater; initiatrix fidei; & gloria populi Christiani, quæ ÆLIA CAPITOLIA Ptolemæi tempore uocabatur, & hodie à Barbaris incolis COZ, seu GODZ, aut CHVTZ dicitur. Sita autem est edito in loco hoc est in montanis, & undequaque ad eam iter perpetuò ascendendum est. Posita verò est ab Austro in latere montis *Sion*, & ab Occidente habet montem *Gion*,Orientalem eius murum Torrens *Cedron* attingit,qui sua irrigatione uicina

Hierusalem vrbs.

uicina loca lætificat, namque ea amœnissima sunt delicijs plena, & uiridarijs,ac hortis consita. Distat uerò hæc urbs à Cairo Aegypti nouem circiter dierum itinere, quam non solum medium locum Iudeæ possidere D. Hieronymus putauit, sed umbilicum esse uniuersi mundi. Namque Orientalis illi Asia est, Occidentalis Europa,à Meridie,& Austro Libya & Africa,& à Septętrione Scythæ Armeni,Persæ & reliquæ Ponti nationes. Quanta olim fuerit hæc urbs,conijci potest ex Tacito,qui initio obsidionis omnis ætatis, sexusque ducenta millia hominũ in ea fuisse refert: at hodie plusquam quinque millia habitatores non numerat, licet ob locorum sanctitatem perpetuò gentes hunc ex omni mundi parte confluant. Fuit autem his postremis temporibus nouis, & prælatis muris percincta, licet infirmis. Inter ipsam urbem præter cætera est præstantissimum D. NOSTRI IESV CHRISTI SEPVLCHRVM, cuius Templum comprehendit totum Caluariæ locum, qui in plano situs est, sublime autẽ est,& rotunda forma, ac in alto apertum, unde lumen recipit: at uerò sepulchrum ipsum conclusum est sacello quodam fornice rotunda tecto ex solido marmore, & huius custodia Latinis Christianis demandata est. Debet autem quicunque sepulchrum ingredi uult nouem persoluere aureos, unde ex hoc sepulchro quotannis Turca octo millium Ducatorum prouentum recipit. Ab hoc autem Sepulchro centum, & octo pedum interuallo distat CALVARIAE locus,in quo CHRISTVS à perfidis Iudæis crucifixus est. Sunt etiam isthic complura alia loca sanctitate sua memorabilia. Cæterum peregrini,qui isthic aduenium hospitio excipiũtur pro cuiusque,quam profitentur religione,ut Latini apud Franciscanos extra urbem in monte Sion, Græci apud Caloieros Græcos in urbe apud Sepulchrum habitãtes,sic & reliquæ nationes,ut Abyssini, Georgiani, Armeni, Nestoriani, Maronitæ, & alij apud suos excipiuntur,qui singuli peculiare habent sacellum: solent autem Franciscani Ordinis Monaci, qui ritum sequuntur Latinum, quique maiori ex parte Itali sunt, milites sancti Sepulchri creare,& eorum præfectus in monte Sion præbere solet diploma peregrinis,qui ab alio missi sunt, ut constet eos isthic fuisse. Extra ipsam urbem est VALLIS IOSAPHAT, ubi est tumulus D. Virginis, & D. Annæ. Regio autem uicina huic urbi bene culta est, atque uinetis malis,amygdalis, ficubus, & oleis diligentissimè consita. Montana uerò loca omni arborum genere syluestribusque, & aromatis herbis abundant, excolitur autem in ipsis scopulis terra scalarum in modum summa diligentia,montium pars occidua uitium, aliarumque fructiferarum arborum, ut olearum,ficuum, malorum punicorum opulentissima est.

Distantia Hierosolymæ à Cairo.

Incolarum numerus Hierosolymæ.

Sepulchrũ Iesu Christi

Caluariæ mons.

Milites à Sepulchri.

Montana loca Hierosolymæ.

Præter Hierosolymam in Iudæa sunt etiam alia oppida,ac loca celebria, ut sunt BETHLEHEM exiguus pagus in Tribu Iuda,qui olim EPHRATA uocabatur, estq; nunc casulis malè instructus,ut ait Bellonius, & nihil elegans continens præter magnum, & superbum Franciscanorum monasterium; in quo locus est, ubi CHRISTVS de Maria Virgine natus est. RAMA urbs ampla olim fuit,ut ex eius ruderibus apparet. Nam ut ait

Bethlehem pagus.

Rama urbs.

Bel-

Bellonius teſtis oculatus, ciſternæ, & fornices, quæ hodie ſuperſunt, maiores ſunt Alexandrinis, licet non adeò frequentes Rimetha etiam in ſacris litteris dicitur, & à Caſtaldo *Lyda*. Sita eſt autem in pingui & fœcundo ſolo, ſed adeò habitatoribus deſtituitur, ut pagum, ſeu uillam potius referat. Vnde agri magni ex parte ſunt inculti, potior autem incolarum pars Græci ſunt, qui iſthic frumentum, hordeum, legumina, & paucas uites colunt. GAZARA urbs ueteribus Gaza dicta peruetuſta eſt, ac ad Tribum Iuda pertinebat; ſita autem eſt in littore maris, & tranſit per eam uia in Aegyptum, muris autem cincta non eſt, & ueterem habet arcem quadrangulam in colle ſitam, ſed non firmam, cui præeſt Sangiacus quidam. Ager circa ipſam urbem fertilis eſt, abundatque ficubus, oleis, ziziphis, malis punicis, & uitibus, alit etiam nonnullas palmas, ſed cuius fructus ſerò maturantur, regio etenim frigidior eſt. Incolæ Græci ſunt, Turcæ, & Arabes, qui uineta ſua diligenter colunt. Nonnulli hanc urbem ſub Idumæa reponunt.

Gazara urbs.

Agri Gazarę conditio.

Incolę Gazarę.

IDVMÆA.

Idumæ ſitus.

IDVMAEA regio incipit à Caſſio monte, uel ſecundum alios à Sirbonis lacu, & verſus Ortum ducitur uſq; ad Iudęam. Hæc autem in ſacris literis. *Edom* dicitur, & referente Nigro olim *Boſra*, deinde *Nabathea* dicta fuit. Hi populi ſecundum quoſdam hodie *Bidumi* uocantur, quos ortum duxiſſe à Nabatheis referunt, qui Iudæis legibus fuerunt coniuncti. Regio ipſa uerſus mare, & Iudæam eximiè fertilis eſt, & pinguiſsima, ſed in Arabiæ confinibus ſterileſcit, & montibus exaſperatur; abundat palmis, quæ ſcriptoribus celebrantur, & balſamum olim quoque nutriebat. Tradunt ſcriptores, regionem hanc inexpugnabilem eſſe ab exteris propter loca deſerta, & aquis deficientia. Sunt tamen in ea fontes plurimi, ſed abſconditi, ac ſolis incolis noti. Natio incondita olim erat, turbarum cupiens, ſemperque ad motus facilis, atque ſuſpecta, & rerum mutationibus læta; hodie autem Arabibus uicinis ferè ſimiles ſunt.

Idumææ populi.

Idumeæ qualitas.

Idumæa inexpugnabilis.

Incolarum mores.

PHOENICIA.

Phœnicia Syriæ pars.

CONSPICITVR in hac eadem Palæſtinæ Tabula Phœniciæ prouincia, quæ Syriæ pars eſt, & ad mare expoſita eſt Galileæ contigua. Sumit initium ab Aquilonè à riuo Valaniæ, & extenditur ad montem uſq; Carmelum Celſum, & ſcripturæ celebrem, ubi locus eſt, qui hodie *Caſtrum peregrinorum* uocatur. Incolæ fuerunt olim literarum, & nauigationis inuentores, & commerciorum Domini. Continebat olim hæc terra complures celebres urbes, & oppida, quæ ſunt

Phœnicię ſitus.

Incolæ Phœniciæ.

Vrbes celebres.

Tripolis,

Tripolis, Beritus, Sidon, Tyrus, Ptolemais, Capharnaum, Emiſſa & aliæ, inter quas Sidon, & Tyrus celebres erant ob purpuram tingendis pannis laudatiſſimam. TYRI urbs celebratiſſima quondam, ac orbis emporium & Rom. colonia in ſacris litteris *Sor* vel *Tzor* uocatur, & hodie *Suri* uel *Sur* dicitur, retinet autem ueteris ſuæ maieſtatis plurima ueſtigia: namq; magnum habet murorum ambitum, formam rotundam, rupi duriſſimæ inſidens, & undiq; mari circundatur præterquam ab oriente, vbi ab Alexandro magno, dū eam obſideret, continenti fuit adiuncta, cum prius inſula fuiſſet, iacet nunc tota deſtructa, & eſt receptaculum latronum, & contumacum Druſorum. Fuit ſedes archiepiſcopalis, cui ſuberat epiſcopatus Sidonienſis, Aconenſis, Puncenſis, & Berytenſis. Paulo ante eius orientalem portam eſt locus, in quo Chriſtus prædicauit, & ubi mulier extulit uocem de turba dicens: *Beatus uenter qui te portauit*. SIDON Metropolis quondam celeberrima ſplendore ac potentia Tyro haud cedens magna ſui parte in ruinis hodie iacet. Solum eius fertile eſt & cannas mellis ſatis producit. Vocatur autem nūc *Said*, ſeu *Sait*. ACON quæ apud ueteres *Ptolemais* dicebatur, & *Ace* etiam teſte Strabone, atque ad Tribum Aſer pertinebat, amæno montis iugo clauditur. Et eſt, ut ait Brocardus, optimè munita, cincta muris, & ante muralibus, turribus, foſſis, triangularem in modum clypei habēs formā, cuius duo latera iunguntur mari, tertium uero terræ planitiem reſpicit. Habet agrum fertilem, optima paſcua, uineas elegantes, & amæniſſimos hortos in quibus diuerſi generis fructus colliguntur. Ornatur hæc urbs hoſpitali inſigni domus Theutonicæ una cum munitiſſimis caſtris, ſed & non parum commodi habet ab optimo portu maris capaci ab Auſtro multarū nauium. Hæc Brocardus, qui deſcriptionē terræ ſanctæ reſpectu huius urbis abſoluit. Præterluit hanc urbem amnis *Belo*, qui & ſi lentus curſu ſit ac inſalubrium aquarum, nihilominus celebris eſt ob arenas, quæ tot retro ſæculis pro uitro conficiendo uſui ſunt. BERYTVS antiqua urbs, & Iulia olim fælix dicta uulgo nunc *Barutum* dicitur, diſtatq; a Sidone. 9. leucis, erat olim epiſcopalis urbs, nunc autem famoſa eſt ob commercia, & mercaturam; namque ad eam naues ex Europa & aliis partibus appellunt, unde emporium eſt nobiliſſimum, ſita uerò eſt in loco tutiſſimo, & inexpugnabilis ferè eſt.

Tyri urbs.

Sidon urbs.

Acon urbs.

Acon urbis ager.


Amnis. Belo arenas ad uitrum conficiendum producens.

Berytus urbs.

EMISSA hodie a Turcis *Hamam* teſte Bellonio dicitur, & ab Arabibus *Hamza*. Hæc ſita eſt in latè patente planicie, quam elegantes uiri alluūt, & olim celebris fuit ut ex eius mœniis conſpici poteſt; quæ ex ſolido ſaxo ſunt conſtructa, atque adhuc integra ferè ſunt, ſed interior vrbis pars omnino corruit, nihilq; ſpectatu dignum habet. Abundat hodie omnibus ad uictum neceſſariis, & magnam habet ſerici ſtaminis abundantiam, ager urbis irriguis hortis amœnus eſt, in quibus fructi ferę arbores aluntur.

Emiſſa vrbs

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXXI.

PERSICI, seu SOPHORVM IMPERII DESCRIPTIO.

Sophorum Imperium potentiſſimum.

SOPHORVM Imperium inter potentiſſima totius Orientis imperia connumeratur, quod quidem licet a Saracennis primo, ac deinde a Tartaris oppreſſum multo iam temporis ſpatio iacuiſſet, nihilominus prę terito ſęculo antiquum ſuum ſplendorem recuperauit ſub Iſmaele Rege. Situm autem eſt inter Turcicum Imperium, Tartaros Zagatheos, Cambriæ regnum, & inter Hircanum, ſeu Caſpium mare, ac ſinum Perſicum. Vnde ab ortu quidem ab Indis & Cambriæ regno montibus, ac deſertis ſeparatur: a Septentrione partim Tartaros habet iuxta Abianum, ſeu Oxum fluuium, partim verò Hircanum ſeu Caſpium mare: ab Occaſu confines habet Turcas iuxta Tigrem fluuium, ac lacum *Giocho* vocatum: a meridie autem ſinu Perſico clauditur. Quod ſanè terræ ſpatium ampliſſimum eſt, complectitur enim plùs minùs gradus 38. ab ortu ad occaſum: nã orientaliſſimus eius meridianus eſt grad. 120. & occidentaliſſimus grad. 82. A meridie verò ad Auſtrum occupat grad. 20. nempe a grad. 23. vſque ad grad. 43. circiter.

Fines eius.

Situs cęleſtis.

Regionis qualitas.

Regio autem hæc uniuerſa agrorum qualitate ualdè diſſimilis eſt: alicubi admodum fertilis, vt pote uerſus ſinum Perſicum ob fluuiorum copiam ipſam irrigantium, atq; etiã verſus mare Caſpium, tùm ob fluuiorum opportunitatem, tum etiam ob aerem clementiorem, frigidioremque auram: reliqua autem pars ſiccitati maximè ſubiecta eſt, ac aquis deſtituitur, in eaque multa deſerta, ac aſperrimi montes. Vnde regio ipſa ciuitatibus & oppidis infrequens eſt, præterquam iuxta fluuios, ac lacus. Nullum præterea communem habet fluuium, imò fluuij omnes parum nauigabiles hic ſunt. Metallis tamen affluens regio eſt, & lapillos precioſos, ſed de ſingulis eius partibus infra dicemus.

Fluuii ibiq; parum nauigabiles.

Perſarum mores.

Sunt autem Perſæ hodie in uniuerſum cunctorum hominum mitiſſimi, & cum primis liberalitate cæteris præferendi, neque barbaros habent mores ueluti vicini Turcæ & Scythæ: ſed politiæ, militiæ, uenationi, & liberalibus artibus; præſertim verò Aſtrologiæ, Medicinæ, ac Poeſi incumbunt: commerciis quoque ac artibus mechanicis operam nauant, ac magna apud hos ſericorum pannorum contexitur quantitas, quæ per uniuerſam Syriam, ac alias orientis regiones diſtrahitur. Apud hos fratres, ac parentes humaniſſimè tractantur, & nobilitas ſan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinis valdè extimatur contra Turcarum consuetudinem, suntque inter hos principes uiri potentes, ac opulenti: unde hi sanguinis nobilitate, ciuilitate, bellica laude, & ingenii præstantia Turcis longè præferendi sunt. Præterea ipsi Persæ aduenas benignè accipiunt, ac pertractant: sed tamen zelotypiæ morbo magnopere laborant. Vnde mulieres eorum in aduenarum cospectum comparere non permittunt, licet alioquin illas uenerentur contra Turcarum morem, qui uxores mancipiorum loco habent. Mulieres autem Persæ formosæ sunt, ac singulari pulchritudine præditæ, quæ sumptuosè induuntur, ac ornantur. Sunt insuper ipsi Persæ contra antiquum morem uoluptatibus, & lasciuiæ admodum dediti, & sumptuosè uestiuntur, odoribus ac suffumigiis utuntur, & gemmis uariis ornantur ac oblectantur, & licet plures accipiant uxores, puerorum tamen amore capiuntur, sicut Turcæ, ac propria habent nefariis loca his voluptatibus destinata, in quibus pueri ad explendam libidinem seruantur. Horum idioma elegans est, & uniuersi orientis aulis penè omnibus frequens: proprios olim habebant characteres, qui hodie vix inueniuntur in antiquorum monumentorum vestigiis: sed postquam Maumetanam susceperunt sectam, Arabica et lingua apud eos in usu esse cœpit. Vocantur autem *Ayami* seu *Azamii* ab *Azamia* regione, quæ olim fuit Assyria, ut quidam uolunt. *Persiani* verò a Perside prouincia ipsius regni præcipua. sed *Chesselbas* à pileo rubeo, quod supra caput gestant, atque etiam *Sophiani* a Sopho eorum principe. Militiæ uis apud hos in equitibus consistit, qui strenui sunt, ac uariis utuntur armis, præcipuè uerò artubus scythicis: pauca apud hos sunt tormenta bellica, & pauci quoque sunt inter hos pè-dites milites. Persarum autem Rex ad bellum mittere potest circiter 30. millia equites, & sæpe cum uicinis Turcis religionis causa belligeratur: nam alter alterum scismaticum uocat, uerum ut plurimũ Persæ a Turcis damna patiuntur, & his quidem, vltimis temporibus eorum Regiam urbem, nempe Taurim, amiserunt præter plura alia loca: nullas habent maritimas uires, licet regnum ipsum ad mare usque Caspium extendatur, & ad sinum Persicum.

Perſicũ idioma in uſu eſt invniuerſi orientis aulis.

Perſę uocantur etiam Azamii, Cheſelbas, & Sophiani

Perſarũ Rex

Regiones particulares Perſici imperii.

Cõprehenduntur autem sub Persico Regno hæ particulares antiquorum regiones, nempe Media hodie *Seruam*, uel *Seruania:* Assyria hodie *Arzerum*, vel *Azamiæ* pars: Susiana nunc *Cuseſtan:* Mesopotamia nunc *Diarbeca* seu *Azamiæ* pars: Persis hodie *Farsi*, vel *Farsiſtan:* Parthia nunc *Arach:* Hyrcania nunc *Straua*, vel *Diargument:* Margiana hodie *Ieſelbas:* Bactriana nunc *Charaſſan:* Paropamisus hodie *Sableſtan* seu *Candahar:* Aria hodie *Eri*, uel *Coraſan:* Drangiana, hodie *Sigeſtan:* Gedrosia hodie *Circan:* & Carmania hodie *Chermain*. Ormus etiam regnum est in huius imperii limite, quod proprium regem Maurum agnoscit. Præterea Georgiani sequebantur in bello Persiæ Regem, quorum prouincia Gurgistam dicitur. Nunc verò de singulis his regionibus agendum est.

Media

MEDIA PROVICIA HODIE
Seruan seu *Seruania*.

MEDIA regio celebertima olim Aria uocata teste Pausania, hodie, ut omnes ferè uolunt, dicitur *Seruan*, uel *Seruania*, & ampla quidem ac alta est, hoc est magna ex parte montuosa atq; frigida, præcipue uersus septentrionem, unde ibi frugifera parum est, & solos arboreos fructus proferẽs, ac ferinas carnes, nam fruges ibi parum proueniunt, & mitia animalia non aluntur. At uerò meridionalis eius pars magis habitatur, & frumento, uino, ac animalibus domesticis mire affluit. unde ualdè opulens est. Sunt autẽ ipsius Mediæ fines ab occasu Armenia maior, & Assyria, a Meridie Persis: ab ortu Hyrcania, & Parthia, & a septentrione Caspium, seu Hyrcanum mare. Fuit autem olim potentissima totius Asiæ regio, ac pugnatricem gentem producens, quæ toti ferè Asiæ quondam dominata est. Diuidebatur olim in Maiorem Mediam, & in Atropatiam.

Media regio qualis.

Fines Mediç.

Mediæ laudes.

MAIOR MEDIA continet nunc territorium TAVRIS. Vrbs hæc *Ecbathana* antiquorum est ut Ortelio & Minadoo placet, non autem *Terua* ut putat Iouius. aut *Tigranoama* ut Nigro uidetur: Posita est autẽ ad montis Orontis radices distans a mare Caspio octo dierum itinere, & aere potitur salubri licet uentoso ac frigidiusculo, & agro omnium rerum fertili, eius ambitus 16. circiter milliaria colligit, sed muris non percingitur, & 200. millia habitatores continet: multæ in ea iunt diuitiç, & mercimoniis admodum opportuna est. Fuit olim Regia sedes Sophorum, antequam a Tamase sopho translata fuisset in urbe Casbin, sed Capta fuit ab Amurate Turcarum Imperatore nunc regnante anno Domini 1585. qui in ea arcem munitissimam construi fecit. CASBIN regia Sophorum postrema sedes meridionalior est, quam Tauris, & hanc quidem Minadous Arsaciam Strabonis putat esse. Inter Taurim & Casbim est etiam *Turcoman* urbs, ac aliæ quoque urbes sunt in ipsa Media magna, vt *Saru; Sultania; Nassiuan*, quæ Nasuana, vel Artassata antiquorum fuit, ut quibusdam placet: *Ardouil*, quæ prima sedes fuit Sophorũ sectæ, in qua Guinet, Sederdin, & alii descendentes: qui fuerunt auctores sectæ Sophianæ regnarũt, & *Marant* in ipsius mediç fine. Est quoq; *Sancazan* locus uicinus Tauris famosus in ultimo bello gesto inter Amuratem & Sophorum regem.

Maior Media.

Tauris urbs

Tauris à Turca capta.

Casbin vrbs regia hodie.

Turcoman urbs.

Ardouil urbs.

ATROPATIA est Mediæ pars septentrionalior iuxta Hyrcanum mare, quã Canac fluuius ab Armenia diuidit. cuius regia urbs est SVMACHIA, quæ iacet inter *Derbent* & *Eres*. Fęcunda autem satis est hæc regio, quam Araxes & Cirus amnes abluunt, in qua aliæ urbes præstantes ac oppida sunt præter Sumachiam, nempe *Sechi* in confinio Georgiæ, *Giauat* in confinio Mediæ maioris, & *Eres*, quæ olim famosa fuit ob serici optimi miram copiam.

Atropatia.

Sumachia urbs regia.

urbs alia Atropatiæ.

ASSYRIA HODIE ARZERVM. seu Azamiæ pars.

Assyriæ fines.

ASSYRIA prouincia iacet inter Armeniam maiorem a septentrione, Mesopotamiam ab occasu Tigri fluuio interfluente, Susianam a meridie intermediantibus asperrimis ac desertis locis, ac inter Mediam ab ortu. Dicitur autem hodie Nigro teste *Adinsa*, a Giraua *Azemia*, a Pineto *Mosul*, a Mercatore *Sarh*, & a Castaldo *Arzerum*: quidam tamen uolunt Assyriam esse partem *Cussestan*. Regio plana est, fluuiis frequens, ac feracissima. & Assyrii ipsi uetustissimi sunt, qui quidem Astronomiam primi adinuenerunt ob regionis opportunitatem, qua ex omni parte cœlum intueri absque ullo impedimento potest, ac apparentiæ cœlestes obseruari. In hac olim fuit famosa ac nobilissima urbs NINIVE iuxta Tigrim amnem, quæ Babylone maior erat, ut pote 60. millium passuum ambitu. Continebat olim prouincias Arrapachite, Adiabenam, & Sittacenem, quæ ut quibusdam placet dicuntur hodie *Botan*, *Sarca*, & *Rabia*.

Assyriæ uaria nomina recentia.

Regionis qualitas.

Niniue urbs

Prouinciæ Assyriæ.

SVSIANA NVNC CVSESTAN.

Susiana unde dicta.

SVSIANA Regio Dominico Nigro dicitur *Chus*. Mercatori autem & Minadoo *Cusistan*, & uocatur sic ab urbe Clarissima SVSA, modo *Chus* & ipsa uocata, ut Nigro placet, aliis uero *Sustra* quæ supra Enelæũ amnẽ modo *Tirtirum* condita est, ac quindecim millia passuum in ambitu colligebat; figura oblonga. Sunt uerò Susianæ fines a septentrione Assyria: ab occasu Babylonia iuxta Tigrim fluuium: ab ortu Persidis pars: & a meridie Persicus sinus, ubi ora palustris est ac importuosa. Potitur autem ipsa regio torrido ac æstuoso aere ob montes prælatos, qui ad septentrionem illi maximè imminent, ac boreales excipiunt flatus. Est uerò dives admodum, & frumenti hordeique prouentu beata, sed tamen quædam in ea sunt loca bitumine infecta, in qua difficile plantæ coalescunt & aquæ ab eis emanantes bituminosæ sunt, morbosque in intestinis pariunt, unde ibi breuis est hominum uita. Præcipuè autem in Susiano agro naphtha ebullit circa ipsam urbem. in hac etiam regione serpentes complures reperiuntur hominibus obnoxii.

Susianæ termini.

Susianę qualitas.

ME-

MESOPOTAMIA, NVNC DIARBEcha, seu Azamiæ pars.

Mesopotamiæ nomina.

REGIO hæc in sacris literis *Aram*, uel *Charam* dicitur; nunc autem *Diarbeca* uocatur ut Mercatori & Minadoo uidetur: sed Bellonio est *Azamiæ* pars, cuius reliquum est Assyria. Dicitur autem Mesopotamia, quasi inter duos fluuios media, iacet enim inter Euphratem & Tigrim fluuios famosos ab occasu & meridie Syriæ. Vnde eius fines sunt a septentrione maior Armenia iuxta Taurum montem: ab occasu Syria iuxta Euphratem fluuium: Ab ortu Assyria Tigri fluuio separata: & a meridie Arabia deserta. Est autem ampla satis regio, & pro cœli qualitate natura uaria: nam quibusdam in locis mirè fertilis est, & pro pascendis pecoribus admodum idonea: quibusdam uerò in locis sequienti æstui subiecta adeò est, ut pleraq; animalia uapore solis, & cœli extinguantur, ibique rari sunt aquarum fontes, qui etiam, ut ait Niger, incolarum fraude cęlantur. Hyeme autem dira est regio ob luti profunditatem, quo pedes uiatores uix extrahere possunt. Sunt præterea in ipsa regione infœlicia alia loca, nempe patentes campi, uastæ solitudines, & profundissimæ arenæ herbis, arboribusque destitutæ. Fert uerò aromata nonnulla, præcipuè autem amomum, deinde etiam naphtham, seu bitumen liquidum. Passa fuit regio hæc maximas calamitates a Turcis in ultimo bello contra Persas. Vrbes in ea præcipuæ sunt. ORFA, cuius ambitus est septem milliarium, quæ famosa est ob mortem Crassi. CARAEMIT ideſt urbs Nigra Turcicè, olim uero dicebatur Amida, & est in regione quæ dicitur *Alech*, ac Metropolitana totius Mesopotamiæ, quam quidem Selymus Turcarum Imperator Sophis arripuit. Eius ambitus est 12. milliarium, & agrum habet nigerrimum ac fertilissimum. MERDIN, quæ gossipio, affluit, ac sedes est Patriarchæ Chaldeorum: MOSVS, quæ pannis auro & serico contextis dives est, ac Patriarchæ Nestorianorum sedes est, cuius auctoritas ad Indiam usque & Cataium extenditur.

Fines eius.

Qualitas eius.

Orfa urbs.

Caraemit urbs.

Merdin urbs.

Mosus urbs

PERSIS, HODIE FARSI, vel Farsitan.

Persidis uaria nomina.

PERSIDIS prouincia prius Panchaia dicta fuit a Pancheo rege, deinde Cephena a Græcis. Postremò uerò Persia a Perseo nominata fuit qui in Asiam ex Græcia transuectus est. Nunc uero *Farsi* uel *Farsistan* Mercatori, & aliis uocatur licet quidã esse *Azamiam* putent: eius uerò interiorem regionem *Chorasan* Ce-

Fines Persidis.

drenus uocat. Habet autem a septentrione Mediam: ab occasu Susianã: ab ortu Carmaniam: a meridie sinum Persicum ab ipsa prouincia denominatum, iuxta quem 600. millium passuum uelificatione extenditur.

Persidis laudes ac qualitas.

Fuit autẽ hæc regio imperio potẽtissimo olim famosa, sicut etiam hodie sub Sophis regibus, & est magna quidem regio, & natura uaria: nã eius septentrionalis pars montana est ac frigida, fructibus ferendis parũ idonea, in qua smaragdi adinueniuntur, sed minimè translucidi. Media uero pars campestris est, fluminibus, ac lacubus copiosa, & oĩum rerum ferax. Sed meridionalis pars, quæ ad sinum Persicum excurrit æstuosa est, uentosa, palustris & importuosa, nec fructus aliquos edit, nisi palmas.

Siras vrbs.

Regia Persidis urbs est SIRAS, quæ olim Persepolis, uel ut alii uolunt Ciropolis dicebatur, ac Maiorum orientis regum olim sedes fuit, quam Alexander cognomẽto magnus depopulatus est. Est uerò hodie pulcherrima & inter maiores totius orientis, nam ambitu suo patet 20. milliaribus, comprehensis tamen suburbiis, & appositа est fluuio Bindimiro, atque 60. millia populationes continet.

PARTHIA, NVNC ARACH.

Parthiæ varia nomina.



ARTHIA prouincia famosissima, ac olim potẽtissima, dicitur nunc *Charassen* Nigro teste a Metropoli in ea *Charas*, sub quo ẽt nomine uult cõprehẽdi *Zagatheã tartariam*. Mercatori autẽ & Minadoo dicitur *Arach*, & Alphonso Hadriano dicitur *Iex*. Cuius quidem regionis fines sunt ab ortu Aria: a meridie Carmaniã deserta: ab occasu Media: a septentrione aut Hyrcania. Est autem hæc regio nemorosa ualde, & altissimis undique montium iugis uallata, & licet æstui obnoxia sit, nihilominus omnia fert, & magnas præsertim gignit arbores, præterq; oleam, atq; etiã fluminibus irrigua est. Incolas uerò belli cosissimos parit, qui olim famosissimi, ac bello inclyti fuerunt, atque orientis imperium obtinuerunt. Famosæ urbes hodie in ea sunt

Fines Parthiæ.

Qualitas Parthiæ.

Cassan urbs

CASSAN, quæ opulenta admodum est, *Sembran*, *Teracan*, *Amadan*, *Imammadulasis*, *Malam*, *Massiat*, *Sasuar*, *Coran*, *Culbat*, *Cur*, *Ciem*, *Turbat*, *Tursis*, & aliæ. Sed Parthiæ caput est urbs HISPAHAM, quam aliqui uolunt esse antiquorum Ecatompyle, quæ quidem adeo præstans est ut a Persis dimidia orbis pars uocetur.

Hispaham urbs.

HIRCA-

HIRCANIA HODIE STRAVA, vel Diargument.



EGIONEM hanc Niger ait a barbaris quibusdam *Girgiam* uel *Corcam* dici a quadam ciuitate in ea, sed a parte, qua *Straua* & *Errit* ciuitates, sunt *Mesandran* appellari ait. Minadous autem totam Hircaniã *Mesandram* uocari nunc scribit. Sed *Hyrach* Erythræo dicitur, *Straua* Mariæ Angiolello, & *Diargument* Mercatori. Sunt autem eius fines ab occasu Media: ab ortu Margiana: a meridie Parthia Corono interiacente monte. A septentrione Hircanum mare. Regio hæc plana est, & fęcunda, ac opulenta; namque frumentum, uinum, ficus, ac fructus abundanter producit, & arbores profert ex quibus mel defluit; sericum etiam copiosè mittit. Septentrionalis eius pars syluas habet immensas quercu, pinu, & abiete refertas, atque immanibus feris copiosas, quales sunt tigres, pantheræ, & pardi, & littoralis pars iuxta Hyrcanum mare herbida est, ac florida ob aquarum dulcium humorem è superioribus rupibus scaturientium. HIRCANA urbs metropolis est, a nomine regionis appellata, quæ natura munitissima est, & *Carizath* a Scythis dicitur Pineto teste. aliæ urbes sunt *Bestan*, *Masandran*, & quædam aliæ.

Hircaniæ uaria nomina

Fines Hyrcaniæ.

Qualitas Hyrcaniæ.

Hircana urbs.

MARGIANA, HODIE IESELBAS.



ARGIANA tractus Mediæ Ptolomęo est, quæ hodie *Tremigan* Pineto dicitur & *Tartariæ Zagatheæ* pars Nigro, sed *Ieselbas* Castaldo & alijs. Habet ab occasu Hircaniam; ab ortu Bactrianam; a septentrione Oxam fluuium; & a meridie Arię partem. Est autem terra hęc satis ampla, sed magna ex parte deserta, ac arenis squalens præter partem illam, quæ Ario atque Margo fluuiis abluitur, est enim hæc amæna admodum & fertilissima. Margus uerò fluuius, qui regioni ipsi nomen dat è Sariphis montibus decurrẽs recepto in se Ario in Oxam aquas mittit. Pars deserta dicitur nunc *Bigul* desertum, sed pars culta dicitur olim Margianus campus centum ac nonaginta millia passuum in ambitu habens, quem (vt ait Niger) Antiochus Soter muro circundedit; est enim locus vites optimas habens, quarum nonnullos truncos duo uiri uix complecti queunt, racemũ duorum cubitorũ, benigni tũ cęli, tũ soli natura adeo ut in toto illo tractu uitibus sola gaudeat. Quodq; mirabilius est centum & sexaginta millia passuũ undiq; uersum harenis desertis circunfusus est, in faciẽ theatralẽ montib. clauditur, ex quo accessus ad eũ difficiles fiunt. Circa quẽ cãpum Alexander sex oppida

Margianæ nomina.

Fines Margianæ.

Qualitas Margianæ.

Bigul desertum

Margianus campus.

pida in editis collibus ædificauit: duo ad meridiem, quatuor spectantia orientem, modicis inter se stadiis, distantia, vt mutuum auxilium præsto haberent adinuicem. Hactenus Niger. ANTIOCHIA urbs caput Margianæ est, quam nunc *Indion* esse nonnulli putant. Et in hac regione Oxiana palus, quæ nunc dicitur *Babacamber* lacus, uel *Marù*.

Antiochia vrbs, nunc Indion.

BACTRIANA NVNC CHARASSAN.

Bactrianæ nomina.

Fines.

BACTRIANA regio, hodie *Batter* dicitur a Ramusio; sed Castaldo & aliis *Charassan*, & Mario Nigro est *Tartariæ Zagatheæ* pars. Habet autem ab occasu Margianam iuxta montana: ab ortu & septentrione Sogdianam iuxta Oxam fluuium: a meridie Ariam Paropaniso iniecto monte. Est uero ampla regio ac uaria, nam ex parte culta est, & ex parte deserta. Pars quidē culta Oxo fluuio uicina est, quæ frumentum ac alias fruges abundè profert, & pecuariæ rei accommoda satis est; & largis fontibus ubique irrigua, ac præterea arbores penè omnes, ac uites fert præter oleam. Quæ autem cultura uacat (ait Niger) spacioſissimo ac nudo sabulo longè ac latè sternitur, neque aliter, quam uastum æquor syderibus obseruatis noctu præterreunt: interdiu enim laxitate camporum, quo iter dirigatur nulla est uia, idque crebris arenarum motibus, flantibus præsertim ab occidentali plaga uentis, ex quo cuncta mutantur sæpeque ab iis inuoluti transeuntes necantur. Profert præterea regio hæc metalla, & lapillos quosdam precioſos, ut smaragdos, hyacinthos, & chrysolitos, & a compluribus amnibus irrigatur, qui omnes in Oxam influūt, inter hos est Ochus nauigabilis cuius aqua turbida ac pinguis semper est, & potui insalubris. Insignes olim in hoc tractu urbes fuere, quarum aliquæ ab Alexandro fuerunt conditæ, nonnullæ etiam ab eodem euersæ. Sed regia urbs fuit BACTRA ab amne eiusdem nominis sic appellata, quam nunc *Bochara* uocari asserit Niger, ac etiamnum regionis caput esse, ac cæteris tum magnitudine, tum munitione præstare, & hæc quidem fuit Auicennæ medici, & Zoroastri magi patria. Alii tamen Bactrianæ caput ISTIGIAS urbem faciunt, quæ reliquis orientis amænior est. Prouincia uero hæc non est hodie uniuersa sub sophorum imperio.

Qualitas Bactrianæ.

Bactra urbs.

Istigias vrbs

PARA-

PAROPAMISSVS HODIE Sablestan, seu Candahar.

PAROPAMISSVS regio sic uocatur, quoniam insulæ speciem præbeat, nam magna ex parte aquis fluuiorum præcingitur. Hodie Nigro teste dicitur a quibusdam *Datha*. sed Minadous putat uocari *Candahar*, & alii *Sablestan*. Sunt eius fines a septentrione Bactrianæ pars iuxta Paropamissum montem, a quo munitur: ab occasu Aria: a meridie Aracosia: & ab oriēte India. CADAHAR urbs caput est regionis, quę mercaturę admodum opportuna est, vbi ex India & Cathaio mercatores concurrunt.

Paropamissus.

Fines eius.

Candahar urbs.

ARIA, HODIE ERI, vel Corasan.

ARIA regio (modo sic uocari scribit Niger) alii *Eri* uocant: sed *Corasan* Castaldo est, & *Sernere* Mercatori. Clauditur inter Margianam & Bactrianæ partē a septentrione: Parthiam, & Carmaniam desertam ab occasu: Drangianam a meridie: & inter Paropamissum ab ortu. Terra hæc solis caloribus ualdè obnoxia est, desertis circundata, & syluis ac montibus obsessa: habet tamen quædam loca campestria fructifera in conspectu montium, a quibus a solis ardore defenduntur, quæ habitationi magis idonea sunt. & in his quidem campis præter fruges optimum nascitur uinum ad 90. annum perdurans. Colligitur etiam isthic spina lachrymarum precioſa myrrhæ similis, & saphirus nigri, ac flaui coloris in saxorum uenis eruitur. Regionem hanc tres præcipui amnes abluunt nempe Arius, Toncletus, & Arapenes præter alios, & in ea est palus Aria ingens ualdè, quæ nunc *Burgianus* lacus uocatur. ERI urbs hodie Metropolis regionis est, cuius ambitus 13. milliaria amplectitur, & in hac quidem urbe tanta est rosarum optimi odoris copia, vt Persæ urbem rosarum patria lingua hanc appellent.

Ariæ regionis fines.

Qualitas Ariæ.

Eri urbs.

DRAN-

DRANGIANA, HODIE SIGESTAN.

Drangiana.

Drangianæ fines.

DRANGIANA Prouincia hodie *Sigeſtan* uocatur, ut Mercatori & aliis placet: Dominicus tamen Niger putat *Segeſtam* uocari Drangianã cum Aracoſia. Sed alii dicunt Aracoſiam hodie dici regnum *Cabul*, quod eſt in confinio Regni ſophorum uerſus occaſum ac proprium habet regem Saracenum. Sunt eius fines a Septẽtrione & occaſu Aria ſub monte Bagoo: a meridie Gedroſiæ pars: ab ortu Aracoſia. Diuidit hanc regionẽ Drangius amnis, a quo regioni nomen datũ fuit, qui hodie *Ilment* in tabulis recẽtibus uocatur, & regio ipſa adeò mõtibus clauditur, ut uix iter inueniat in ea prædictus amnis.

GEDROSIA, HODIE CIRCAN.

Gedroſięno mina.

Fines eius.

Qualitas.

GEDROSIA regio hodie *Charman* appellari putat Niger *Circan* Caſtaldus. *Geſt* Mercator *Guzarate* Giraua & Moletius, ſed *Guzarate* eſt Camboiæ regnum. Sunt a ſeptentrione huius regionis Drangiana, & Aracoſia: ab occaſu Carmania: ab oriente Indię pars, ſeu Camboiæ regnum, a meridie Indicum pelagus. Eſt autem hæc regio ut plurimum deſerta, arenis profundiſſimis inuoluta, aquis inops, licet æſtate imbres habeat, & ſolis arboribus obnoxia. unde ſterilis eſt ueluti uicina Carmania; fert tamen aromata nonnulla ut nardum & mirrham.

CARMANIA, HODIE CHERMAIN.

Carmania duplex.

Deſerta Carmania.

Fines eius.

Carmania altera.

CARMANIA Prouincia hodie *Chermain* uocatur, quę quidem Ptolemęo duplex eſt, altera deſerta, altera quæ ſub ſimplici nomine Carmaniæ comprehenditur, & ab aliis maior uocatur. DESERTAM CARMANIAM, hodie *Dulcindam* quidam uocant: & dicta fuit deſerta, quia in ea nulla ſunt oppida, ſed tantummodo pagi aliquot diſperſi ob ſolis malignitatem, & aeris intemperiem: eſtque plana tota ac æſtuoſa, cuius fines ſunt a ſeptentrione Parthia: ab occaſu Perſidis pars: a meridie Carmania altera. & ab ortu Aria.

Iacet inter deſertam Gedroſiam, Perſidis partem, & Indicum mare, CARMANIA ALTERA cognominaturque maior ad deſertæ differentiã, tametſi ẽt huius pars maritima deſerta ſit, ac arboribus deſtituta: ſed

ſed eius interior pars læta ſatis, fructifera, ac uitifera eſt. Quæ uerò deſerta eſt palmam, acanthum & myricam profert. Mittit etiam hæc regio argentum, æs, ferrum, arſenicum, & alabaſtrum probatiſſimum. Extẽditur autem uniuerſa hæc prouincia iuxta mare 200. leucis, cuius ora importuoſa eſt ob breuia ac ſcopulos. Metropolis urbs eſt CHIRMAIN, quæ celebris eſt ob pannos ex auro, & argento contextos. Diuidunt hodie quidam Carmaniam in duas partes, quarum una dicitur *Dulcinda* & eſt orientalior ipſius pars in confinio Cambriæ, continetque regna *Macran*, *Eracain*, *Guadel*, & *Patan*, quæ olim tributaria erant Perſarum regis, & hæc quidem pars ſterilis eſt, ac malè habitata. Altera uerò Carmaniæ pars occidentalior eſt, quæ portubus magis cõmoda eſt, fluuiis opportuna, & populo ac oppidis frequens. Armuziæ, ſeu Ormuz regnum.

Chirmain vrbs.

Diuiſio hodierna Carmaniæ.

Iacet in confinio Perſici Imperii ORMVZ regnum ualdè potens, quod Armuſam Ptolemæi, & Armuziam Plinii eſſe quidam putant. Comprehendit autem partem illam oræ Perſiæ, quæ abluitur a fluuiis *Tabo*, *Tiſſindo*, & *Druto*, cum inſulis aliquot Perſici ſinus, ac præterea aliquam Arabiæ fęlicis partem prope fretum ſinus Perſici. Huius regni caput eſt inſula ORMVZ ad fretum ſinus iam dicti quæ ambitum continet 9. milliarium, & a continenti 12. abeſt milliaribus, in qua urbs eſt eiuſdem nominis, emporium celeberrimum, quæ maritimis vrbibus præferenda eſt omnibus, & ſitu elegantiore, ac unionum copia nulli urbium ſecunda, eſt tamen in ea annonæ mira caritas, & aquarum potu ſuauium, nam inſula hæc ſterilis ualdè eſt, neque triticum mittit, unde in ea omnia comportantur ad uictum neceſſaria, & uigent in ea commercia ob ſitus opportunitatem ubi ex India, Perſia, & Arabia afferuntur ſericum, lapilli precioſi, uniones, margaritæ, & aromata. Eſt exiguus mons in hac inſula, cuius una pars mineras habet ſulphuris, alia uero ſalis mineras. Incolæ formoſi ſatis ſunt partim Arabes, partim Perſæ, qui ex oryza, ut plurimum uictitant, & muſicæ ac bonarum artium ſtudiis operam impendunt, quorum Rex Saracenus eſt, qui tributi nomine quindecim Seraphinum millia in ſingulos annos Portugallenſibus pendet, qui iſticarcem tenent munitiſſimam, ac optimè prouiſam; atque olim tributarius erat Perſarum Imperatoris.


Ormuz regnum olim Armuzia.

Ormuz inſula & vrbs.

Mons ubi meneræ ſalis & ſulphuris.

Rex Ormuzianus tributarius eſt Portugallẽſium.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXXII.

INDIAE ORIENTALIS DESCRIPTIO,

Cum innumeris Insulis per orientalem, ac Indicum oceanum sparsis, ad eam spectantibus.

INDIA Maxima Asiæ regio nobilissima totius terrarum orbis pars est, quam nulla alia superat uno comprehensa nomine, Tartaria tantum excepta. Hæc ab Indo fluuio, qui Persiæ limes est, denominatur, qui sanè fluuius modo *Diul* incolis, & *Hynd* appellatur, sed a Cambaiæ populis *Inder* seu *Caercede*. Concluditur autem hæc Regio, secundum Strabonem, ac Plinium occasum uersus ab Indo fluuio celeberrimo, a Septentrione Tauri iugis: ab ortu Eoo pelago, seu oceano orientali: a meridie Indico oceano. Sed hodie non exiguum spatium citra Indum fluuium regio ipsa complectitur. Occupat verò maximum cœli tractum tàm in longum, quàm in latum. Namque secundum longitudinem complectitur circiter. 53. meridianos, quorũ occidentalissimus est in gr. 106. orientalissimus est in gr. 159. at uerò iuxta latitudinem extenditur ab Æquatore, quem propemodum attingit, usque ad gr. 44. latitudinis Boreæ: quamobrem ad medium usque sexti climatis expanditur, ubi contingit maxima æstatis dies horarum 15. cum dimidio: atque una eius pars, quæ ad meridiem vergit, sub Torrida zona; altera uerò Borealis sub zona temperata cadit. Quidam tradunt, Indiam tantum littoris occupare, quantum per 40. dies noctesq; velificantibus curtus est.

India undæ dicatur.

India fines.

Situs cœlestis.

Littoralis Indiæ longitudo.

In duas olim regiones Gange fluuio famosissimo interfluente diuidebatur, cuius fluuii situs nunc a primæ noctę scriptoribus nostri temporis in dubium reuocatur. Quidam enim ex eis eum esse *Guengam*, qui in sinu Bengalæ influit: alii verò cum mercatore esse *Cantan* in confinio Chinæ putant, cui opinioni magis accedimus. Harum Indiæ partium altera, quæ occidentalis est, INDIA INTRA GANGEM dicitur, & in sacris literis *Euilath*, & nunc incolis *Indostan*. Altera verò ad orientem magis INDIA EXTRA GANGEM cognominatur, in sacris literis *Seria*, & ab incolis *Macyn*, seu *Magyn* teste Nigro, ac alii *Mangi* & *Chinam* uocant, qui Mercatorem sequuntur. Niger tradit etiam ex Ægypto in Indiam nauigantibus, ipsam Indiam in tres partes diuidi, sci-

Indiæ diuisio antiqua

Alia Indiæ diuisio a Nigro allata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scilicet in inferiorem, mediam, & superiorem. Inferiorem uolunt esse a fluuio Indo ad Barium amnem, quem adhuc nomen antiquum Niger retinere affirmat, & hanc *Caiserat* uocant. Mediam, quæ *Minibar* ipsis uocatur, ab hoc fluuio Bario ad fluuium Chaberim, nunc Nigro teste *Maber* dictum, capiunt. Superiorem uerò, quam *Maabar* uocant, a Chabui ad Gangem intelligunt. Et hæc quidem diuisio Indiæ solum intra Gangem est. Marcus Polus notat suo tempore in tot partes etiam distribui, atque maiorem *Malabar*, mediam *Abasciam* nuncupat, minori uerò peculiarem uocabulum non assignat. Recentiores quidam Primam seu Inferiorem Indiam ab Indo ad ciuitatem *Mangalor* accipiũt, mediam hinc ad Gangem, reliquam ab hoc fluuio ad Tartarorum usq; fines. Nos autem commoditatis gratia in duas principales partes eam diuidemus cum antiquis, nimirum in INDIAM INTRA GANGEM, quæ nunc est *Indostan*, & in INDIAM EXTRA GANGEM, quæ est *Chinæ* regnum. Rursus verò *Indostan* seu Indiam intra Gangem in duas partes distribuemus, nempe in INFERIOREM INDIAM, & in SVPERIOREM. Inferiorem Indiam accipiemus a Regno Cambaiæ, quod citra Indum fluuium incipit, ad fluuium usque Claaberim, circa cuius ostium Bengala urbs iacet. Superior uocabitur, quæ inter Chaberim, & Cantam iacet fluuium, quem cum Mercatore esse ipsum Gangem putamus.

Indiæ diuisio secundũ Marcum Polum.

Indiæ nostra diuisio.

Regionis qualitas & laudes.

Regio hæc Fauonii spiritu saluberrima est, tametsi cœlum habeat inæqualem ob eius uastam magnitudinem: nam alicubi calida est, nimirum Æquatorem uersus, alicubi uero temperata satis est ac potius frigida uersus Boream. Terra uero ipsa in uniuersum situ, cœli clementia, bonitate, ac feracitate longè cæteras quascunque orbis partes antecellit. Ea siquidem bis in anno fructus fert, ob quam causam nunquam India famem sentit, aut rarò inopia premitur. quod sanè ex fluminum excrescentia contingit, qui quemadmodum in Ægypto campos inundant. sunt tamen in ea deserta, exustaque loca, & quæ bestiis alicubi infesta, & syluarum uastitate inculta iacent. Cæterum ager & si ut plurimum frumento expers sit, legumina tamen & fruges uarias abundè mittit, & in primis hordeum, ac oryzam. Vnde incolæ huius partis uescuntur oryza, lacte, caseo, carnibus, piscibus, ac fructib. suauissimis. Vites isthic proueniunt quidem, sed raræ admodum sunt, ac paucis in locis, quo fit, ut ex palmis uinum exprimãt, atque ex oryza & hordeo potum cõficiãt. Fructus insuper arbores multos gignit, & arbores multis in locis liniferæ sunt, præsertim uerò Palmæ, ex quibus etiam uinum, acetumque exprimunt, & harum etiam fructus comedunt. Magnas profert harundines, ex quibus mel candidum ad instar gumi exprimitur, dentibus fragile, & nucis auellanæ magnitudine, & harũ quoq; radices dulces sunt. Sericum, & bombicem mittit magna in copia, & animalia tam domesti ca, quàm syluestria isthic multa sunt, nec nõ etiam aquatilia, quæ quidẽ omnia multo maiora sunt quam in cæteris orbis partibus, ut boues,

Bis in anno fructus India fert.

Vini exiguus prouẽtus.

cameli,

cameli, leones, canes, elephantes, & alia varij generis. Et quæ apud nos mitia sunt, apud hos magna ex parte sunt syluestrius. Maximum uerò apud illos est elephans, quorum ingens est copia, quibus assuetis in prælio magnopere utuntur, & interdum cum illis agriculturæ necessitates explent. Tradunt dracones in desertis tantæ magnitudinis inueniri, ut elephantes adæquent, cum quibus eis perpetua est discordia. Sunt quoq; innumeri serpentes, qui nisi ex campis in cauernas fluuiorum inundationibus ferrentur, vbi aquis extinguuntur, regio ipsa penitus deserta esset. Inter hos sunt aliqui absque pedibus qui crassitie sua hominem adęquant, longitudine sex cubitorum, quos incolæ assatos mirabili gustu comedunt, qui in delitijs etiam formicarum genus quodam habent ad instar paruorum cancrorũ, quas quidem pipere conditas edunt. Simiæ hic reperiũtur albæ, & chameleon animal, quem solo aere nutriri credit antiquitas, ac alia insuper animalia. Aues adinueniuntur uariarum specierum, & inuisæ cæteris nationibus præter gallinarum, fasianorum, & perdicum ingentem uim. Habet porrò India in partibus maximè Australibus multa aromata, & odorata quemadmodum Arabia, & Æthiopia, ut cinnamomũ, nardum, calamum aromaticum, & alia huiusmodi, sed piper sola hæc regio mittit, cuius arbor ad iuniperi, vel vt alij dicunt ad hederæ similitudinem fructus suos edit. Ebenum quoque arborem & ipsa sola habet, & in præruptis petris arbores quidam thus exsudant. Auro, argento, cæterisque metallis regio diues est, quàmuis Plinius eam plumbo & ære carere dicat: nam flumina auri micas deferunt, quæ stagnantia per campos aurum sparsum reliquerunt: sunt tamen, qui dicant aurum isthic non nasci, sed aliundè exportari. Lapillos precioſos innumeros ac margaritas non solum mare expuit, sed etiam mediterranea regio parit, ut adamanta, carbunculum, saphirum, ametystum, beryllum, calcedonium, Achatem, & alias gemmas.

Elephantes in India in numeri.

Serpentes quidam ab incolis cõmeduntur.

Aromata cõplura in India, & odorata.

Piper in India solum colligitur.

Lapilli preciosi.

Multis præterea fluuiis terra hæc irrigatur præter Indum & Gangem famosissimos; Nam Megasthenes prodidit sexaginta amnes Indiæ numerari, quorum permulti æstate crescunt instar Nili, quæ est potissima fertilitatis huius regionis causa. atque eorum aliqui in Nilum, & Gangem irrumpunt, aliqui uero proprijs ostijs in mare exeunt. Sunt autem post Indum, & Gangem celebriores *Mandoua*, *Guenga*, *Chaberis*, *Aua*, *Campumo*, *Menam*, *Menon*, & alii quidam. GANGES autem, qui in sacris literis *Phison* vocatur, omnium toto orbe maximus creditus est, hic autem ab Imao monte delapsus nouemdecim flumina, omniaque ferè nauigabilia in sese recipit, Plinius autem scribit 30. & alicubi adeò patescit, ut lacus uerius, quam fluuius uideatur: namque ad centum stadia se expandit, ubi minimum 8. millium passuum latitudine nec minore unquam altitudine, quam 20. passuum. Lacus denique hic perampli sunt, inter quos est lacus *Chyamai* patens in circuitu 400. milliaria, &

Fluuii Indię.

Ganges fluuius.

Chyamai lacus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

distans a mari 600. milliaribus, a quo plures fluuij præcipui ortum trahunt.

India quo tempore patefacta a nostris fuit.

Cæterum prouinciam hanc nobilissimam quę hactenus Europęis ob longinquam nauigationem incognita prorsus penè fuit, primus omnium Guasco Gamma Portugallensis detexit ac perlustrauit, superato bonæ spei capite ac vniuersa Africa circumnauigata: Et hoc quidem anno Domini 1497. Quod sanè facinus non minimum emolumentum vniuersæ Europæ attulit, ob immensam aromatum copiam, quæ commodiori itinere in eam continuo affertur, cum iam per omnem Indiæ oram Portugallenses potiores arces & emporia obtineant.

Incolæ Indiæ.

Complectitur autem nunc uniuersa ipsa India complures gentes lingua, forma, habitu, moribus, & religione longè diuersas, inter quas quatuor præcipuæ nationes sunt, nempe naturales Indi, qui ut plurimum Gentiles sunt: Hębrei, qui dispersi sunt per omnẽ mundi partem: Maumetani, quorum aliqui sunt Persæ, alij Scythæ, qui nunc dicuntur Mogores, habitantq; maiori ex parte in mediterraneis, alij uerò Mauri seu Arabes, & hi sanè innumeri sunt per uniuersam oram Indiæ maritimã, cum ab hinc annis ducentis maritimę oræ innumera oppida ac urbes cõmercijs opportuna per uim occupassent compulsis ad mediterranea incolis. Tandem isthic sunt etiã Christiani; nam præter quam plures christicolas, è uetustissima illa stirpe, quos olim Diuus Thomas instituit, qui dispersi in diuersis Indię partibus comperiuntur, sunt quoq; multi Portugallenses, ac multi ex naturalibus, qui Portugallensium opera sacrosanctum baptisma susceperunt.

Indorũ mores, & qualitates.

Sunt aũt in uniuersum Indi naturales statura procera ac valida, colore, subfusco, quibus ut plurimum longissima est uita prope 130. annorũ: lasciuiæ supra omnes mortales dediti sunt, qui barbam, nõ autem comã nutriunt non sine fuco cærulei aut crocei coloris: cultus præcipuus illis est cum gemmis ac alijs ornamentis: circa corporis habitum alij laneis, alij lineis, alii sericis pannis teguntur, & maiori ex parte nudi incedunt, obscena tãtum uelando; capita tegunt, ac pedes soleis muniunt caloris potius quã frigoris fugiendi gratia. Cæteris in rebus frugales sunt: literas pleriq; eorum non norunt, sed memoriter omnia administrant, ac legibus utuntur non scriptis: quidam etiam leges scriptas obseruãt, & studijs philosophiæ, Astronomię, & medicinæ incũbunt, sed magicę arti, augurijs, & superstitionibus plurimum operam nauant. Sunt uerò in legibus ac contractibus ualdè simplices, neque litigiosi sunt, ac paucissimi apud eos fures reperiuntur, quamobrem domos frequentius incustoditas habent. Vnam nonmodo ducunt uxorem sed plures, & quotquot unusquisquè alere potest, quarum una cæteris præstans ac uiro charior uel officiosior mortuo uiro unà cum ipso uiua comburitur. Ijdem etiã non tam cum uxoribus, uerum etiam cum matribus, auis, filiabus, nepotibusque, ac in propatulo coire turpe non putant. Plinius tradit, Indos prope gentium solos nunquam emigrasse finibus suis, quod haud dubiè

Vxores primæ Indorũ cõburuntur cum uiri cadauere plerisque in locis.

biè soli ubertatem declarat: ad hos uero plures è diuersis ac lõginquis partibus gentes aromatum, gemmarum, & aliarum mercium emendarum causa cõcurrunt. Nobilitas generis ac sanguinis apud hos summopere obseruatur, idq; ex ueteri instituto; unde singuli in eo uitæ genere uitam absumunt, quod initio susceperunt, & quod sui prædecessores sortiti sunt; neq; ullus unquam agricola aut opifex ad altiorem gradũ peruenire potest; quinimo huiusmodi homines miserrimæ conditionis sunt, & adeò in cõtemptu, ut ad alios superioris ordinis homines absq; metu ac pęna accedere nequeant. Militiæ uis apud Indorum Reges cõplures in *Nairis* consistit, & hi quidẽ sunt ciues & nobiles ipsi, qui post septimum ætatis annum ad agilitatem, ac dexteritatem incredibilẽ præparantur, crebra totius corporis inunctione ex sesamino oleo, quo sanè nerui ac ossa eorum laxantur adeò, ut totum corpus facillimè torquere possint, & ad libitum in quamcũq; partem flectere: deinde se se in corporis exercitiis, summa cura, ac uigilantia assuescunt, ac arma pertracta re apprimè discunt. Nonnulli etiam Indici Reges in mãcipiis ac seruis omnem belli potentiã reponũt, & quidam ex eis externo quoq; militem utuntur. Sũt apud Indos sacrorum antistites seu sacerdotes, qui ortum ducunt a uetustissimis ac nominatissimis Brachmanis, qui apud Græcos Gymnosophistæ appellabantur, & hi summopere coluntur apud eos, quorum alii in hominum frequentia uitam traducunt, alii in specubus ac solitudinibus degunt pura ac simplici uita uiuentes, nec ullis rerum illecebris capiuntur, quorum alimenta sunt, quæ tellus ferro inuiolata producit: alii uero sunt, qui cõtinuò peregrinãtes hinc inde uictum, quę ritant, asperrimis uestibus utentes, uel nudi incedentes. Inter hos sunt qui parcè uiuunt & ab omni uitiorum genere abstinẽt ad certum usq; tempus, quo trãsacto ad altiorem gradum maximo honore promouentur, uocanturq; tunc *Abduti*, cum prius *Iogues* appellarentur, & his quidem in posterum licet uirgines deflorare, & omne flagitii genus tãquã ex priuilegio committere. Dynastæ ac nobiles Indiæ *Caimales* ab incolis appellantur, & hi quidem ut plurimum in urbibus non habitant, sed extra quorum domus, muris, fossis, & sæpibus munitæ sunt. Verumtamen tàm Persæ Mercatores, quàm Arabes & Mauri, qui isthic inhabitant priuilegio nobilitatis gaudent, & hi etiam cum Nairis nubere solent. Sunt autem Indiæ ædificia ac domus uiles ac abiectæ præterquam Maurorum & Lusitanorum, sed antiquissima Indiæ ædificia, quorum etiam nunc aliquot supersunt, longè Romanorum, & Aegyptiorum ædificia excellunt. Potissima Indiæ pars ad oceanum meridionalem seu Indicum opposita est iuxta littus, seu oram maritimam, quæ & si plurimum portuosa sit, attamen plerisque in locis innumeris insulis, scopulis, ac breuibus percincta est, quamobrem tota illius nauigatio ex his laboriosissima ac periculosissima redditur, & huius quidem maritimæ oræ præcipua loca possident nunc Mauri partim, & partim etiam Portugallenses, ut dicemus in particulari descriptione singulatum

Nairi qui dicantur.

Brachmanes sacerdotes

Abduti, & Iogues religiosi.

Caimales Indiæ nobiles.

Potissima Indiæ pars ad littus maris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Indiæ partium, quàm nunc tradere incipimus facto initio ab inferiore India.

INFERIOR INDIA INTRA GANGEM.

Inferioris Indiæ situs.

INFERIOR India, quæ longo tractu ad meridiem in oceanum peninsulæ instar percurrit, clauditur inter duos fluuios Indum, & Chaberim, ac inter duos ingentes maris sinus, hoc est inter Canthi sinum Ptolemæi ad ostia Indi fluuij (recentiores sinum *Cambaiæ* vocãt, & Iosephus Indus sinum *Guzerat*, qui asserit olim Betrosia fuisse vocatum) & sinum *Bengalæ*, quem cum Mercatore Argaricũ sinum Ptolemæi esse credimus. Hanc itaque inferiorem Indiam *Gates* mons, qui Bettigo Ptol. Mercatori est, mediam penè secat, qui sanè mõs a Caucaso exoriens ad *Comorini* caput longo itinere 400. circiter leucarum porrigitur. Vnde vna huius inferioris Indiæ pars occidentalem orã obtinet, quæ insignes quatuor prouincias complectitur, nimirum *Cambaiam*, *Decan*, *Canaram*, & *Malabarem*, in quibus quidem singulis præstantes aliquot urbes sunt proprios regulos agnoscentes. Altera verò inferioris Indiæ pars iuxta orientalem oram sinus Bengalæ exposita est, in qua tria præcipua regna sunt *Narsingæ* videlicet, *Orixæ*, ac *Bengalæ*, cum particularibus aliquibus locis. In mediterraneis autem plura sunt regna, nempe *Delly*, *Mandao*, *Moltan*, *Citor*, *Pider*, *Cosperir*, *Aracan*, & alia ignota præsertim versus septentrionem. Nam referunt recentiores scriptores famosi, in tota hac inferiore India 47. regna cõtineri, quorum maiorem partem nuper Mogores Tartari occuparunt, Horum enim Rex, qui Magnus Mogor appellatur, possidet nunc præcipua regna *Cambaiæ*, *Delly*, *Citor*, *Mandao*, *Bengalæ*, ac alia, atque is in regno *Delly* residet, cuius tanta potentia est, vt ad bellum 300. millia equites mittere possit, ac præterea 50. millia elephantes, præter innumeram peditum copiam. Nullas tamen hic princeps maritimas habet uires, licet a duabus partibus ad mare extendatur, quoniam in sinu Cambaiæ a Portugallensibus impeditur, qui vniuersum illum sinum strenuè tuentur, ac in sinu Bengalæ portibus, & tutis nauium stationibus destituitur.

Gates mõs hanc partẽ mediam secat.

Prouinciæ huius partis iuxta occidentalem oram.

Regiones ad oriẽtem expositæ.

Regiones mediterraneæ.

Magnus Mogor.

OCCI-

OCCIDENTALIS ORÆ INFERIORIS Indiæ regiones, & primo.

CAMBAIÆ REGNVM.

Cambaiæ regnum.

CAMBAIA Prouincia *Guzarat* etiam dicitur, cuius longitudo iuxta maritimam oram 500. milliaria capit a fluuio *Bate*, qui prope *Caulum* oppidum in mare exoneratur, usque ad regionem *Circam* Persidis. Ab alijs autem partibus Regna *Dulcindæ*, & *Mandao* attingit. Vnde regnum hoc habet ab ortu *Mandoam* regionem: ab occidente *Nautacos*, seu Gedrosios: a septentrione *Sangæ* & *Dulcindæ* regna: a meridie uerò oceanum, regniq; *Decani* fines. Est itaque regnum hoc amplissimum, & urbium, oppidorum, ac pagorum refertissimum, habitatoribusque numerosissimum, cum in eo 60 millia populationes plùs minùs numerentur. Fluuijs autem multis irriguum est, quorum præcipuus INDVS censetur, qui regionem ipsam mediam interluit: is autem a Caucaso monte, hodie *Naugrocot*, exoritur, & longo cursu 900. circiter milliarium in oceanum duobus magnis ostijs nauigabilibus erumpit. Ager frumentaria re, oryza, cera, saccharo, ac thure, fructibus item omnigenis & aromatibus abundat: gossypij uerò ac serici tantam profert copiam, ut sæpè quadragenæ, aut quinquagenæ naues ijsdem onerentur, ac aliò comportentur. Istic multi sunt equi ac elephantes, & in montibus onyx lapis eruitur, uulgò *Corneolla* dictus, atque etiam adamas, & cacledonius: storax præterea liquida hic prouenit magna in copia. Cambaiæ Rex idola olim colebat, antequam Maurorum fidem recepisset, & incolæ, qui *Guzarates* dicuntur, maumetani partim, partim uero Idolatræ sunt, & hi quidem superstitionibus, & mercaturæ operam impendunt, ac bello inutiles sunt: unde Rex externis militibus utitur. Colore sunt oliuastro, & nudi incedunt præter pudenda, caput gausape purpurei coloris tegunt, & plerumque sola tunica interiore uelantur: carnes nullas comedunt, sed lac tantum, oryzam, hordeum, ac cætera inanimata. Sunt in mediterraneis huius regni *Resbuti* populi gentiles, qui sunt naturales nobiles huius regni a Mauris fugati post captum ab ipsis regnum, hi autem liberam traducunt uitam in montibus, nec ullam timent uim, imo continuò regnum hoc infestant. Celebriora ac præcipua huius regni loca maritima sunt *Damanum* oppidum, *Bandora*, *Curate*, *Rauellum*, *Bazuinum*, quorum duo priora euersa quandoque a Portugallensibus fuerunt. Est quoque *Dium* oppidum & arx munitissima in insula non longè ab Indi ostijs iacens. Sed in mediterraneis sunt *Madabar*,

Finis eius.

Regni qualitas.

Indus flu.

Agri qualitas.

Incolarum mores, & conditio.

Resbuti populi.

Vrbes & oppida huius regni.

Dium oppidum.

Cambaia urbs.

Campanel Regia sedes Cambaiæ regia potentia.

siue Amodabat, CAMBAIA, quæ regno nomen dedit, ac eximiè culta est,namq; referunt in eam esse 130.familiæ,estq; omnium Indiæ urbium præstantior, qua de causa Cayrum Indiæ nuncupatur. CAMPANEL Regia sedes in uertice mõtis sita ac septẽplici muro percincta. deinde TANAA,& aliæ.Tanta huius Cambaiæ Regis prædicatur potentia, ac opulentia, ut quandoque exercitum contra Mogores maximum parauerit, in quo quidem 150 millia equites numerabantur, peditatus ex 500.millibus extabat, & magna tormenta bellica ex ære prope mille fuerunt,inter quæ quatuor ingentes computabantur basiliſci ex metallo,quorum singulos centena boum iuga trahebant: prætèrea ducentos turritos elephantes conducebat,atque quingenta dolia auro,argentoq; signato plena ad stipendia militum persoluenda,præter Dynastas, nobileśque permultos,qui propriis expensis Regem concomitabantur. Ipso tamen Cambaiæ rege profligato Mogores tartari uiribus præpollentes maiorem ac potiorem regni partem possident. Sed ad Cambaiæ sinum duæ præstantes,ac munitissimæ arces Dium nempe,& Damanum in Portugallensium potestate ceciderunt, quæ sanè claues sunt ipsius sinus,ac huius oceani.

Mogores regnum hoc nuper occuparunt.

DECAN REGNVM.

Decan regnum.

DECAN regnum iuxta maritimam oram extenditur 250.milliaribus,iacetque inter fluuium Aligam,qui in mare prope Sintacoram oppidumexit,ac inter Bate fluuium.Olim proprium agnoscebat regem Maumetanũ, qui nuper,dũ nimis deliciis indulgeret, a duobus eius militum ductoribus regno exutus fuit,a quibus in duos Principatus diuisum est hoc regnum.horum unus uocatur NIZAMALVCCVS, qui in pulcherrima ac amẽnissima urbe DANAGER moratur, solusque in uniuersa India Persarum sectam profitetur, huic confines sunt Canaræ & Narsingæ regiones. Alter huius regni Princeps appellatur IDALCANIS. qui in urbe VISAPORA sedem tenet, & habet in sui confinio Cãbaiæ,& Orixæ regna. Præcipua totius regni urbs est BIDER, postquam est DECAN urbs,quæ regioni nomen dat,a qua sex milliaribus abest mons muro munitus,ac præsidio, in quo adamas gemma eruitur. Incolæ huius urbis sericis amiciuntur uestibus uel insertula ex serico elegantiore. Præter iam dictas urbes sunt etiam in hoc Regno SINTACORA, CAVL, & GOA iuxta oram maritimã,quæ duæ ultimæ captæ fuerunt a Portugallensibus,& GOA sanè clarus est uniuersæ Indiæ,& emporium insigne. Posita autem est in quadam insula,quæ ab ostiis Mandouæ fluuii effecta est, ambituque 15. milliaribus patet.& ipsa quidem urbs soli ubertate ædificiis magnificis, incolarum copia,& portu opportuno mirè ornata est.In hac residet Archiepiscopus

Nizamaluc. eus princeps

Idalcanis princeps.

Bider urbs.

Decan urbs

Aliæ urbs.

Goa urbs.

pus totius orientalis Indiæ, cui subiecti sunt omnes Episcopi huius tractus.Est etiam Proregis Indiarum sedes,qui nauale isthic habet,& classem satis munitam,qua dominium huius maris Indici obtinet, ac tuetur.Cæterum infestant continuo hanc regionem *Venazari* populi,qui ex rapinis,& proditionibus uitam traducunt.Mercatores ex Persia & Arabia isthuc magnam equorum quantitatem conducunt.

Venazani populi.

CANARA REGIO.

Canarà regio.

CANARA Regio Concam etiam dicitur & est pars quodammodo Regni Decan, quæ tota subiecta est Regi Narsingæ qui ultra montem Gates inhabitat ad alteram indici maris oram, quæ sinum Bengalæ respicit. Sunt uero in hac famosa oppida littoralia Onor, Batticalla,Mayander, & Mangalor, emporia olim satis famosa & opulenta. Sed ONOR oppidum a Lusitanis occupatum fuit,atque etiam BATTICALLA urbs ipsis tributaria est, cuius ager oryzam,saccharum,ficus,fructus & iuglandes mittit, sed triticum hordeum,& legumina non fert, MANGALOR quoq; opulentum est emporium cum arce,quod aliquando a Portugalensibus diruptum fuit.

Oppida huius regionis.

Onor opp.

Batticala urbs.

Mangalor.

MALABAR PROVINCIA.

Malabris, Puincię situs, & amplitudo.

MALABARICA prouincia a capite *Comorin* incipit, quod an Cory promontorium sit Ptolemæo,an uerò Commaria extrema,dubito;ac ad fluuium oppidumque *Cangeracon* producitur,quod sanè spatium iuxta maritimam oram complectitur propemodum 300. milliaria. Latitudinem uerò a monte Gates ad oceanum 50.milliarium obtinet. Est autem hæc regio magis culta ac frequens cęteris Indiæ regionibus.Aere gaudet saluberrimo,sed frigidiusculo: agro feraci admodum potitur, plurimisq; æstuariis,ac fluminibus conciso,qui licet frumentariæ rei ineptus sit,nihilominus abundat hordeo,oriza,ac uariis fructibus,in primis uerò gingibere,myrabalanis,cardamomo,tamarindis, cinnamo, cassia, pipere, ac aliis aromatis,atque palmis quoque copiosissime. Stagna isthic ingentia sunt, in quibus pergrandes sunt lacertæ ad cocodrili effigiem, tergore duro uelut conchiliorum, quarum caro ab incolis comeditur, qui etiam præcipuo in honore mensarum habent uespertilionum genus dentibus & rostro uulpinis, miluii magnitudine. Incolæ ipsi pane non uescuntur, sed oryza,piscibus,carnibus, fructibus, & iuglandibus. Sunt autem in Prouincia hac urbes non paucæ, quæ emporia opulentissima, ac frequentissi-

Qualitas.

Incolarum mores & cõditio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentissima sunt, tum ob optimos, quos habent, portus, eosque tutos valdè ac capaces; tum etiam, ob indicarum mercium ac opum affluentiam; in quibus sanè urbibus particulares Reguli imperant, qui omnes vel inanium Ethnicorum Deorum simulacra colunt Brachmania disciplina & sacris initiati, vel Pseudoprophetæ Machometi religionem sectantur. in tota hac regione equis in bello non vtuntur. Sunt autem Regna huius tractus præcipua *Canonor*, *Calecutum*, *Cranganor*, *Cocinum*, *Caicolam*, *Coulam*, & *Trauancor*, inter quæ *Calecutum* cęteris præstat, quippe quia eius Rex *Samory*, seu *Samorinus*, idest summus Imperator, ac Deus in terris appellatur.

Regna Malabaris.

Canonor regnum, & vrbs.

CANONOR Regnum 20. milliaria littoralia capit, & nomen obtinet ab vrbe huius nominis, quæ à Calecuto in septentrionem leucis ferè decem abest, quæ sanè pulchritudine præstans est, ac mercaturæ admodum opportuna ob eius portum nõ minus nauium capacem quã tutum. Huius ager plurimus concisus æstuarijs ac fluminibus affluit gingibere pipere, myrabalanis, cardamomo, casia, & alijs compluribus aromatibus: sed tritici, orizæ, vuæ; ac omnium ferè fructuum expers est, citris tamen, & cucurbitis exceptis. Vnde incolæ oriza importata vescuntur, ac præterea piscibus, ac carnibus, quibus regio abundat. Habent autem in hoc regno Lusitani arcem optimo in loco summa Regis voluntate extructam ad tuenda mercimonia, & valido præsidio communitam.

Qualitas

Arx Lusitanorum in hoc regno

Calecutum regnum.

CALECVTVM Regnum præcipuum est, licet 25. Leucas oræ maritimæ tantummodo complectatur, & huius quidem rex clarus est ac potens, qui cunctos huius tractus dignitate saltem præcellit & Zamorinus, idest Imperator nuncupatur. Regia urbs est CALECVTVM, quæ iuxta mare tribus milliaribus in longitudinem expanditur, mœnijs non ambitur, sed à sex millibus circiter ędibus longiore spatio inter se discretis circundatur, estque insigne totius indiæ emporium, ac ad primum lapidem habet portum *Capocate* vocatum. domus omnes, viles sunt ac humiles: quoniam impediente aqua, quæ ad quinos palmos è terra scaturit, fundamenta profundius iaci nequeunt. mercatorum ędes pluris non æstimantur quam 20. aureis, sed reliquorum incolarum ad summum binis aureis emuntur.

Calecutum vrbs.

Ager vrbis calecuti:

Suburbanus vrbis ager piper mittit, gingiber, tamarindum, myrabalanos, casiam fistulam, & fructus suauissimos, quos *Iaceros* indigenæ vocant, suntque saporis fermè peponis, seu coronei Persici, præter alios multos nobis incognitos. sunt etiam isthic palmæ innumeræ, quæ vtilissimos fructus edunt. Incolæ panis vsum non habent, neque carnes ex lege comedunt, nec uinum bibunt, eorum esculenta sunt oriza, hordeum, butyrum, lac, pisces, saccharum, aromata, poma, ac alij fructus, & hi quidem humi procumbentes comedunt, cochlearis loco arborum folijs utentes. Cacodęmones, ac falsorum Deorum ac animalium delubra colunt, ac inter eos non pauci maumetani sunt, qui tunica interiore

Incolæ calecutenses.

ad

ad umbilicum usque amiciuntur. Reliqui autem nudi incedunt obscęna tantum uelando, ac etiam nudis pedibus, caput uero nobiles tantum tegunt, qui etiam enses nudos, ac clypeos gestant. Castitatem negligunt, & mulieres uiribus immaturè prostituũtur, atque inter se se mulieres nonnunquam amicitiæ causa commutare solent: quin etiam Rex ipse sponsam quam ducturus est Brachmanis sacerdotibus prius defloradam tradit. qua de causa liberi aut germani aut nepotes ex fratre in Regno non succedunt: sed tantum ex sororibus nepotes, quippe quia hos solos ex Regia stirpe prognatos esse pro certo sciunt. Scribunt hic in palmarum foliis cum penna ferrea absque ullo atramento. Inueniuntur isthic serpentes plerique inter quos quidam sunt adeò homini infesti, ut exiguo tantum sanguine extracto mortem ferant præsentaneam: alii quoque crassitie sues referunt, suntq; quadrupedes quaternorum cubitorum longitudine, qui in locis palustribus, nascuntur, nec uenenosi sunt, hominiq; infesti. Rex uero serpentes omnes superstitiosè obseruat, neque homini serpentem ullum mactare licet absque capitis pœna. Arcem prope Calecutum Portugallenses habent littori impositam, cum optimo præsidio, quibus Zamorinus rex uectigal in singulos annos persoluit.

Serpentes istic inueniuntur.

Arx Portugallensium.

Cranganor regnu christianorum D. Thomæ.

CRANGANOR Regnum exiguum est, cuius urbs eiusdem nominis ad ostium fluuii posita est, qui suo tortuoso inflexu agrum uicinum frugiferum ac mercaturæ opportunum reddit. Incolæ sunt ex uetustissimis D. Thomæ Christicolis circiter 70. millium numero, qui tamen continuo a uicinis Idolatris, ac Maumetanis uexantur.

Cocinum regnum.

Cocinum Regnum angustum ac tenue ante Portugallensium in Indiam aduentum erat, & Regis Calecutensis tributarium, neque cocini Regulus numos signare poterat, qui tamen hodie ab his exolutus Portugallensium auxilio satis opulens, ac potens factus est, cum quibus semper confœderatus fuit. Complectitur regnum hoc 40. leucas maritimæ oræ, & regia urbs COCINVM distat a Calecuto leucis fermè 30. in meridiem, ac ad ostium Mangatis fluuii iacet, quæ a mari introrsum æstuante in peninsulæ formam cingitur, estque insigne emporium, cuius ędificia non differunt a Calecutanis, queadmodum nec incolarum mores. Ager tamen urbis indicarum frugum & aromatum, præsertim uero piperis longe fertilior est. Cocini Rex præcipuus est ex Brachmanis sacerdotibus, ac ueluti summus Pontifex uniuersæ huius Prouinciæ, cui quã plures alii uicini Reguli tributa pendent. Tutissimam portum habet ipsa urbs, & multos incolas, quorum permulti mauri sunt mercatores. Isthic Arcem Lusitaniæ Rex tenet munitissimam commerciorum gratia, quam tũ ipsi Lusitani, tum Indi nuper ad fidem Christianam conuersi, atque etiam alii indigenæ ex reliquiis D. Thomæ inhabitant, & moratur hic episcopus, qui Cocinensis intitulatur.

Cocinum vrbs.

Ager urbs cocini.

Rex Cocinum.

Arx Lusitanorum.

CAICOLAM, seu COVLESES regnũ distat a Calecuto leucis 50. & urbs ipsa emporio ac portu gaudet, q̃ i theatri modũ & accliui littore ẽ.

Rex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rex idola colit, nec admodum diues est, & incolæ habitu, moribus, cœli temperie, ac regionis situ parum a Calecutensibus differunt, inter quos non pauci Christiani sunt D. Thomæ, qui singulis ternis annis a sacerdote ibi ex Babylonia aduentante baptizãtur. Vrbs hæc aliquando a Portugalensibus dirupta ac conflagrata fuit. Ager optimum mittit piper præter alias Indicas fruges.

Coulam regnum, & urbs.

COVLAN regnum 20. leucas maritimæ oræ habet, & eius urbs COVLAM seu COLANVM 24. leucis in Meridiem a Cocino distat, quæ opulentior & antiquior cæterarũ Indiæ urbium censetur, ex qua quidem Calecutum, & aliæ Malabaricæ regionis urbes coloniæ prodierunt. Mercibus autem affluit, & portum habet optimum, & incolas idolorum cultores, quorum mores ac habitus non absimiles sunt a calecutanis, sed multæ præterea in ea sunt Christianorum ueterum Diui Thomæ familiæ. Ager frumenta non producit, sed tamen piper optimum, & omnifariam fructus mittit. Regulus Colanus potens est, qui 20. millia equites semper ad bellum promptos tenet, & cum finitimis sepè bella gerit.

Incolę vrbis Coulam.

Rex Coulã.

Trauancor urbs.

TRAVANCOR vrbs regionem habet frugibus inopem, nec ad mercimonia admodum idonea est, cui finitimi sunt populi ab occiduo latere MACOÆ nuncupati, qui omnes ferè Chriastinæ religioni Iesui tarum opera addicti fuere.

Macoæ populi.

ORIENTALIS ORÆ INFERIORIS Indiæ regiones, ac loca præcipua ad oceanum Bengalæ exposita. & Primo.

NARSINGÆ, REGNVM.

Narsingę regionis situs

NARSINGÆ Regnum inter *Comorinum* caput, & *Guadauerinum* caput iacet, ac inter montem *Gates*, & oceanum *Bengalæ*, cuius lõgitudo iuxta mare est 200. leucarum, seu 600. milliarium, circuitus vero trium millium milliarium, quidam dicunt tantum agri continere quantum semestri itinere uix emetiri possis.

Regionis qualitas.

Quod quidem regnum inter totius Asię potentissima connumeratur, est enim omnium rerum affluentissimum, ut nihil in eo, quod ad humanũ usum pertinet, desiderari possit. Nam rei frumentariæ, sacchari, gingiberis: & id generis aromatum feracissimum est: gossipio aut & serico nulla in uniuerso orbe fęcundior plaga. Vnde ob id nusquam alibi ditiores, locupletioresve inueniuntur negociatores. Ciuitates Regiæ duæ sunt NARSINGA videlicet, & BISNAGAR, quam alii Bęnegal

Narsinga, & Bisnagar regiæ urbes.

gal scribunt, & hęc quidem triplici muro circundata est, atque cunctorum mercimoniorum famigeratum est emporium, cuius ager fęcundus mirè est, & syluis amęnissimis conuestitus, quæ paradisum quempiam referunt. Incolæ quinque diuersarum nationum sunt, plerique tamen Idolatræ. Rex ipse qui modo Rex Bisnagar, modo Rex Narsingæ appellatur ualdè potens est, alitque continuo 40. millia *Nairos*, qui sunt nobiles milites, ac præterea 20. millia equos, quos partim ex Persia, partim ex Arabia recipit, & 200. elephantes, sed cum ad bellum proficiscitur multo maiorem equitum, & elephantum, copiam ducit cum innumeris peditibus, nam referunt scriptores eius exercitum quandoq; 30. milliarium spatium occupare.

Incolæ huius regni. Regis potẽtia.

Tarnassari vrbs.

TARNASSARI urbs ad hoc regnum pertinet, quæ olim proprium agnoscebat regem idolatram ualdè potentem, qui ad bellum mittere solebat centum elephantes armatos, & centum millia milites tum equites tum pedestres. Incolæ huius urbis uxores suas defloran-

Incolarum mores.

das albicantis coloris hominibus tradunt siue Christianis, siue Maumetanis, quæ quidem uxores ornatæ ac comptæ post mariti obitum honoris ac fidelitatis ergo uiuæ construuntur una cum uiri cadauere, aliter perpetua infamiæ nota laborarent, quem morem in uniuerso quoque Narsingæ regno obseruant.

Ciromandel urbs. Meliapur urbs.

Sunt in regno hoc urbes duæ maritimæ a Christianis cultæ, nempe CIROMANDEL seu Colmandel, cuius ager fœcundus est, & MELIAPVR, quæ Diui Thomæ Apostoli prædicatione, obitu, ac sepultura percelebris est, cuius ossa nuper in hac urbe inuenta in urbem Goam comportata fuere. Amplissima olim fuit hæc urbs, in qua præter alia ædificia 330. circiter Mesquitæ uariarum nationum numerabantur. Sed solo æquatam & in ruinis iacentem Lusitani inhabitare postremo cœperunt, in eamque colonias suas quotidie firmant.

Cael oppidum.

Est quoque CAEL oppidum in hac prouincia, quæ arx est regni Colani ad alteram maris ripam dispositi, & ab hoc oppido usque ad Comorini caput littus uniuersum 50. milliarium occupant *Paraui* populi simplices ac humani, qui Christũ colũt, ac ex margaritarum expiscatione uitam traducunt, quas partim Portugallensibus, partim Canarensibus & Bergalensibus uendunt, ac distribuunt.

Paraui populi.

Pertinet ad Narsingæ regem Canarà prouincia ad alteram oceani oram occasum uersus, de qua supra egimus.

ORI-

ORIXÆ REGNVM.

Orixę regni situs.

ORIXAE Regnum iacet inter *Narsingæ*, *Bengalæ*, & *Delly* regna, ac Bengalici littoris 350 milliaria occupat, a capite scilicet *Guadauarino* ad caput vsque *Leogoræ*. Quod sanè littus vt plurimum importuosum est, ac stationibus infidis subiectum: quo fit, vt isthic mercimonia parum uigeant. Rex diues ac potens satis est, licet uicinis æquiparandus non sit, Idola colit, & in Ramana vrbe Regiam habet sedem. Mittit regio hæc optimum adamantem. Incolæ gentiles sunt, ac pauci inter eos Mauri.

Rex Orixæ.

BENGALÆ REGNVM.

Bengalæ regnum.

BENGALÆ regnum amplissimum est, cum permultas contineat vrbes tum littorales, tum maritimas, occupatque iuxta littus 120 leucas, & totidem etiam in mediterraneis extenditur. Inter luit regionem ipsam Chaberis fluuius, quem hodie *Guengam* nonnulli vocant, qui putant antiquorum Gangem esse, licet alium fluuium non longè ab hoc situ statuant, qui à monte *Gates* proficiscens, in Bengalicum sinum non longè ab ostijs Chaberis exoneratur.

Chaberis fluuius.

Regionis qualitas.

Præterea regio ipsa rerum omnium ad humanæ necessitatis vsum vberrima est, profert enim abundantissimè orizam frumentum, saccharum, gingiberem optimum, ac piper longum: gossipio item ac serico nulla plaga fæcundior: carnem etiam ac piscium mira affluentia. Potitur autem ipsa regio clementissimo cęlo, vnde istic concurrunt ex omni parte gentes; præsertim verò Mauri, Persæ, & Abyssini, quorum maior pars mercaturæ studet, contexuntur hic innumeri panni ex gossipio ac serico omnis generis, qui in diuersas partes distrahuntur. Incolæ ut plurimum Maumetani sunt præsertim iuxta littus, vbi maiorem portionem Mauri occuparunt, suntque plerique albi, & nobiles, acuti ingenij, & intelligentes, comites, sed aliquantum deceptores, in commercijs ac mercatura plurimum ualent: nudi non incedunt ueluti fit in reliqua India, sed tunica alba satis ampla amiciuntur, usque ad terram protensa, & alias adhuc uestes fericeas superinduunt: caput Turcarum more tegunt. Rex Maumetanus erat satis potens ac bellicosus, qui sepè cũ regibus idolatris bella gerebat, ab eisque tributa exigebat, & is quidem ab Abyssinis mancipijs eligebatur, quorum uniuersa pene Regia aula plena erat. Sed paucis ab hinc annis Rex ipse a Magno Mogore regno exutus fuit. GOVRO urbs Regia habitatio fuit, & BENGALA urbs, quæ regioni nomen dat inter uniuersæ Indiæ præclarissimas connumeratur. Præter has iuxta maris ripam ad ostia Chaberis insignia empi-

Incolarũ cõditio, & mores.

Rex Bengalæ.

Gouro, & Bengala vrbes.

ria

ria *Catigan*, & *Satigan* iacent, quæ centum propemodum leucis ab inuicem distant.

MEDITERRANEÆ REGIONES huius Inferioris Indiæ.

Delly regnum.

DELLY regnum inter *Decan*, *Narsingæ*, *Orixæ*, & *Lambaiæ* regna positum est, sed ab ipsa Cambaiæ regione montibus separatur. Sumit nomen ab vrbe *Delly*, & affluit equis, elephantibus, ac dromedarijs. Proprium olim regem agnoscebat, sed paucis abhinc annis a Mogoribus tartaris occupatum est, cuius Imperator, qui finitimis etiam non paucis regnis moderatur, regiam habet sedem in vrbe DELLY.

Mogores Tartari hoc regnum occuparunt.

Mandao regio.

MANDAO Regio aspertima est ac montuosa, quæ Regno lambaiæ vicina est. Hanc olim incoluerunt bellicosissimæ mulieres, quas amazones vocabant, quarum nunc aliquæ supersunt, quæ viriliter equitant. Rex Maumetanus præteritis annis isthic regnabat, cuius vxor a duobus millibus mulieribus equitantibus concomitabatur. Sed postremo regnũ ipsum sub Magno Mogore cecidit.

Sanga regnum. Citor vrbs.

SANGA Regnum, quod quibusdam regnum *Citor* dicitur, præcipuã habet urbem *Citor*, quæ (ait Mapheus) edito in loco duodecim millia passuum obtinet ambitu sumptuosis admodum ædificijs publicè ac priuatim ornata, mœnibusque ac propugnaculis egregiè cincta: itaq; propter maiestatem ac pulchritudinem, quamquam arroganti uocabulo Mundi umbrella (id enim Citor gentis lingua significat.) appellatur.

Arachan regnum & vrbs.

ARACHAN Regnum a septentrione Regni Bengalici iacet iuxta fluuium Chaberim nullam habens ad mare opportunitatem. Et urbs ipsa æquæ regno nomen dat, prædicto fluuio apposita est, distans a mari 45. milliaria. Est verò hoc regnum diuitijs affluens, & populo frequens, cuius Rex delicijs & luxui admodum deditus est. ac duodecim habet domos regias in duodecim ciuitatibus præter alias, in quibus innumeras alit mulieres ad usum venereum.

De MOLTAN, PIDER, & COSPERIR regnis nihil notatu dignum habemus.

SVPE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVPERIORIS INDIÆ INTRA GANgem Regna, ac prouinciæ præcipuæ.

VNT in hac Indiæ parte complures regiones, ac regna, quorum præcipua sunt, quæ iuxta mare extenduntur: sed mediterraneas regiones tenent Brachmani ut plurimum, & ad septentrionem quorum complures regiones maiori ex parte sunt ignotæ, quarũ incolæ idola colunt. Primaria autem regna huius tractus sunt duo, nempe Regnum Pegu, & Regnum *Siam*, quod ultimum particularia regna sub se cõtinet, nimirum, Regnum *Siam*, quod etiam *Chaumua* uocatur, Regnum *Muantay*, cuius caput est Odia ut licet. *Caipumo, Brema, Chencram, Camboia*, & *Campaa*, cui etiam regno tributaria sunt regna *Iangomæ, Cucrai*, & *Lancaan*, quæ a *Lais* populis coluntur. Duo autem hæc regna nempe Pegu, & Siam proprios agnoscebant reges eo tempore cum Portugallenses ad has regiones accesserunt; uerum paucis abhinc annis ambo regna a quodam Regis Pegu locumtenente usurpata fuerunt debellatis ipsis Regibus, & hic quidem Rex a scriptoribus *Barmæ*, uel *Pegu* Rex modo appellatur. Sed nunc particularia ipsa regna & regiones describamus, quæ scilicet ad notitiam nostram deuenerunt.

Pegu, & Siã primaria regna.

Regna subiecta regno Siam.

Barmę Rex.

VERMÆ REGNVM.

Vermæ regnum.

VERMAE Regnum exiguum Bengulæ regno uicinum est, neque ullum habet maris portum. Incolæ nigritæ sunt & nudi incedunt præterquam pudenda, quæ pannis gossipinis tegunt. Idola colunt, & sæpè cum Rege Peguino belligerare solebant. Non sunt autem Mauri in hoc regno.

AVÆ REGNVM.

Aua regnũ.

Aua vrbs.

AVA Regnum opulentissimum Brachmanorum erat antequam a Rege Barmæ seu Peguino usurparetur, in cuius urbe AVA fluuio huius nominis appositа, plurimi sunt mercatores lapillorum preciosorum præsertim rubinorum & spinellarum, qui isthic in mõtibus colliguntur: muscum etiam ex certis animalibus colligunt. Plurimos regnum hoc mittit elephantes ac equos, & terra ipsa rerum ad uictum necessariarum abundat.

PEGV

PEGV REGNVM.

PEGV regnum occupat littoris spatium 300. milliarium iuxta occidentalem oram sinus Bengallici ab urbe scilicet *Tauay* ad caput usque *Nigraes*, in mediterraneis uerò ualdè extenditur. Optimos habet portus, ex quibus præcipuus est *Martabane*, in quo onerantur circiter 40. naues ex oriza, quæ in Insulam Sumatram comportatur. Ager huius regni pinguis ac fertilissimus est, & rei frumentariæ ut plurimum admodum accommodus, animalia innumera nutrit in ter quæ sunt equi pusilli ad ferendum tamen idonei, quorum ingens est numerus, sicut etiam elephantorum, qui in altissimis quibusdam montibus capiuntur, ac ad belli usum adseruantur. Psittaci etiam uocaliores quam usquam alibi, & pulchriores reperiuntur, atq; etiam feles, qui zibettum gignunt. harundines hic excrescunt ad crassitiem unius dolij. Nascuntur quoque hic rubini. Vnde regnum ipsum opulentissimum est & mercatoribus frequentissimum, qui commercijs plurimum operam nauant, & in ipsis portubus plures sunt mercatores Mauri ac gentiles. Deferunt autem ex hoc Regno ad Malacam orizam, laccam, benzuinum, muscum, lapillos precioſos, argentum, butyrum, oleum, sal, cæpas, & alia huius generis commestibilia, contra uero ex Malaca istuc ferunt porcellanas, colores, argẽtum uiuum, æs, cinnabarim, damascum floribus contextum, stamnum, & alias. Ciuitas Regia est PEGV clarissima totius Indiæ, mœnibus munita, & ædibus elegantissimis ornata, quæ a mari circiter 25. milliaribus abest, quam fluuius eiusdem nominis maximus abluit, qui etiam per totum regnum percurrens intumescit interdum adeò, ut magnum terræ tractum mundet, Vnde ob hoc incolæ orizam copiosissimè colligunt. Præter hanc sunt insignes *Tauay*, *Martabane*, & *Losmin* emporium celebre. Sunt autem Peguini mediocris staturæ, magis ad crassitiem accedentes, agiles, & uiribus præditi, ad bellum tamen inepti, nudi incedunt præter pudenda, capita tegunt albicantibus pannis ad instar mitræ: luxuriæ præterea ualdè dediti sunt, qui in mulierum gratiam ad uirilem membrum tintinabula aurea uel argentea appensa gestant, ut sonum reddant dum per ciuitatem deambulant. Sunt uero supra mortales omnes superstitiosissimi, & uanissimas habent circa religionẽ opiniones, ac ab omni ueritate alienas. Rex PEGV multa hodie possidet regna nempe *Tangù*, *Prom*, *Melintay*, *Calam*, *Bacam*, *Mirandù*, *Aua*, *Brema*, ad septentrionem exposita, deinde regnum *Siam*, & portus *Martabanæ*, & *Ternasseri*, & *Aracam*, ac *Macin* regna. & appellari quoque consueuit a scriptoribus nonnullis Rex Bremæ, seu Barmæ.

Pegu regnũ

Martabane portus.

Agri huius regni conditio.

Pegu urbs.

Aliæ urbes. Incolarum mores & cõditio.

Rex Pegu quot sub se regna habeat.

SIAM

Universidad de Deusto
Biblioteca

SIAM REGNVM.

Siam regnũ

SIAM Regnum,quod etiam SORNAO dicitur, ampliſſimum eſt atque tam ab ortu quam ab occaſu ad mare protenditur,iacet autem inter *Caucinchinam* regionem in mediterraneis,& regnum *Termæ*. Iuxta uero littus ab urbe *Campaa* ad urbem *Tauay* uſque extenditur,quod ſanè ſpatium 500.leucas metitur. Sed maritimæ ore non parum Mauri occuparunt, quorum urbes ſunt nunc *Patane,Paam,Ior,*& *Pera*,ac etiam Portugallenſes, qui *Malaccam* urbem ac regnum iſthic obtinent,In hoc autem regno compræhenduntur particularia regna aliquot,nempe *Siam*,quod etiam Regnum *Chaumua* uocatur,Regnum *Muantay*, ubi eſt *Odia* urbs , *Brema* , *Caipumo* , *Chencram*, *Malacto,Camboia,*& *Campaa*.deinde etiã *Iangoma, Cucrai,*& *Lancaam*, quæ tria regna inhabitantur a *Lais* populis.In vniuerſum autem Regnũ Siam agrum habet planum,montibus percinctum,herbidum, amœnum, & pinguem ualdè ac fertilem , qui oriza , ſegetibus, ac rebus aliis ad uictum neceſſarijs mirè affluit ; profert piper, muſcum , benguinum, aurum,argentum,ſtamnum,& alia : mittit quoq; innumeros elephantes , ac equos . Continetur in hoc regno lacus *Chyamay* ampliſſimus , a quo emanant fluuii *Aua,Caipumo,Menam,Menon*, & alii qui plures regiones irrigant,ac ſua inundatione ad Inſtar Ægypti fœcundant. Sunt ab ortu in cõfinio Cauciachine immenſæ ſyluæ, in quibus ſunt tigres,leones, marichæ,& alia ſylueſtria animalia.Incolæ delitiis luxui, & crapulæ plurimum uacant,muſica delectantur , ſumptuoſiſſimis ornantur veſtibus, nobilitatem ſanguinis profitentur , machanices artes non exercent, ſed mancipia plurima ad ipſas artes tractandas alunt, agriculturæ tamen ualdè ſtudent.Publicas habent ſcholas ubi leges, & religionem lingua uulgari docent , ſed ſcientias in aliam doctiorem linguam , & ab illa ualde differentem diſcunt, innumera colunt idola, & præcipuè quatuor elementa , unde poſt mortem unuſquiſque ſepulturæ genus eligunt , iuxta elementum illud,quod adorarunt ; nam qui terram adorarunt , ſub humo ſepelliuntur : qui ignem , comburuntur : qui aquam , ſubmerguntur : & qui aerem, coluerunt , ſuſpenduntur, ut ab auibus deuorentur.

Amplitudo huius regni.

Regna particularia, q̃ ſub hoc regno cõpræhenduntur.

Qualitas huius regni.

Chyamay lacus,& fluuii ab eo emanantes.

Incolarum mores & conditio.

Rex Siam. Olim Rex Siam Chinenſis Regis tributarius erat, & hic quidem in ſui cuſtodiam ſex millia aulicos continuo habebat,& 200.elephantes armatos.Sed regnum ipſum a Rege Barmæ uſurpatum fuit,ut alibi diximus.

Vrbes præcipuè. Præcipuæ urbes uniuerſi huius regni ſunt.*Siam,Odia,Camboia,Campaa, Sincapura,Malaca,* & *Quedoa.*

Siam urbs. SIAM urbs a qua nomen ipſum regnum ſumit , ampla admodum eſt,& ad mercaturam ualdè idonea,iacet enim ad ripam lati ac profundi fluuii *Menam*,atque in ea innumeri ſunt habitatores;namque prẽter naturales,numerãtur propè 30. millia Maurorum mercatorum familiæ.

Odia urbs. ODIA urbs caput regni Muantay, & ſedes Regia regis Siam, amplior quam

eſt quam Siam, nam in ea ſunt propè 400. millia ædes, & ex ea colligere poteſt Rex 50. millia homines ad bellum aptos. Eſt autem ipſa urbs ad inſtar Venetiarum ædificata, in qua & ſcaphis deambulari poteſt de loco ad locum, quarum dicunt reperiri circiter ducenta millia.

Camboia urbs. CAMBOIA urbs in ripa fluuij *Meicon*, ſeu *Menon* iacet, qui in China regione exoriens antequam in Indicum mare exoneretur, multis adauget fluuiis, & circa eius Oſtia lacum peramplum efformat 200. milliaribus in ambitu patens. Eſt uerò urbs ipſa caput regni Camboiæ, quod rebus ad uictum pertinentibus abundans eſt. nam orizam, carnes, piſces, & uina eorum more confecta abundè habet: multos mittit equos, ac elephantes, & nonnihil etiam auri profert.

Incolæ Camboiæ. Incolæ bellicoſiſſimi ſunt, & gentiles, ſeu idolatræ, qui ualdè nauigatoriæ arti, & mercaturæ operam nauant, ſed moribus barbaris ſunt, quippè quia putant homines , ac bruta eiuſdem conditionis eſſe : horum uxores poſt mariti mortem ſimul cum ipſo comburuntur ; quin etiam poſt Regis obitum non eius uxores tantum , uerum etiam nobiles aliquot uiri uoluntariè cum Regio cadauere in ignem ſeſe præcipitant.

Campaa urbs. CAMPAA urbs maritima eſt,quæ regno nomen dat, quod quidem abundans eſt auro , & rerum omnium ad uictum neceſſariarum. mittit in primis perfectiſsimum lignum Aloes , quod in montibus naſcitur, & non minoris æſtimatur quam argentum ab uniuerſis populis orientalibus,quo in balneis, & in funeralibus principum uirorum utuntur.

Lignum Aloes.

Sincapura urbs. SINCAPVRA urbs iacet in extremitate Meridionali huius regionis in promontorio quodam,quod nonnulli uolunt eſſe Magnum promontorium Ptol. ubi Zabe urbem notat,ſed mihi potius uidetur,eſſe Paluram Ptol. propè locum,unde ſoluunt in chriſen nauigantes.

Malacca urbs. MALACCA urbs propè nobilem fluuium ſita eſt, cui nomen eſt *Gaza*, ac latitudine 25. milliarium patet , quæ ſanè urbs miræ magnitudinis eſt , patet enim in circuitu viginti propemodum milliaribus , eſtque nobiliſſima, ac mercium affluentiſſima, obidque celebratiſſimũ emporium aromatum, odorum omnigenum, auri, argenti, margaritarum , ac precioſorum lapidum magna copia affluit : commodiſſimum habet portum,quod præcipuum eſt totius huius Oceani, ubi complura appellunt nauigia aromatum , ac aliarum mercium onuſta . Eſt uerò hæc urbs caput regionis Malaccæ, quam antiquorum auream cherſonneſum nonnulli celebres ſcriptores uolunt eſſe ; Mercator tamen putat Malaccam regionem non eſſe, ubi Ptolemæus locat Meſolum fluuium : Auream uerò cherſonneſum putat eſſe Inſulam Iapani-

Malacca opulentiſſimum eſt emporium.

Malaccam quidam putant eſſe auream cherſonneſum.

cam, ut ſuo loco dicemus, cui quidem opinioni non poſſum non aſſentiri magis, quam alteri opinioni. Hoc itaque Malaccenſe regnum 270. circiter milliaria maritimæ oræ habet, cuius ager humidus eſt, lutoſus, nec generatim ferax: mittit tamen triticum, carnes, animalia omnis generis, ac elephantes, profert etiam ſandalum ſed fructus pauciſſimos fert, & perpauca etiam ligna. unde præter urbem Malaccam pauca ſunt loca populo frequentia præſertim quia cœlum iſthic inclemens eſt. Incolæ Malaccæ colore ſunt cineritio, capillis prominentibus: ſicarii ſunt, & qui mutuis cędibus canum more noctu ſe conficiunt. Rex Maumetanus olim erat, qui uectigal Regi Chinenſi pendebat. Sed vrbem ipſam poſtremo Luſitani occuparunt ac in ea arcem conſtruxerunt munitiſſimam, in qua circiter 600. ex eis commorantur. Nunc uero iſthic negocia ſummopere uigent, & eſt tamquam centrum omnium commerciorum orientis ob eius opportunum ſitum.

Amplitudo regni malaccenſis. Qualitas regionis.

Incolæ malaccæ.

Malacca urbs luſitanorum eſt.

QVEDOA urbs nobilis eſt ob piper, quod in ea præſtantiſſimum naſcitur.

Quedoa urbs.

CAVCINCHINÆ REGNVM.



AVCINCHINAE, ſeu Cachuchinæ Regnum, quod ab huius nominis urbe denominatur, maius eſt regno Campaæ, & clauditur inter fluuium Cantam, & regnum Siam, cuius gens idolatra eſt & bellicoſa præſertim terreſtri acie: multos habet equos, quibus in bello utitur. Multi iſthic ſunt bombardarii, qui maximam pulueris bombardarii copiam non tam in bello quàm in ludis ac feſtis abſumnnt, qui ſanè mos apud Regni etiam nobiles uiget. Regio abundat auro, argento, ligno aloes, atque iſthic porcellanæ inueniuntur, ex quibus uaſa porcellana conficiuntur, quæ magno æſtimantur precio, hincque ad Chinam exportantur. Conficiuntur etiam hic panni ſericei ſubtiles, qui uulgò *ormeſini*, & *taffettà*, uocantur, qui cæteros huiuſmodi excelluut, eſt enim maxima ſerici iſthic copia.

Cauchinchinę regio

Regionis qualitas. Porcellana uaſa.

INDIA

INDIA EXTRA GANGEM,
quæ eſt Prouincia Mangi, ſeu Chinenſe Regnum ampliſſimum.



CHINÆ, ſeu CINÆ regnum ampliſſimum, Prouincia *Mangi* Marco Polo uocatur, & ab ipſis accolis *Tame*, qui ſe ipſos *Tangis* uocant. Hos populos SINAS à Ptolemæo uocari ex ſitu, & nominis affinitate putat Doctiſſimus Ortelius, quem pleriq; ſequuntur. Hos tamen Mercator, ſub India extra Gangem locat, cui magis acquieſcimus: Sinas uerò ad Regnum *Cathay* refert. Fines huius uaſtiſſimi regni ſunt ab Oriente mare Eoum, à Meridie *Cauchinchina* prouincia, ab Occidente Brachmani populi Indiæ intra Gangem, à Septentrione uerò Magni Chami, ſeu Tartarorum Imperatoris regnum, à quo muro ingenti, & montibus ſeparatur. Protenditur autem à Tropico ferè Cancri ad parallellum, uſque gradum 53. latitudinis, & iuxta longitudinem continet meridianos omnes inter gradus 130. & gradum 160. incluſos. Huius autem Chinenſis Regionis deſcriptionem mutuauimus ex Ortelio, quam ex Hiſpanica deſcriptione Bernardini Scarlanti in Latinum tranſtulit, quæ eſt huiuſmodi.

Chi nen ſe regnum.

Chinę fines

Situs cęleſtis.

Regio hæc ſoli, & cœli temperie, nec non hominum induſtria omnium rerum ferax. Habet enim homines minimè deſidioſos, ſed labori aſſuetos, ociari namque hic ignominioſum eſt. Auri, argenti, & Rhabarbari hic magna copia. Mare, quod regionem alluit, & flumina, quæ eam irrigant, omni genere piſcium abundant. In montibus, & pratis, pecorum greges infiniti; ſiluas, & nemora incolunt apri, uulpes, lepores, cuniculi, zebellini, martes, aliaque id genus animalia, quorum pelles in ueſtimentorum uſum expetuntur. Auium omnis generis præſertim aquaticarum ubertatem hinc colligere licèt, quòd in urbe *Canton* ex minoribus huius regni unà ad decem, uel duodecim anatum millia ſingulis diebus in menſis abſumuntur loca arentia tritico, & hordeo conſerunt. Humida, plana, aut paluſtria oriza, cuius quater in anno ſementem faciunt, ex qua quoque pręcipuus eorum conſiſtit uictus. Eminentiora, præruptaque loca habent pineta, quibus panicum, leguminaque interſerunt. Nullus itaque locus, nullus ager infrugifer, & ubique horti, roſæ, & uarium genus florum, frugumque, ſed & linum, unde his multiplex ueſtium genus, ſtudioſè colunt. Sed ante omnia ſaccharum (cuius hic immenſa feracitas) & morum arborem ad nutriendos bombyces, quod præſtant huius arboris folia.

Regionis præſtantia & qualitas.

Auium magna ubertas

Oriza quater in anno colligitur.

Sacchari immenſa feracitas.

Serici mira copia.

folia. Serici enim hic magnus prouentus, & præcipua incolarum negociatio. Sunt in hoc regno 240. urbes celebres præter oppida, & pagos, quorum ingens est numerus, atq; omnes urbes ad ripam nauigabilis cuiusdam fluminis sitæ sunt, largis, profundisq; fossis, & muris munitæ. Vrbium magnitudinem ex eo coniicimus, quod *Canton*, quæ una ex minoribus est, habet in circuitu duodecim millia passuum ultra trecentum quinquaginta præter eius suburbia, quæ sunt grandia, & populosa.

Vrbes huius regni 240.

Canton urbs

Incolæ Chinæ.

Genti facies lata est, barba rara, nasus simus, oculi parui, & si quidam inter eos sunt forma satis decora, & proportionata. Color ut Europeis, subfuscus autem ijs, qui circa Canton habitant. Rarissimè uel nunquam patrio solo excedunt, neque facilè peregrinum admittunt, in primis ad interiora regionis, nisi fide publica à Rege fuerint donati. Opulenti uel diuites sericeis indumentis uestiuntur, coloribus uariegatis. Infima sors hominum gossipinis, & nigris uestitur, atque lineis, ex lana enim panni conficiendi ratio iis in usu non est. Viri comam (ut apud nos mulieres) nutriunt, eamque componunt circa uerticem in nodum, quem clauo argenteo constringunt. Feminæ eandem comunt ualdè eleganter, auroque & uario gemmarum genere exornant. Vnguentis, pigmentisque, ut apud Hispanos mos est, se depingunt, neque in publicum unquam prodeunt, nisi sellis tectis portatilibus, & domestica familia consociatæ. Licitum uiris, plures ducere uxores, quarum unam domi retinent, cæteras diuersis in locis disponunt. Adulteros ultimo afficiunt supplicio. In urbibus nullum lupanar, omne meretricum genus in suburbia relegatur. Quod si in nostris quoq; Ciuitatibus in Italia potissimum, fieret, multo minor esset illarum copia, quibus nunc omnia scatent, & multo minor pateret adolescẽtibus, & iuuenibus, peccandi locus, sujs enim illecebris, etiam omnia alia cogitãtes alliciunt, & quasi inuitos eos interdum trahunt. Nuptialia festa celebrant tempore nouilunij, & ferè Martij mensis, qui dies illis primus est ineuntis anni. Cibum manibus non tangunt, sed furcula, aut unco argenteo ori imponunt. Ad mensam sedent in cathedris, scamnisq; ut Europæi, non in terra, ut cæteri solent Asiatici. Gens est admodum ingeniosa, adeò ut currus excogitarint, fabricauerintque, quos uelis uentisque per campos, & loca plana uti nauigia per mare, dirigere optimè norint. Imprimendorum librorum artem diu antequam nos eam excogitassemus, isti libris excusis, mundo exhibuere. Et cum in hac regione pro locorum natura differenti utantur lingua adeò ut alter alterum parũ intelligat, scriptura & charactere tamen alter alterius mentem optimè comprehendit. Omnes enim huius regni incolæ ijsdem utuntur characteribus, quæ integras dictiones exprimunt, atque uocabula, unde utuntur ultra quinque millia rerum, & uerborum notulis, & in scribendo supernè recta deorsum descendendo lineas ducunt. Habet hoc regnum

Vestitus Chinensiũ.

Mulieres Chinenses.

Meretrices isthic extra urbes degunt.

Currus qui uento agitantur.

Ars imprimẽdi à Chinensibus ante nos inuenta.

nauium,

nauium, triremium, cymbarumque omnis generis infinitum numerum, & haud minori populorum frequentia in nauibus, quam ædibus habitatur. Tota hæc regio uni subest regi, tanquam monarchæ, quem Mundi dominum, & Solis filium uocant. PAQVIN urbs uersus Tartariam regia eius sedes est. Ex hac numquam nisi belli tempore egreditur. MANQVIN ciuitatem, quondam eius prædecessores habitauere, in cuius memoria ibidem aurea tabula magno honore custoditur. Hæc regis, qui hodie regnat, nomen inscriptum tenet, regiturque preciosissima cortina, quam nisi festis diebus non retegunt, eamque hic superstitiosa quadam obseruantia, quasi ipsam Regiam referret maiestatem, uenerantur. Aiunt hunc cum in bellum aduersus Tartaros gerit, in exercitum ducere trecenta peditum millia, equitumque ducenta, at gentem non adeò bellicosam esse, addunt. In iustitia administranda hic magna seueritas. Quod ad religionem huius generis attinet, credunt omnes res creatas, omniaque inferna atque horum gubernationem pendere a supernis, atque cœlo, quem maximum omnium Deorum credunt, eumque primo alphabeti charactere exprimunt: solem, lunam, & stellas adorant, etiam cacodæmonem, ne mala eis afferat, ut ipsi ferunt. Sumptuosissima habent tam in urbibus, quam in agris templa. Etiam duplex genus sacerdotum, alterum candido uestitur raso capite, & in commune uiuit, ut nostri monachi; alterum atro promisso crine, & seorsim habitat, ut nostri presbyteri, neutrum uxorem ducit, horum tamen uita satis impudica, & obscœna. Addit etiam Ioannes Barrius, regem hunc quindecim habere sub se prouincias admodum amplas, quas illi Gubernationes nominant, huncque solum antecellere potentia, & opibus cæteros omnes uicinos Asiæ principes, eiusque annuos reditus superare totius Europę diuitias. Ex his quindecim prouinciis sex maritimę sunt, nempe *Cantan*, *Foquiem*, *Chiqueam*, *Xantora*, *Naquij*, & *Quiocij*. In mediterraneis uerò sunt reliquę, nempe *Quichiu*, *Iuana*, *Quancij*, *Suiuam*, *Fuquam*, *Cansii*, *Xianxij*, *Hoaum*, *Sancij*, in quibus quidem prouinciis asserunt quidam contineri circiter 40. myriades habitatorum, atque ex eis Regem plus quam centum millionum aureorum colligere tradunt. Figulina illa opera pellucida, niueque candidiora, quę apud nos in precio sunt, & porcellana uocantur apud hos fiunt ex marinis cochleis ouorum testis commixtis, & sub terra ad multos annos maceratis. Antonius Pigafetta uocat hunc Regem totius orbis terrarum potentissimum, eius regiam tradit septemplici muro munitam, satellitiumque ibidem habere decem millium militum, eundemque imperare 70. regulis regali diademate coronatis. Muscum hinc ad varias orbis partes deduci idem asserit. Tradunt alii regnum hoc elephantibus refertissimum

Nauium, triremium, & cymbarũ ingens numerus.

Rex Chinę.

Paquin Regia urbs

Manquin urbs olim regia.

Regis potẽtia tempore belli.

Religio Chinensiũ.

Sacerdotes Chinæ.

Prouinciæ huius regni.

Maritimæ prouinciæ.

Mediterraneæ prouinciæ.

Ingens habitatorũ numerus in uniuersa China.

Rex Chinæ omniũ potentissimus est.

Lacus maximus in Sancij prouincia.

esse, quor Rex 10. millia pro vsu belli nutrit, supra enim vnumquodq; conficiunt arcem in quo octo, vel decem viri armati, lanceis, arcubus, & balistis permanere possunt, & belligerare. Scribit quidam in *Sancij* prouincia lacum esse rotundum ex inundatione anno 1557. factum, in quo submersæ sunt ciuitates septem præter oppidula, & pagos, & mortalium ingentem numerum, vno tantum puero in trunco arboris seruato.

INSVLÆ CIRCA INDIAM Orientalem.

NNVMERAE sunt insulæ circa Indiam ipsam, atque per totum oceanum Indicum, ac orientalem sparsæ, de quibus omnibus pertractare non tàm difficilè, quàm impossibile videtur, cum pleræq; adhuc incognitæ maneant, & cum ad numerum incredibilem accedant, inter quas etiam multæ sunt exiguæ, ac nihil memoratu dignum habentes. De præcipuis itaq; saltem agemus facto initio ab occidentali parte, & inde uersus ortum progrediendo.

INSVLÆ SINVS CAMBAIÆ, seu Oræ Patalenæ, ac maris Indici.

Insulæ Cambaiæ sinus.

SVNT exiguæ multæ insulæ in hoc mari, inter quas præstantiores sunt *Diù, Tana, Bazainum, Ticuarinum, Anchediua, & Maldiuæ.*

Diù insula.

DIV' Insula in sinu Cambaiæ iacet, quam quidem ostiũ Indi fluuii efficit, hæc autem ponte continenti annexa est, & continet arcem insignem huius nominis a Portugallensibus constructum, de qua supra egimus.

Bazainum insula.

BAZAINVM Insula agrum habet fertilissimum. Vnde ex hac & ex vicina *Tanaa* Rex Portugalliæ prouentum recipit centum millium aureorum singulis annis.

Ticuarinũ insula.

TICVARINVM Insula prope Mandouæ fluuii ostia iacet, cuius longitudo est milliarium nouẽ, & latitudo millia trium continerq; GOAM urbem, quam Portugallenses possident, de qua alibi loquuti fuimus. Fertilis autem admodum est ipsa insula segetum, fructuum, animalium, & optimis aquis, atque clementissimo potitur aere.

Anchediua insula.

ANCHEDIVA insula distat a Calecuto 50. leucis, quæ nemoribus, piscibus omnis generis & aquis ualde abundat, ac tutam nauibus stationem præbet, unde in ea primum Lusitani construxerunt arcem, quam postea solo æquarunt.

MAL-

Maldiuæ insulæ innumeræ.

MALDIVE insulæ Canarino & Malabarico littori obiectæ numero plùs mille censentur. Multitudinem hanc inter cursantes euripi faciunt, adeò angusti, ut alibi nauium antennæ iubas arborum deterant: alibi etiam, qui ualentiores sunt uiribus, ramo quopiam manibus apprehenso ex una in alteram insulam saltu transmittant. Multis rebus ad uictum necessarijs carent incolæ: sed pro ijs omnibus una est palma Iudaicis, & Africanis, careotas ferentibus longè præstantior. Incolæ importato lino, sericoque talares tunicas eleganti opere texunt: quibus honestius multo, quam cæteri Indi uelant corpora. Piscantur etiam palmeis uerriculis minuta conchylia miro splendore, & colorum uarietate. hæc saburræ loco in onerarias indita, ac diuersas in regiones euecta apud Gangaridas, & Sionios (hi possident regna Bengalæ, Pegu, & Siam) uilioris monetæ explent uicem ad res parui precii coemendas: apud Hesperios autem Æthiopas cum rebus etiam carioribus permutantur. Insularum omnium caput est MALDIVA; ex ea cæteris cognomentum, ibi frequenti emporio domicilium est Regis. Hæc de Maldiuis ex Maffeo Iesuita de uerbo ad uerbum collegimus.

Qualitas earum.

Incolæ.

Conchylia, quæ loco monetæ expẽdũtur.

Maldiuæ insula reliquarum caput.

INSVLÆ SINVS BENGALICI, qui Ptol. est Argaricus sinus.

IVXTA orientalem oram sinus Bengalæ una tantum Insula præstans in mari imminet, quæ uocatur zeilam: reliquæ exiguæ sine nomine sunt. Sed circa occidentalem oram è regione regnorum *Bengalæ, Vermæ, Pegu,* & *Siam* complures occurrunt insulæ, sed tamen nullius nominis, ac magnitudinis, inter has insulæ NICVBAR que sunt quinque, uel sex importuosæ sunt, sicut etiam reliquæ: ac aquis indigentes, ad quarum ripas ambra, seu succinum expiscatur, & incolæ anthropophagi sunt.

Nicubar insulæ.

ZEILAM uero insula præstantissima est, quæ incolis Arabibus, *Tenarisim*, seu *Ternaßeri*, idest Terra delitiosa dicitur, & Indis *Hibernarum*, & antiquam fuisse Ptolemæi Taprobanam Andreas Corsalus, & Ioannes Barrius cum plerisque alijs censent; Mercator uero, cui magis in hac re fidem præstamus, putat esse Ptolemæi Nanigerim, Huius insulæ ambitus est 240. leucarum, seu ut alii dicunt 900. aut 700. milliarium: longitudo leucarum 78. seu milliarium 240. uel 250. latitudo autem leucarum 44 aut milliarium 140. Iacet autem non longe a Comorino capite iuxta oram Piscariæ, ubi in continenti est urbs *Cael*, uadoso tantum freto disiuncta, unde insulam ipsam quandoq; continenti fuisse annexam permulti censent, atque multo etiam maiorem fuisse. Non longè autem ab Aequatore abest, nam extrema eius Borealis ora uix decimum ab æquatore gradum attingit, unde sita est sub zona torrida, sub-

Zeilam inſ.

Magnitudo insulæ.

Situs.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ager huius insulæ.

que candenti sydere, nihilominus cœlo temperatissimo ac aere saluberrimo fruitur adeò ut isthic paradisum terrestre fuisse olim multi percenseant. Ager vberrimus est & perpetuo uirescens, & isthic arbores floribus ac fructibus perpetuo onustæ sunt, quæ suauissimos ferunt fructus, inter quos sunt mala Assyria suauitate incredibili, mala medica, & citria optima, palmæ præterea isthic eximiæ sunt bonitatis, & permulta aromata hic leguntur, vt cinnamum, cardamomum, garyophylum, piper ac alia. Abundat etiam ipsa insula carnibus ac piscibus mirum in modum: oriza tamen hic parcè prouenit, vnde ex Regione Coromandel isthuc copiosè affertur. Fert quoque regio elephantes innumeros ualdèque dociles, qui aliò comportantur.

Incolarũ cõditio & mores.

Plurimas fert gemmas, ut pote pyropos seu rubinos, hyacinthos, saphyros, balascos, chrysolitos, topatios, granatas, & quos vulgò *occhi di gatta* vocant, & id genus lapides complures. Incolæ partim gentiles sunt præsertim in mediterraneis, partim Maumetani nimirũ circa littus, omnesque albi sunt coloris, procera statuta, uentre magno, & ut plurimum pingues; delitijs vero admodum student, nudi in superiore parte incedunt, inferiorem partem sericeis ac gossipinis pannis nobilissimis ornant, & caput quoque panno subtili contegunt: aures auro ac gemmis ornant, zonas deferunt aureas gemmis ornatas: sunt tamen omnes ferè imbelles, exigui spiritus, ac ad bellum inepti, tormẽtis non utuntur bellicis, nec ferro, sed eorum arma harundines sunt, uictus eorum ex lacte butyro, caseo, ac oriza est, & potum ex palmarum succo colligunt. Præterea Insula hæc habuit olim quatuor Reges, qui in ipsa sceptra tenebant, qui omnes Gentiles fuere: sed tamen postremis his temporibus in nouem regna partita est, inter quæ COLMVCHI Regnum cæteris præstat, cui reliqua tributa soluunt, quæ sunt *Ianafapitan, Triquinamale, Batecolou, Villassem, Tananaca, Laula, Galle,* & *Cande*. Deniq; insula ipsa commercijs ualdè opportuna est ob portuum frequentiam ac rerum affluentiam, namque septem in ea numerantur portus præcipui præter alios minus celebres, ubi totidem sunt peramplæ urbes, inter quas primaria est COLMVCHI, in qua complures naues cinnamo, elephantibus, ac gemmis uariis onerantur. In urbe hac Portugallenses de consensu ipsius Regis arcem munitam ædificarunt, ubi tributum a Rege exigere solebant, antequam Rex ille a Mauris regno exueretur.

Nouem regna huius insulæ.

Portus inf.

Colmuchi urbs.

SVMATRA INSVLA E REGIONE Malacensis oræ, cum alijs vicinis compluribus insulis.

Sumatra insula.

SVMATRA Insula omnium totius orientis maxima est, quæ a continente Malacensis regionis angusto ac periculoso diuiditur mari, insulis exiguis ac scopulis referto. Hęc autem a septentrione in Austrum obliquè porrigitur, & ambitum obtinet 700. leucarum, hoc est 2100. milliarium, longitudinem uero alii mille, alii 900. alii autem 700. milliarium notant, atq; latitudinem 200. milliariũ. Posita est sub æquinoctiali circulo, ac sub Zona Torrida: etenim æquinoctialis circulus mediam penè secat, unde una eius pars in Borealem incidit plagam, occupans quinque ferè gradus, seu duos primos parallelos: reliqua uero pars in Meridiem uergit, 7. penè gradibus, atque tres Austrinos parallelos intercipit. Hanc Insulam antiquorum Taprobanam fuisse omnes penè auctores sentiunt, licet aliqui magnæ eruditionis uiri ipsam Auream fuisse Chersonensum putent, ac ob id antiquis ceu peninsulam creditam fuisse. Porrò insula hæc inclemens habet cœlum ob magnam uaporum copiam, quæ ex frequentibus fluminibus, ac paludibus exhalat, atque etiam ob densissima nemora. Ager frumentum & alias segetes non patitur, ut apud nos, sed tantummodo milium, & orizam producit, itemque mel, ceram, gingiber, benzuinum, camphoram, agaricum, cassiam copiosè mittit, in primis uero piperis uulgaris, & piperis oblongi magnus est isthic prouentus, ut inde singulo anno uicenę naues illo onustę ad Cathaium deferantur. Pręterea magna gossypii, ac serici quantitas isthic prouenit, & auro, stamno, ferro, sulphure, ac aliis quibusdam mineralibus apprimè regio ipsa diues est. & in ea insignis eh fons, ex quo haphtha instar olei manat. Sunt etiam isthic montes insignes, quorum unus perpetuò ardet, & flammas horribiles emittit. Elephantes demum maiores quam alibi, ac bellicosiores regio hęc fert. Scribunt quidam uniuersam hanc Insulam in quatuor regna esse diuisam: alii in decem, alii autem in 29. ex quibus nota sunt tantummodo decem, nempe Regnum *Pedir*, quod cæteris præstat, *Pazem* seu *Pacem*, *Achem* seu *Acem*, *Campar*, *Menancabo*, quod est fundamentum diuitiarum uniuersæ insulæ, cum in eo sint mineræ auri opulentissimæ, & regnum *Zunde*, & hæc quidem sex regna sunt circa littus ipsius insulæ, ac a Mauris occupata olim fuere. Reliqua duo in mediterraneis sunt, nempe *Andragide*, & *Auru*, cuius incolæ gentiles sunt ac anthropophagi, qui carnem uorant humanam, præcipuè uero hostium, quos in bello capiunt. Veruntamen his postremis tẽporibus

Magnitudo ipsius.

Situs cœlestis.

Sumatra olim Taprobana.

Qualitas insulæ.

Diuisio insulæ in aliquot regna.

Regna littoralia.

Regna mediterranea.

potentior

Universidad de Deusto Biblioteca

Rex Acen potentissimus.

potentior cæteris est Rex *Acen*, qui regna *Pacem* & *Pedir* usurpauit, ac totam præterea septentrionalem insulæ partem, is autem Rex ob fœdus quod cum Turca iniit, & cum Arabibus magnam aliquando classem parat aduersus Malacitanos & Portugallenses.

Aureæ ins. Andremania.

Ab occasu Sumatræ sunt AVREAE insulæ, quarum una dicitur ANDRAMANIA, quæ incolas habet hominiuoras. & inter Sumatram ac Malacam est Archipelagus magnus insularum, quarum præcipuæ sunt,

Bintã insu.

LINGA, BANCA, & BINTAM, quæ ultima non longè a continenti iacet, estque humilis & densissimis ac celsissimis arboribus consita', ac multis aquis irrigua; habet uero fluuium nobilem, ad cuius ostia est tuta nauium statio. Domus isthic ex lapidibus constat, sed tamen stramine tectæ sunt, præterquam Regia habitatio, quæ in loco eminenti sita est.

Fretũ Cincapuræ, & fretum Sabaon.

inter Sumatram & Malacam duo sunt canales seu euripi, per quos postremis temporibus nautæ incedunt, alter dicitur fretum *Cincapuræ* ab vrbe in continenti sita, estque iuxta oram Malacæ; alter uero dicitur fretum *Sabaon* ab insula huius nominis, atque is iuxta oram Sumetræ incedit.

INSVLÆ PER VNIVERSVM Orientalem oceanum dispersæ.

Philippinæ insulæ.

SVNT in hac oceani parte infinitæ propemodum insulæ hinc inde sparsæ, quæ communiter dicuntur Philippinæ, quia sub Philippo Rege hodie regnante detectæ fuerunt; harum numerum dicunt esse circiter undecim millium, sed famosæ sunt *Borneo*, *Iaua maior*, *Iaua minor*, *Celebes*, *Gilolo*, *Molucæ*, *Ambon*, *Bandam*, *Tidor*, *Philippinæ* propriè dictæ, *Palohan*, ac præterea *Iapan*, & *Lequio*, quæ in conspectu Chinensis prouinciæ conspiciuntur.

BORNEO INSVLA.

Borneo insula olim Bonæ fortunæ.

BORNEO insulam Mercator putat esse eam, quam Ptolemæus Bonæ fortunæ nominat. Iacet autem propè æquatorem a Borea ipsum contingens & supra sextum gradum latitudinis extenditur, occupans duos priores parallelos.

Situs cœlestis.

Magnitudo eius.

Maxima est ipsa insula nam quidam tradũt trium mensium habere circumnauigationem, quidam uero ambitum habere 2100. milliarium.

Qualitas.

Hæc autem rebus ad uictum necessa. ijs admodum affluit, ac copiosè camphoram, agaricum, equos pueres. Multos habet portus, ac amplas urbes, quarum primaria est BORNEO, quæ toti insulæ nomen dat, in qua sanè 25. millia circiter ædes

Borneo urbs.

compu-

computantur. Sita uero est in palude aquæ maritimæ ad Venetiarum instar. Rex qui isthic residet Maumetanus est, cum quo nulli loqui licet, nisi mediante interprete, Incolæ colore albicante sunt, acerrimo ingenio, & probitate prædicti, licet idola colant: his habitus uarius est; alii enim interula gossypina: alii undonibus utuntur: alii uerò apice subrutile.

Incolæ & Bornæi.

IAVA MAIOR, IAVA MINOR, Macazar insulæ.

Iauæ maioris magnitudo.

IAVA maior non longè a Sumatra uersus ortum, & meridiem iacet, & ambitum habet trium millium milliarium ut Marcus Polus & Nicolaus de Comitibus tradunt, longitudinem uero 570. milliarium. Sita autem

Situs cœlestis.

est ultra æquatorem ab Austro, & incidit inter gradum 6. & 13. ferè eleuationis Austrini poli complectens tertium & quartum parallelos: Hanc uero Iulius Cæsar Scaliger omnium

Qualitas.

rerum facili, ubereque prouentu Compẽdium orbis appellat. Nam eius ager frumẽta ac fructus copiosè mittit, sed in primis orizam & radices quasdam ab incolis *Ymane* uocatas: carnes omnigenas magna in copia habet, quas salitas in diuersas partes mittit: uolucres absque pedibus magnitudine palumbarum sunt hic innumeri super arbores quiescentes, quorum tamen carnes non comeduntur, sed eorum pelles ac caudæ pluris æstimantur: Sericum ex syluis sponte id gignentibus colligitur: Mittit quoque aurum & optimum æs, & smaragdos totius orbis elegantiores: Non desunt isthic aromata, nam piperis, cinnamomi, gingiberis, & casiæ fistulæ optimus est prouentus. Est uerò insula hæc (Scaligero teste) ita

Insula hæc valdè vẽtis subiacet.

uentis adeò exposita peruiaque ut nunquam ullo totius anni tractu

Incolarum conditio & mores.

uacet a flatibus tam diurnis quam nocturnis. Incolæ partim Mauri sunt nempe in Borcali littore: partim gentiles hoc est in mediterraneis, ac in Australi parte, suntque omnes humilis staturæ, sed corpulenti lata facie, qui nudi ut plurimum incedunt, pudenda tantum tegendo: alii uero serica ueste angusta amiciuntur, & ad genua solum extenta, neque caput operire solent. Hi autem sunt inter cæteros insulanos totius orientis cõptiores, ac ciuiliores, quippe quia dicunt, eos ortum a Chinensibus ducere; sed tamen sunt superbi, inhumani, mendaces, proditores, & cæteris hominibus crudeliores, quippe quia homines temerè, & absq; pœna ac causa occidunt, licet Scaliger eos optimæ spectatissimæque fidei esse dicat. Pyratæ præterea maximi sunt, qui continuò mare infestant, naues optimè fabricate norunt, ac tormenta bellica seu bombardas: comedunt feles, mures, aliaque immunda animalia: in bello strenui sunt, & uindictæ cupidi. Altissimi asperrimique montes mediam ipsam insulam dis-

Mõtes, qui insulã mediam secãt.

pescunt, unam eius partem a borea relinquẽtes, alteram uero ad austrũ, inter quas nullum est commercium. Multi Reges Maumetani in insula

Reges huius insulæ.

hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac imperant, qui tamen omnes vni Regi Gentilium parent in mediterraneis degenti. Sunt autem in Boreali insulæ parte ciuitates aliquot amplæ, quæ optimos habent maris portus, suntque *Sunda* pipere abundans, *Japara*, *Agracan*, *Panaruca*, & aliæ.

Vrbes præstantiores.

Iaua minor

IAVA minor meridionalior ac orientalior est maiore Iaua, & hæc incognita penè iacet. Tradunt verò scriptores ambitu suo patere milliaribus duobus millibus, ac eiusdem qualitatis ac conditionis cum altera esse, atque in ea nasci uaria aromatum genera Europæis nunquam uisa.

Macazar insula.

Supra Iauas uersus Sindas eminet altius MACACE, uel MACAZAR Insula, quæ ab Aequatore ad Austrum, gradibus quatuor distat, & ab ortu in occasum protenditur 600. milliaribus. Habet in sui medio montes altissimos, ex quibus fluuii nauigabiles oriuntur. Abundat autem oriza, carnibus, piscibus, sale, gossypio, sandalo, atq; etiam auro ac margaritis

Qualitas eius.

diues est. Rex in urbe *Senderem* residet, quæ iuxta lacum iacet, ac mercaturæ ualde opportuna est.

CELEBES, GILOLO, ET AMBON insulæ, quæ Ptol. Sindæ dicuntur.

SINDAS insulas tres ponit Ptolemæus, quam Mercator uult hodie esse *Celebes*, *Gilolo*, & *Ambon*, quarum duæ priores ab Aequatore secantur, reliqua ad meridiem uergit. Hæc autem Insulę Ptol. sæculo Anthropophagorum erant.

Gilolo insula.

GILOLO, uocatur etiam *Batochina*, & una est ex insulis, quas vulgò nominant *Del moro*, cuius magnitudo est ueluti dimidiæ Italiæ. Abundat autem oriza, & medulla cuiusdã arboris, quæ *Sagu*

Qualitas.

vocatur, ex quas panem conficiunt, a qua etiam arbore succum colligũt loco uini. gallinas syluestres complures mittit a nostris ualdè differentes, & uicinum mare magnam habet testudinum ingentium copiam, cu-

Incolarum mores.

ius caro eiusdem ferè saporis est cum carne veruecina. Cœlum isthic inclemens est, & aer calidus. Incolæ benè proportionati sunt, barbari ac crudeles, qui vt olim carnem uorant humanam Rex autem Maumetanus est.

Celebes insulæ.

CELEBES insula ab occasu Molucharum iacet, cum nonnullis aliis, quæ sub eodem nomine comprehenduntur, & hæ omnes insulæ aceto diuites sunt, quorum incolæ albo sunt colore, ac hominiuoræ, idolatræ, & pyratæ, qui etiam nudi incedunt præter pudenda. Ad hos Moluccarũ Rex morti damnatos mittit, ut deuorentur.

Ambon insula.

AMBON insula ambitum habet 500. milliarium, & uicinis aliquot insulis nomen dat. Asperrima autem est ac sterilis, cuius incolæ piratica ex an-

et anthropophagia infames sunt, quippe quia alter alteri proprios parentes ad deuorandum exponit, quando senio confecti sunt, uel incurabili laborant morbo: atque circumuicinas omnes insulas infestant.

A Septentrione Insulæ Gilolo permultæ imminent in mari insulæ, ut *Morotay*, *Tarrao*, *Sanguin*, & aliæ, quæ rebus ad uictum necessariis satis abundant, sed incolas habent latrones, ac pyratas.

MOLVCÆ INSVLÆ famosæ.

Molucę insl.

MOLVCÆ Insulæ celebres sunt ob ingentem aromatum copiam præsertim garyophyllorum, quam toti orbi submiuistrant. Hæc autem sunt quinque

Molucarũ nomina.

principales, nempè *Tarenate*, *Tidor*, *Motir*, *Machian*, & *Bachian*, seu *Bacianum*, quarum nulla ambitum sex leucarum excedit, atque his aliæ etiam minores plurimæ circumfusæ sunt, omnesque intra 25. leucarum spatium comprehenduntur. Iacent uerò sub Æquatore inter sindas Insulas concluſæ, seu ab Occasu Insulæ Gilolo. Ager in uniuersum prędictarum insularum aridus est, & spongiæ similis, quippè quia cadentes è cęlo imbres, & è montibus descendentes aquas confestim absorbet, antequam in mare dilabantur. producit uaria aromata, ut nuces myristicas, masticem, lignum aloes, sandalum, cinnamomum, gingiber, & piper, sed gariophyllos solæ hæ insulæ ferunt, & quidem tanta copia, ac sine ulla cultura, ut mirum sit. Cæterum fruges ad humanæ necessitatis usum parcè isthic proueniunt, unde incolæ reliqua ad uictum, & cultum aliundè habent. Inuenitur hic quædam auis, quæ Paradisi auis dicitur, & incolis *Manucodiatta*, quam è cœlo descendere superstitiosè credunt harundines isthic in magnam molem excrescunt adeò, ut doliorum uice suppleant. Vulcani quoque nonnulli isthic sunt, qui ad instar montis Ethnæ continuo flammas eructant, præcipuę uerò in *Terenate* insula. Incolæ Maumetani sunt, & plebei idolatræ, qui omnes nudi incedunt: qui sunt autem uaria lingua, & origine diuersa, sed tamen omnes perfidi, fraudolenti, scelerati, ac proditores, & inhumani. Præcipuę insulæ sunt duæ nempè *Tidor*, & *Terenate*, quæ ultima duos habet portus, in quorum altero arcem Portugallenses extruxerunt commercij causa, rerum proximè elapsis annis ab his insulis eiecti sunt.

Situs cęlestis.

Qualitas earum.

Gariophyllum solæ molucę mittunt.

Paradisi auis.

Incolæ Molucarum.

Insulæ præcipuę Molucarum.

BAN-

Universidad de Deusto
Biblioteca

BANDAN, TIMOR INSVLÆ.

Bandi inſ.

BANDAN paruæ inſulæ numero circiter ſeptem à meridie Sindarum inſularum ac Molucarũ iacent, ſub gradu circiter 7. latitudinis Auſtrinæ: alii eas ultra gradus quatuor cum triente ponunt. Horum nomina ſunt *Bandam* maior cæteris, ac eiſdem nomen communicans, *Mira, Roſolargium, Ay, Rom, Neira,* & *Gunuape* omnium minima, quæ continuo ardet ac propterea deſerta eſt. Mitrunt autem hæ inſulæ nuces myriſticas & maſticem ex eadem arbore. Incolæ agreſtes ſunt & uiles, qui more brutorum abſque ſuperiore uiuunt, ſuntq; obtuſi ingenij, imbelles, ac idolorum cultores.

Timor inſ.

A meridie harum inſularum continua ſeries inſularum ac ſcopulorum imminet, inter quas *Timor* celebris eſt ob ſandalum album, quæ poſita eſt in gr. 10. latitudinis Auſtrinæ.

PHILIPPINÆ INSVLÆ PROPRIÆ dictæ, & Ptol. Baruſſæ.

Philippinæ inſulæ.

SVPRA Sindas & Molucas à Septentrione magnus inſularum cumulus cernitur, quæ hodie propriè PHILIPPINAE dicũtur, & Ptol. ſunt Baruſſæ, ut mercatori placet, quas priſcis temporibus Antropophagi inhabitabant. Ex his maiores ſunt MINDANAO, quæ plures habet urbes nobiles, *Cailon, Panaodas,* & *Subut*. Sed TANDAIR cæteris præſtantior, ac amænior eſt, quę propriè Philippina nuncupatur, atque ambitu ſuo 160. leucas colligit. Eſt eſt LVZZON inſula, ambitus mille propemodum milliarium, in qua Hiſpani urbem ædificarunt ſatis commodam, quæ uocatur *Manila*. In uniuerſum autem in his inſulis optima eſt aeris temperies accedens ad caliditatem. atq; ueruero ipſæ magnam fert rerum ad uictum neceſſariarum copiam, qualia ſunt oriza, legumina, ſacchari harundines, mel, cera, fructus nobis incogniti, inter quæ ſunt ficus, quæ fructus ſpectatæ magnitudinis producunt. cuius longitudo ſemicubitalis ferè eſt; eſt etiam in iiſdem inſulis mira piſcium affluentia; præterea gallinarum, uolucrum, & animalium magnam nutriunt quantitatem. Goſſypium etiam ad abundantiam mittunt, & auro prædiuites ſunt atque etiam ferro. Has inſulas Hiſpani nuper acquiſiuerunt, eaſque nunc ſtrenuè tuentur.

Mindanao inſ.
Tãdair inſ.
Luzzon inſ.
Vrbs Manila.
Qualitas harum inſ.

PALO-

PALOHAN inſula ad occaſum harum Philippinarum iacet, quam Bazacatam eſſe Ptol. uult Mercator.

Palohã inſ.

IAPAM INSVLA nominatiſſima.

IAPANICA Inſula, quæ Marco Polo *Zipangri* dicitur, & olim *Chriſe* uocabatur, ualdè magna eſt, atque potius aggregatum plurium inſularum inter ſeſe paruis maris ſinubus, ac euripis diſcretarum, quæ extenditur à gradibus 31. uſque ad gradum 39. altitudinis. Hanc Mercator putat eſſe Auream Cherſonneſum Ptolemæi, uultque ipſum fuiſſe deceptum, accipiendo ipſam Inſulam pro peninſula. Quod quidem ueriſimile non uideretur ob nimiam diſcrepantiam reſpectu cœli (Ptolemæus enim locat hanc ſub æquatore hinc inde, quod ſanè inſignem arguit lapſum) niſi habitudo reliquarum inſularum adinuicem conſentiret probabili ſatis coniectura, quæ quidem ſunt Bornei, Sindæ, Baruſſæ, Bazacata, ut ſuperius annotauimus. His addo, nullam reperiri in deſcriptione Inſulam, quæ huic quadrare poſſit. Vt ut res ſit, ſatis conſtat nunc, hanc Inſulam eſſe nobiliſſimam, & ditiſſimam, magnamque auri copiam habere. Aſſerit enim Marcus Polus, ſuo tempore palatium regium aureis laminis, ſeu bracteis coopertum fuiſſe, deinde eſſe ibi margaritas permultas rotundas, & magnas, ſed rubei coloris, quæ quidem albis in pretio, & ualore longè præcellunt, atque etiam lapillos pretioſos. Scribunt venerandi Patres Ieſuitæ, qui plurimis ab hinc annis mira pietate, ac indefeſſo labore horum populorum ad Chriſtianam fidem conuerſioni ſtudent, inſulam hanc 66. parua regna complecti, qui reguli potius, & ueluti Duces Marchiones, ac Comites ſunt, atque etiam in tres Inſulas, ſeu partes principales diuidi, quarum prima continet 53. regna, ubi eſt Meacum totius regionis Metropolis, inter quos ſanè reges duo cæteris potentiores ſunt, nempè Rex MEACI, qui ſub ſe 24. uel 26. alia regna habet, & Rex AMAGVNCII, qui 12. uel 13. aliis præeſt regnis, & hi quidem uario marte continuo inter ſe belligerant. Secunda pars dicitur XIMO complectens 9. regna quorum principalius eſt regnum BVNGI, & poſt hoc regnum FIGEN. Tertia Inſulæ pars dicitur XICOVM, quæ 4. in ſe regna habet, ac in aliarum medio iacet: reliquæ paruæ Inſulæ circum has tres principales ſunt diſpoſitæ. Diſtat autem Iapam à Chinæ continenti breuiori quidem interuallo leucis 60. & a noua Indiarum Occidentalium Hiſpania leucis 150. Regio autem

Iapan inſ.
Aurea cherſonneſus
Laudes huius inſ.
Regna 66. in hac inſ.
Iapan diuiditur in tres præcipuas partes
Bungi, & Figẽ regna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regionis qualitas.

autem ipsa ut plurimum montuosa est, gelida, & sterilis potius quàm fœcunda, grana accolæ mense Maio colligere solent, idque paucis in locis, ex quibus non ut nos panem conficiunt, sed polentam potius: orizam copiosissimè in Septembri colligunt: ex qua ut plurimum substentantur, atque ex ea etiam uinum sibi parant tametsi aquam puluere precioso ipsis *Chia* uocato bibere pro delitiis habeant; butyro, & oleo oliuarum carent; oleum tamen à balenis extractum habent; animalia apud hos tam domestica, quàm syluestria sicut nostratia sunt, sed syluestrium potius quam domesticorum carnibus uescuntur, & in uniuersum neglectis carnibus ex oriza, piscibus, ac herbis uictitant. Inter montes duo cæteris præstant, quorum unus spectatæ altitudinis est, adeò ut etiam ipsas nubes magno interuallo superet, qui ipsis *Figenoiama* uocatur: alter uerò qui continuo ardet, ac flammas proiicit.

Montes altissimi.

Incolæ Iapanicæ inf.

Incolæ colore sunt oliuastro potius quam albo (ut ipsis etiam oculis nos conspeximus superioribus annis, cum Venetiis regio apparatu fuere Reguli quidam Iapponensium excepti, quos ex illis Insulis in Italiam deduxerant Patres ex societate Iesu, ut Pontifici Opt. Max. Romæ pedes deoscularentur, debitamque Obedientiæ significationem Christi Vicario præstarent, quos etiam Venetias adduxerant, ut tantam Vrbem, Italiæ miraculum, in ipsis, aquis positam, & magni Imperij, ac libertatis altricem, spectarent) ingenio præterea, & memoria mirabili pollentes, laborum tolerantissimi, sunt gloriæ cupidi, iniuriarum impatientes, sed simulatores maximi sunt, & proditores, sunt etiam inter illos, qui filios quam primum natos suffocent, quo tædium eos nutriendi effugiant. Vnum tantummodo habent idioma, sed maxima permixtum uarietate, ut potius plura uideantur idiomata quam unum; characteres horum simplices literas non referunt, sed ipsamet integra uocabula. Horum diuitiæ sunt metalla, quibus maximè operam nauant, & arma eorum sunt sclopeti, sagittæ, macheræ, pugiones, & oblonga arma leuitate sua maximè præstantia: caput ut plurimum detectum ferunt in luctu albis uestiuntur pannis. Superstitiosi, & idolorum cultores sunt, nonnulli attamen Christianæ fidei addicti paucis ab hinc annis sunt.

Insulæ innumeræ propè Iapam.

A Meridie Iapanicæ Insulæ magnus insularum, & scopulorum aceruus conspicitur longa, ac continua serie nonnihil ad Occasum tendens, quarum nonnullæ *Lequio maior*, nonnullæ *Lequio minor* uocantur, & inter has est Insula *Hermosa*, & alia quæ dicitur *Reix magos*. Quæ quidem omnes auro, fructibus, ac rebus ad humanum usum necessariis affluunt, & incolas bellicosos admodum habent, qui in primis optimi sunt sagitarij.

Multa de his Insulis dici possent, sed ego breuitatis studio, & occupationem uarijs quasi fluctibus distractus, quæ me hæc scribentem nec opinantem exceperunt, coactus sum in aliud commodius tempus reiicere si qui uero interim cupiat plura de his erudiri. Legat ea, quæ literarum sunt mandata monumentis a Reu. Patribus antedictæ Societatis IESV.

Universidad de Deusto
Biblioteca



XXXIII.

TVRCICI IMPERII DESCRIPTIO.

EXHIBET hæc unica Tabula vniuersum Othomanæ, seu Osmanidæ familiæ Imperium, quòd sanè amplissimum est, ac potentissimum, cum permultas complectatur prouincias, ac regiones Europæ, Africæ, & Asię. Si quidem in Europa extenditur iuxta oram maritimam Adriatici sinus à finibus Epidauri, nunc *Ragusi*, & totum Ægæum mare circumambiens, simulque propontidem, ac non minimam Euxini maris portionem ad Theodosiam urbem in Zaurica chersonneso sitam, quam nunc *Caffam* uocant, terminatur. Quod spatium octo millia milliarium continet. In mediterraneis uerò protenditur à Iauarino oppido Vngariæ, incolis Rab, quod anno 1594. Turca occupauit ad Constantinopolim usq; in finibus Europę sitã. In quo sanè spatio continentur hæ regiones immediatè ipsi Turcæ subiectæ, uidelicet VNGARIÆ maior, ac potior pars, de qua in Tabula xx. egimus. ROMANIA, olim Thracia, GRÆCIÆ uniuersę regiones, nimirum Macedonia, Epirus, Achaia, Pelopõnesus, nunc *Morea*, cum uniuersis insulis Ægæi maris, nunc *Archipelago* dicti, atque etiam ILLIRIDIS, seu Sclauoniæ pars, de quibus omnibus, pertractatum fuit à nobis in Tabula xxj. Deinde etiam BOSNA, SERVIA, RASCIA, & BVLGARIA. Præterea tributariæ regiones fuerunt usq; ad hunc annum Turcici Imperatoris in Europa TRANSILVANIA, VALACHIA utraq; Transalpina, scilicet & Moldauia, quæ tamen nunc ab ipso defecerunt, & cum Romanorum Imperatore aduersus Turcam confœderatæ sunt, quas quidem regiones omnes summariè infra describemus, Transiluania tamen excepta, cum de ea à nobis pertractatum fuerit in Tabula Vngariæ.

Imperium Turcicum potètissimũ

Pars Turcici Imperii in Europa.

Regiones Europę sub Turca.

In Africa uerò habet Turca uniuersam oram maritimam ab oppido *Bellis de Gomera* usq; ad sinum Arabicum, seu mare Rubrum exceptis quibusdam paucis locis Hispaniarum Regi subiectis, in quo spatio cadunt aliquot præstantes urbes, & regna Barbariæ nimirum ALGERIVM, TVNETVM, & TRIPOLIS, atq; tota ÆGYPTI regio ab Alexandria, scilicet usq; ad *Asnam* urbem olim Syenem uocatam, cum Arabiæ etiam Troglodyticę parte ab oppido *Sues* in sinu Arabico usq; ad oppidum *Suachem*. Præter hæc etiam FESSA, & MAROCVM regna tributariorum nomine sub Turcico Imperio ueniunt. Et has

Regiones Africæ sub Turca.

quidem regiones deſcripſimus in Tabulis xxiij. & xxiiij.

Poſtremò in Aſia Turca poſſidet NATOLIAM, quæ olim fuit Aſia minor, quam deſcripſimus Tabula xxvi. CYPRVM Inſulam, de qua pertractauimus Tab. xxix. SYRIAM uniuerſam, ſub qua cadunt Paleſtina, Iudæa, Cæleſyria, Phænicia, Babylonia, & aliæ, de qua extat deſcriptio noſtra ad Tabulam xxx. Et præter haſce comprehenduntur etiam ſub Turcico Imperio ARABIA triplex præter portiunculam ad ſinum Perſicum, quæ ſub Ormutij regno cadit, ARMENIA MAIOR, & GEORGIA præter Meſoporaniam, Mediam, ac alias partes quæ olim ſub Perſarum Rege fuerunt, de quibus egimus in Perſidis Tabula. Nunc autem ad regionum Turcæ, quæ ſuperſunt, deſcriptionem accedamus.

BOSSINA.

Boſſina olim Dardania unde dicatur. Qualitas Boſſinæ.

BOSSINA Regio Illyridis pars eſt, quæ Oroſio Dardania dicitur, & alijs Mæſia eſt ſuperior. Nomen ſumit à fluuio *Boſna*, qui in Sauum fluuium exoneratur. Eſt autem ipſa regio montibus aſpera, & ſitu ac natura tuta, & in ea ſunt mineræ argenti. quam quidem in Boſſinę Regnum, & in Ducatū Boſſinę diuiſam uideo.

Boſſinæ regnum. Iaitza Caſtellum.

BOSSINÆ REGNVM inferiorem huius regionis partem occupabat, cuius caput erat *Couadza*, ſeu *Iaitza* caſtellum in montis uertice ſitum intra duos fluuios, quod arcem habet inacceſſibilem. Et hoc quidem regnum occupatum fuit à Turca anno 1464. excoriato Stephano Boſſinæ rege, qui Raſciæ & Seruiæ etiam Deſpota erat.

Ducatus Boſſinæ.

DVCATVS autem BOSSINENSIS ſuperiorem regionis partem occupabat Raguſæis finitimam, cuius Dux uocabatur etiam Dux S. Sabæ, uel Herzegouinæ, uel Montis Nigri. & hic quoque ducatus in Turcarum ditionem prædicto anno deuenit. Vnde facta nunc eſt uniuerſa Boſſina Beglerbegatus à Turca, cuius ſedes eſt in *Bagnialuca*, cui ſubiecti ſunt nouem Sangiacatus, uidelicet *Bagnialuca, Poſchega, Cliſſa, Herzogouina, Lixa, Sazeſchna, Iſuuornix, Brſrem*, & *Allatſchiachiſſar*. Hic porrò Beglerbegus prouentum accipit decem millium aureorum, & habet ſub ſe 800. equites, quibus perpetuo circumuicina loca infeſtat.

Bagnialuca Beglerbegi Boſſinæ ſedes.

SERVIA, RASCIA.

Seruiæ ſitus.

SERVIA Regio inter Boſſinam, & Bulgariam iacet, quam antiquam Triballorum regionem, & Męſiam ſuperiorem eſſe multi putant. Et hi quidem populi huc ex Septentrione debilitatis Imperii Romani, Græcique uiribus commigrarunt. *Sirfi* etiam hi apud ſcriptores quoſdam dicuntur, atque etiam *Raſcii*, & ipſa regio *Raſcia*. Sunt tamen qui hos populos diuerſos putent, ſed tamen uicinos, & a Roſſis Septentrionalibus populis huc profectos.

Sirfi populi. Raſcii.

Senderouia vrbs.

Regia Seruiæ urbs fuit SENDEROVIA, quam alii Spenderoben, alii Simandriam, uel Semendriam, Turcæ *Semender*, Vngari *Zendreuu* uocant, quæ quidem non longè a Belgrado ad Danubii ripas iacet, & capta fuit a Murate Turcarum Imperatore anno 1438. & in Sangiacatum redacta ſub Budenſi Beglerbego.

Vidina op.

Nobilia quoque oppida ſunt VIDINA, quod Turcis *Kiratouum* appellatur, ſitum ad montem Argentarum, factusq; fuit Sangiacatus ſubiectus Temiſuarenſi Beglerbego. NOVOGRADVM in finibus Seruiæ iacens, quod quidam perperam *Nouum montem* appellant, in quo quidem eſt arx inexpugnabilis. MONS NIGER, ubi ſunt argentifodinæ admodum nobiles.

Nouogradū Mons niger.

BVLGARIA.

Bulgaria vnde dicta.

BVLGARIA quaſi Volgaria dicitur, nimirum quia huiuſmodi populi profecti a Volga circa annum Domini 666. hanc regionem occuparunt. quam ſanè quidam eſſe antiquorum Męſiam inferiorem putant. Iacet inter Seruiam, Romaniam, ac Danubium. Eſt autem ut plurimum montibus aſpera, & iuxta dorſum Hęmi montis producta modo uerſus Danubium, modo uerſus Romaniam. Vnde media ipſa regio aſperior eſt. Decliuiora loca ſyluis obſita ſunt, & ſolitudinibus occupata. Sunt tamen ualles aliquæ ac planities. Metropolis urbs eſt SOPHIA, quam Ptolomæi Tibiſcum oppidum Niger putat eſſe, quæ ſitu peropportuno gaudet, & magna ac populoſa eſt, licet nulla ex parte ſit munita. Eſt uero ſedes Beglerbegi Græciæ, ſeu Europæ, qui Turcis *Rumeli Beglerbeg* dicitur, ſub cuius uexillo hi 21. Sangiacatus continentur nempe Sophiæ, Nicopolis Turcis *Nigeboli* in Bulgaria: *Kiricliſſe*, ideſt quadraginta eccleſiæ, *Vyza* in Thracia: *Kirmen, Siliſtra, Guiſtandil, Vſcopia*, in Macedonia: *Bender* verſus Pontum Euxinum. *Kermen*, ſeu *Aherman* in Beſſarabia:

situs Bulgariæ, & qualitas.

Sophia vrbs Metropolis

Beglerbegus Græciæ.

Prisrem, Salonichi, & Tricala in Thessalia: *Misitra* quondam Sparta,& *Palæopatra* in Pelopõneso,seu Morea:*Ioannina*,seu *Iagnia* in Ætolia: *Deluina, & Elbassan* in Achaia: *Auelona, Ducagin, & Iscodar* seu Scutarum in Epyro,seu Albania.

VALACHIA DVPLEX, NEMPE Moldauia, & Transalpina.

Valachiæ situs.

VALACHIA Prouincia,quam alii Flaciam, alii Valagniam uocant, iacet inter Danubium, & Tyrã amnem, ac inter Transyluaniam, & pontum Euxinum, seu mare nigrum. Quæ quidem, ut in Transyluaniæ descriptione dictum fuit,Daciæ pars erat. Hodiè in duas partes distribuitur,nimirum in maiorem, & minorem. VALACHIA MAIOR ad Euxinum mare se porrigit, & nostris *Moldauia*, Turcis *Carabogdania*, idest nigra Bogdania, siue Bogdani regio dicitur,a frumento scilicet nigro,cuius ille ager est feracissimus.Est autem plana,ac fertilis,sed incolis infrequens & arboribus destitura,unde stercore bouino ignem nutriunt. Abundat equis optimis,& ad labores assuetis,atque etiam bobus maximis: mineris quoque auri & argenti diues est,licet ob Turcarum metum non effodiantur,quinetiam fluuii ipsi auriferi sunt,quorum primarius est *Pruth*,quem alii *Berut*,uocant,& Ptol. est Hierassus.

Valachiæ diuisio.

Valachia maior, seu Moldauia. Qualitas.

Pruth fl.

Zuccauia vrbs.

ZVCCAVIA vrbs Vaiuodæ sedes est, reliqua oppida digniora sunt *Varna,Ocazzonia, Barlauia,Cutinari,& Cocina*. Habitant autem in Moldauia complures Armeni,Iudæi,Vngari,Saxones,& Ragusæi,apud quos omnis negociatio est: namque hi triticum,& uinum in Russian & Poloniam mittunt,atque etiam coria,gaussapinas, ceram, mel, carnes bouinas salatas, butirum, & legumina Constantinopolim. Vinum etiam maluaticum, quod ex Creta in Poloniam, & Germaniam deportatur, per hanc regionem transit, unde ex hoc Vaiuoda magnum recipit uectigal.

Incolæ Moldauiæ præter naturales.

Bessarachia regiuncul

Moncastrũ opp.

Ad ipsam Moldauiam pertinet BESSARABIA, quæ est illa regio extrema in ora ipsius ad mare nigrum sita, sic a Bessis Thracibus appellata,in qua quidem sunt *Kilim*, & Moncastrum seu *Chermen* oppida quæ una cum regione ipsa occupata fuerunt a Turca anno 1485. & in Moncastro, residet Sangiacus Græciæ beglerbego subiectus.

Valachia mino, seu Transalpina.

Tarno uizza opp.

MINOR VALACHIA appellatur Transalpina,& aliquibus etiam Montana,quam Græci Valachiam uocarunt,& hæc quidem sub nomine Valachiæ simpliciter cadit. Extenditur autem propter Danubii ripas, & aspera est,ac male habitata. In ea autem TERNOVIZZA oppidum Vaiuodæ sedes est. Alia oppida sunt *Braila, & Trescortum*, non longè a quo effoditur bituminis species, ex quo sicut ex cera optimæ

mæ fiunt candelæ. Reliquum ipsius regionis per pagos, & villas habitatur.

Mineræ salis.

Sunt autem in uniuersa Valachia mineræ salis solidi ad instar marmoris, colore cæruleo, quod tritum albescit, atque etiam multæ mineræ ferri.

Valachorũ mores.

Valachi ut plurimum animo instabiles, iracundi, crapulæ, & otio indulgentes,& pauperes sunt, qui domus inhabitant ex ligno, & stramine confectis, creta incrustatis, & harundine contectis, quæ istic abundat.

Valachia olim Poloniæ tributaria deinde Turcæ.

Valachia porrò ipsa olim Regis Poloniæ tributaria erat,& ad bellum 50. millia equites mittebat, & omnibus bonis affluebat,sed ob diuturna cum Turcis bella non solum deserta reddita fuit,sed ipsius Turcæ tributaria facta circa annum Domini 1461. cui patuit, usque ad annum præsentem,quo uterque Vaiuoda cum Romano Imperatore aduersus Turcam conspirauit.

ARABIA TRIPLEX.

Arabiæ vniuersæ situs.

ARABIA vniuersa magna admodum est prouincia, quæ in peninsulæ formam inter duos ingentes sinus concluditur, Arabicum nimirum ab Occidente, & Persicum ab Oriente, ab Oceano autem a meridie abluitur, & habet a Septentrione Syriam, ac Eufratrem fluuium.

Arabiæ qualitas.

Est autem ipsa Arabia undiquaque tutissima atque expugnatu difficillima, tum ob circumfluum mare, quod ut plurimum importuosum existit: tum etiam ob solitudines uastas, quibus percingitur, atq; etiam ob montes aspertimos,ac inaccessos, deserta arenosa, ac squallentia, & aquæ penuriam.

Incolæ Arabiæ.

Incolæ huius partis,tam Arabes,quàm Saraceni dicuntur,atque etiã Mauri, propriè tamen Arabes illi appellantur, qui sub tentorijs extra Vrbes habitant, quorum bona pars dispersa est per uniuersam Syriam, Aegyptum,& Africam,& hi sanè armenta, pecora, & camellorum greges depascunt, & insequuntur. Qui autem Vrbes, & oppida inhabitant, Mauri uocantur, quod nomen illis primò datum fuit ab Hispanis,a Mauritania scilicet, ex qua profecti fuerant,quando Hispaniam occuparunt. Dicti autem fuerunt Saraceni a Sara legitima Abrahami uxore, ac etiam Agareni ab Agar matre Ismaelis, a quo descenderunt, neque enim Ismaelitæ uocari uoluerunt, cum Ismael fuerit filius spurius Abrahami. Cæterum hi populi eò uirium, ac potentiæ processerunt breui temporis spatio, ut non tam uicinam Syriam, Persiæ regnum,& Trogloditicam, uerum etiam Aegyptum, Africæ non minimam partem Hispaniæ regiones Bæticam, Lusitaniam, & Tara-

Mauri qui dicantur.

Saraceni.

Agareni.

Arabũ potẽtia, & progressus.

conenſem occupauerint, atque etiam Siciliæ inſulam, & regnum Neapolitanum ducentis, plus annis continuò diuexarint. Quam quidem Hiſpaniæ partem 700. circiter annis tenuerunt, quouſque a Ferdinando Rege Hiſpaniæ Caroli Quinti auo materno expulſi fuerunt. Quin etiam poſtremò dira hæc Saracenorum gens, ac peſtis teterrima per vniuerſam Aſiæ horam Meridionalem, nempè per Perſiam, & Indiæ Orientalis regna, ac per innumeras Oceani Indici inſulas diſſeminata admodum eſt, necnon etiam per oram Meridionalem Africæ, occupans quamplura opulenta regna, potentes Vrbes, ac celebria emporia, ſub his etiam Arabibus Turcæ in Aſia prima ſtipendia meruerunt.

Arabū mores, & qualitas.

Sunt autem ipſi Arabes fuſci coloris, ingenio præpollentes, acuti, ſuperſtitioſi, mercaturæ dediti, uindictæ cupidi turbarumque, ad motus faciles, rerum mutationibus maximè delectantur, inſignes prædones, & uiatoribus mirum in modum infeſti, in bello plus aſtutia, quàm uiribus pollent, abſque ordine dimicant, freti multitudine hoſtem a multis partibus aggrediuntur, donec ipſum frangunt. Contra uero ipſi ab hoſtibus inuaſi hinc inde diſperguntur, & interdum fugiunt ob eorum agilitatem. Libidinoſi præterea admodum ſunt, & plures ducunt uxores, adulteros morte puniunt, nullam fœminam niſi operta facie in publicum prodire ſinunt, ſub palmarum arboribus habitant plerique, aut ſub rupibus, & in ſubterraneis ædibus: ſeminudo ſunt corpore, pallia & latas caligas trahentes. Eorum arma ſunt arcus, ſagittæ, & haſtilia longa, Religio autem eadem cum Turcarum religione. Nam Maumetana ſecta in Arabia primo orta eſt; ſiquidem Mahometes Pſeudopropheta natus eſt in Vrbe *Mecha*, uel ut alij dicunt in pago *Itrarip* propè Vrbem Mecham circiter annum Domini ſexcentos uiginti, imperante Heraclio Imperatore. Qui quidem Mahometes, (ut ſcribit quidam) innotuit primo mercator, deinde Propheta, poſtremò prædatoriæ militiæ, Dux, faxque, & caput, ut mirandum ſit in diuos ab illis relatum, cui ne homines quidem boni honeſtum in terris locum conceſſiſſent.

Maumetanæ religionis primordia.

Diuiſio Arabiæ.

Eſt autem peninſula hæc Arabiæ in tres partes diuiſa nempè in Arabiam deſertam, in Arabiam Petream, & in Arabiam Fœlicem.

A R A-

ARABIA DESERTA.

Arabiæ deſertæ uaria nomina, & fines.

ARABIA DESERTA ab Ariſtide Aſpera, a Seruio Inferior, & a Luciano Caua dicitur, Hæbreis aũt *Cedar*. Cuius fines ab exortu ſunt Babylonia montibus ſeparata, & ſinus Perſici pars: à Septentrione Meſopotamia iuxta Eufratem fluuium: ab occaſu itidem Syria cum Arabia Petrea; a meridie autem montana fœlicis Arabiæ illi imminent. Eſt autem hæc Arabia ſpatioſa, ac magnis ſolitudinibus uaſta, nihilominus non paucis oppidis, ac numeroſis, bellicoſisq; incolis habitata, nimirum iuxta Eufratem, & montana fœlicis Arabiæ, ubi etiam mercatoribus eſt frequens. Reliqua pars ad occaſum tota arenoſa eſt, per quam iter agentes ſtellas quo tendere uolunt duces habẽt, neque tutum eſt per Arabiæ uniuerſæ deſerta iter facere, niſi magno comitatu ob prædones Arabes, & commeatu in plures dies.

Qualitas.

ARABIA PETREA.

Arabiæ Petreæ ſitus, & uaria nomina.

ARABIA PETREA ab Occaſu, & Septentrione Syriæ adiacet: ab ortu Deſertam, & a Meridie alterã, quæ Fœlix cognominatur, attingit. Dicitur autem Plinio, Straboni, & Ptolomæo Nabataea, Tyrio, Secunda Arabia, alijs Inferior. Sed Petrea, ſeu Petracenſis dicitur ab Vrbe Petra eius Metropoli. Nunc autem *Barra* Zieglero, *Bengaucal* Caſtaldo, & *Rathalalha* appellatur. Eſt autem hæc Arabia uerſus Syriam fœcundior, ſed parum laudata eſt uberibus ob ſquallorem, & ſterilitatem. Nam uehementer deſerta, & neceſſarijs alimentis egena eſt: lignis præcipuè caret, & aqua dulci. Naſcuntur hic palmæ, quæ dactylos ferunt pingues, rufos, molles, & non admodum humidos ab alijſq; differentes, qui uulgaris, & primarius eſt incolarum cibus. Manna hic è cælo etiam cadit, & circa littus maris Rubri magna ſaliũt, & ſole exſiccant piſcium quantitatem, qui diu conſeruantur. Corallij genus naſcitur prope littus elegans ſatis, ſed interiore parte concauum, & ametyſtus lapis etiam hic inuenitur. In hac eſt mons SYNAY nobiliſſimus ob datam ab Angelo Moyſi legem in tabulis. Qui mons, ut ait Bellonius, præaltus eſt, & aſcenſu difficilis, ac in eo humana arte gradus ex ſolido ſaxo parati ſunt, & interdum in ipſa rupe exciſi, quo facilius Cameli atq; alia animantia in montem traduci queant. Situm eſt in hoc mõte hodie monaſterium monachorum Chriſtianorum Maronitarum, qui Græco ritu uiuunt, quod ſexaginta caloieri inhabitant, qui peregrinos excipiunt, cum hic aliud diuerſorium non ſit. Eſt etiam hic mons alijs celebris OREB, nunc *Orel* uocatus non adeo ſterilis & horridus, ut mons Synay, neque adeò celſus, ut ille: ſiquidem mons Synay altitudine ſua, Bellonio ipſo oculato teſte, ſuperat montẽ Oetam in Græcia, & Idam in Creta: ſed tamen Olympo Phrygiæ humilior eſt.

Qualitas Petreæ.

Manna.

Synay mõs.

Oreb mons

Montes

Montes autem Synay,& Oreb Ptolemæo sunt Melani montes.

Petra urbs. PETRA regni sedes fuit,quæ in sacris literis Petra deserti uocatur,ad quam accedere regionum asperitas prohibet, est enim in conualle prærupta ac demersa. Hanc hodie esse *Mecham*, ubi Mahometes natus est multi contendunt cum Bellonio,quod mihi uerisimile non uidetur,sed potius esse oppidum,quod in Tabulis recentibus *Pietra desti* scribunt,ex situ,& ex nominis affinitate coniicio. Mecham uerò in Arabia fęlice absq; dubio esse mihi uidetur.

ARABIA FOELIX.

Arabia fœlix. ARABIA FOELIX annexa duabus alijs est peninsulæ in modum inter sinum Arabicum, & Persicum, cuius circumnauigatio est 3500. milliarium. Et hæc quidem Solino, & aliis Beata uocatur, & à Virgilio Panchaia; hodie uerò *Ayaman*,seu *Giamen* uocatur.

Arabia fœlix nunc Ayaman. Arabiæ fœlicis laudes & qualitas. Est autem hæc pars amplissima,magis culta,uariis fluuiis irrigua,quorum quidam lacus efficiunt,& urbibus nobilibus, ac pagis innumeris repleta,præsertim quæ ad mare exposita est,ubi emporia sunt celebria. Reliqua pars,exceptis desertis arenosis,pascendis pecoribus,& camelis idonea est,ubi nationes plurimæ pastoralem uitam traducunt. Fert itaq; hordeum,aliasque fruges, mel, ceram, & fructus uarios,ut pote poma,pira,medicos,citrios,& id genus,atq; bis in anno hic seritur,sicut in India. Præterea palmas,calamum, nardum , casiam, cinamomum,myrrham,& multas herbas odoratas profert,sola autem Thus abunde mittit,ut uniuerso orbi sufficiat. Metalla quoq; & gemmas uarias producit,& iuxta maris littus margaritè præcipuè dignitatis expiscantur. Equos mittit hęc regio præstantes,qui in Indiam exportantur, & ueruecces,quorum caudæ pondo sint 40. librarum.

Thus sola } sola mittit Arabia fœlix.

Vrbes huius partis. Nobiliores urbes huius partis sunt *Medina Tanalbi*, *Mecha*, *Zidem*, *Zibit*,& *Adem* præter alias,quæ ad nostram notitiam non peruenerunt.

Medina urbs. MEDINA TANALBI, idest ciuitas propheræ, iacet uersus Arabiam Petream,quæ quidem populo satis frequens est ac nobilis, licèt agrum infrugiferum ac sterile prorsus obtineat. In hac enim est delubrum,ac sepulchrum scelestissimi Mahometis, in quo perpetuo circiter tria millia lampades ardent, ad quod inuisendum Maumetanorum agmina quotidie iter habent.

Mecha vrbs MECHAM urbem,in qua natus est Pseudopropheta Mahometes, uel parum longè ab ea, olim Petram fuisse omnes ferè censent: sed mihi cum Nigro uidetur potius esse Mechuram Ptol. Valde autem elegans est,ac culta licèt agrum habeat infęcundissimum,nam amæno in loco sed undiq; montibus,& desertis clauso sita est,nulla habet mœnia,nec aliam habet aquam,quam quæ binis amplissimis cisternis asseruatur.con

tinet

tinet propè sex millia domos, & negocijs admodum opportuna est, ac emporium in primis nobile ; nam inde uiatores ac exteri magnam uim lapidum precioforum , aromatum, & aliarum mercium deferunt, quæ huc ex India,Æthiopia,& reliqua Arabiæ parte comportatæ sunt. Singulis autem annis tres caranannæ ex Cairo,Damasco,& India Mecham iter conficiunt religionis causa in Mahometis honorem,cum illic natum esse credant,simulq; ad Almedinam contendunt,ubi conditum est Mahometi cadauer.

Zidem urbs & portus ZIDEN urbs maritima,& portus Mechæ abest a Mecha 40. milliaribus,quæ urbs arenoso in solo sita est,& à uentis maximè agitato, nulla habet mœnia, sed tamen ædes satis nobiles,ac elegantes,atq; in hac urbe uigent magnopere commercia,cum in eam ex India,Æthiopia, & reliqua Arabia ob iter Mechæ innumeræ gentes confluant.

Zebethum urbs. ZEBETHVM, seu *Zibit* urbs pulchra est,& regni caput,iacet autem in planitie ampla intra duos montes conclusa, & apposita fluuio huius nominis, a mariq; rubro itinere semidei abest : affluit autem mercibus, aromatibus,sacharo,ac omnifariam fructibus. Capta uerò fuit paulò post Adenam urbem à Turcis,in quam Turca mittit Beglerbegum cum magna militum copia.

Aden urbs. ADEN urbs regia ad littus maris Rubri non longè à fructo *Babel mandel* iacens,totius Arabiæ pulcherrima est,munitissima uerò non situ solum est,sed etiam opere,cum propugnaculis, & arce munitissima super montem,& cum optimo portu clauso. Est autem satis culta, ac sex millia circiter continet ædes,celeberrimum emporium est, quo magna aromatum copia,& gemmarum ex India deferri solet,ac etiam alię merces tum ex reliqua Arabia,& Perside, tùm ex Æthiopia etiam. Occupata fuit hæc urbs cum uniuerso regno fraude, & dolo à Turcis anno 1538. qui regem hunc suspenderunt, & in ea residet Beglerbegus Turcicus cum firmissimo militum præsidio. Hanc Madoce Ptolemæi esse puto cum Barrio.

TVRCOMANIA OLIM ARMENIÆ maioris pars.

Turcomaniæ fines. TVRCOMANORVM prouincia comprehendit non minimam Armeniæ maioris partem, cuius reliquum in Georgia computatur. Habet autem à Septentrione Colchidem, nunc *Mengrelia*, ab Occasu Eufratrem,& minorem Armeniam : ab Ortu Armeniæ maioris reliquum, quod sub Georgia cadit, & à Meridie Mesopotamiam,nunc *Diarbeca* cum Curdis populis.Quæ quidem regio montibus, & collibus tota referta est, quorum sunt celebres Periander, hodie *Chielder*, Antitaurus, hodie *Mons niger*, & alii, inter

Qualitas Turcomaniæ.

quos

quos conualles multæ frugiferæ iacent. Est uerò eximiæ omnium penè fructuum fertilis, atq; animalibus copiosa, sed niuibus profundis ualdè subiecta.

Incolarum conditio.

Incolæ ipsi insignes sunt prædones, qui originem a Tartaris ducunt, atq; etiam hodie uitam sub tentoriis greges pascendo absumunt. Naturales tamē inter hos sunt, qui agriculturam, & mechanicas artes exercent, apud quos fiunt optimi tapetes, & panni undulati, & non undulati ex pilis caprarum. Metropolim urbem horum *Eschiam* quidam faciunt.

Eschia urbs

Curdi populi.

Eiusdem conditionis sunt etiam uicini populi *Curdi* uocati, qui incolunt secundum Castaldum Gordene Armeniæ maioris regionem. Sunt tamen qui putent hos Curdos tenere antiquorum Chaldeorum sedem, unde a uicinis Persis, & Turcis ea regio *Curdistan* appellatur, quæ nunc quoque *Keldan* uocatur ab Arabibus, ideſt Chaldea.

Curdistan

GVRGISTAN SEV GEORGIA, olim Iberia.

Georgia olim Iberia

GEORGIA Prouincia, quæ *Gurgistan* barbaris dicitur, antiquam comprehendit Iberiam cum parte maioris Armeniæ, & forsan Atropatię. Habet autem ipsa Georgia *Mengreliam* olim Colchidem ab occasu: a Septentrione *Zuiriam* olim Albaniam: ab Ortu mediam Atropatiam, nunc *Seruan*: & à Meridie Armeniæ maioris partem *Turcomaniam* uocatam.

Eius fines

Qualitas.

Est autem pleraq; montibus aspera, nemoribus & saltubus occupata, unde hostibus ferè inaccessa est propter inuios, & insuperabiles montes. Est tamen fertilis, & sunt in ea planities nonnullæ, & amenæ ualles fluminibus irriguæ, quorum aliqui ualdè insignes, nempe Cirus, & Araxis, qui a monte Tauro orientes & per totam hanc regionem discurrentes, in Hyrcanum mare seu Caspium influunt.

Georgiani.

Incolæ dicuntur Georgiani a S. Georgio, quem ut aduocatum & patronum obseruant. Sunt enim Christicolæ iuxta Græcorum ritum cum aliqua tamen differentia, numerosi autem sunt, & bellicosi ualdè, præsertim qui montes occupant, & robore ac uiribus præditi, ac in præliis strenui, qui semper propriam libertatem inter Maumetanos conseruarunt usque ad nostra tempora modo Persis adhærentes, modo Turcis, & plures dominos habuerunt naturales. Sed maiori ex parte his postremis tēporibus simul cum libertate amiserunt complures arces, & oppida insignia, quæ à Turcis munita fuerunt sunt autem *Teflis, Lori, Clisca, Gori, & Tomanis* clara urbs obstrictum insidiosum, & aliqui ex eis Maumetanā sectam amplexati sunt. Post descriptionem regionum Turcæ subiectarū restat, ut de Turcarum moribus, imperio, ac potentia aliqua dicamus.

Oppida Georgianorū a Turcis capta.

DE

DE TVRCARVM MORIBVS, ritubus, imperio, ac potentia.

TVRCAE verò partim sunt naturales, qui origine Scythæ, seu Tartari sunt, partim ex Christianis Apostatis, descendunt, qui Sacrosanctam Christi fidem abiurarunt. In uniuersum sunt lata facie, membris benè sibi inuicem respondentibus, cum uenustate, ac pulchritudine corporis ad soliditatem, & crassitiem tendentibus, comam non nutriunt, sed tantum barbam. Sunt præterea hebetis, ac crassi ingenii, morosi, lenti, & desides, & qui in suis negociis moras semper nectunt, ad agrorum culturā inepti, auari etiam, & supra reliquas nationes orbis sunt pecunię, & diuitiarum auidi, apud quos omnis iustitia uenalis est, & nemini gratificantur, nisi parata pecunia. humiles sunt inter se, & superioribus eximiè obediunt, coram ipsis insigne silentium, ac quietem obseruantes: at uerò erga exteros superbissimi sunt, & insolentes, iactabundi, & arrogantes adeò ut non putent in uniuerso Orbe esse nationem cum ipsis comparandam, & dum loquuntur superbiam ipsam ostendunt, deceptores sunt, nec fidem aut promissa obseruant, nisi quatenus ipsis commodum sit. Ocioſi prętereа sunt, & crapulæ, ac ebrietatibus summopere dediti, adeò ut totum triduum in commessationibus absumant, qui tamen uino libenter exhilarantur, licet eorum lege prohibitum sit. Ad luxuriam omnis generis propensissimi sunt, & pueros ad uenereum usum alunt. Sunt porrò crediili ualde superstitiosi, ac fidem ex toto somniis, prophetiis, & diuinationibus adhibent, & fatum seu prædestinationem credunt, scilicet quod in uniuscuiusq; fronte scripta sit hora ipsius mortis, qu ānemo effugere possit, unde non mirum est si belluarum instar pericula libenter subeunt.

Turcæ duorū generū.

Turcarum dispositio forma, & mores.

Turcæ superstitiosi.

Quod ad Turcarum religionem attinet, multa scribenda essent: sed nos breuitati studentes dicimus in genere, Turcas ut nimis credulos in sua falsa religione multas nugas, multa absurda, & ridicula admittere, quæ nec nostris pueris uerisimilia uiderentur, de creatione scilicet mundi, de eius fine, de Paradiso, Inferno, cęlo, terra, de creatione hominis, & de Mahometis itinere in Paradisum, de quibus quidem ingentia leguntur uolumina. In genere tamen fatentur unum Deum, Christum uenerantur, non ut Dei filium, sed ut Prophetam natum ex Maria Virgine, quem tamē in cruce mortuum fuisse non credunt, sed alium quempiam uirum à Iudæis fuisse crucifixum. Picturas aut imagines non colunt, diem Veneris in hebdomada, sicut nos Dominicum, obseruant. Quadrageſimam habent dierum triginta, quæ ab ipsis uocantur *Ramadan*, qua ieiunant nihil in die gustando, sed tantum noctu tunc autem promiscue comedunt quicquidlibet præter carnem porcinam, & uinum, abstinentes etiam a coitu: post hanc succedit Pascha illorum, quod

Turcarum religio.

Turcę Christum uenerantur.

Turcæ imagines respuunt.

Ramadan Turcarum.

Bayran, seu Pascha.

quod uocatur *Bayran*, duratq; tribus diebus, quo tempore uoluptatibus uacant. Hoc tamen pascha non accidit eodem tempore anni semper: sed continuo mutatur nunc hyeme, nunc uerè, nunc æstate, nunc autumno, quod sanè euenit, quia annum ex Solis cursu non obseruant, sed ex Lunæ cursu. Vnde nouam, seu nascentem Lunam maxima sollicitudine obseruant salutantes eam, atq; eius figuram corniculatam gestant, sicut nos crucis imaginem. Circunciduntur Hebræorum more, sed non post octauum diem, ut Iudæi, uerum post octauum annum. Campanas more Christianorum non habent, nec Christianis campanæ in Turcarum dominio permittuntur, sed horum loco Sacerdotes supra altas Turres magna uociferatione Turcas ad preces interdiu, & noctu quinquies absoluendas excitat. Præterea Maumetani Turcas appellari nolunt, cum nomen hoc Hebraica lingua exules significet, & contumeliosum apud ipsos habeatur, sed *Musulmani* dici se uolunt, ideſt rectè credentes. Sunt porrò apud Turcas religiosorum ordines, seu sectę quatuor inter se uestitu, uictu, & ceremoniis differentes, ut apud nos sunt monachorum diuersi ordines, & hi quidem sunt *Torlacorum*, *Deruisiorum*, *Calenderum*, & *Hughiemalorum*, & hi quidem sceleſtissimi sunt, & omni uitiorum labe contaminati rudem plebeculam decipientes. Nulla cum difficultate cum Christianis uersantur, sed libenter cum eis comedunt, ac negotiantur, & interdum Christianorum filias in uxores ducunt, quas uiuere ipsarum legibus permittunt. Iudæos attamen inuisos habent, eosq; contemptui, ut omnium totius mundi uilissimos habent, neque cum eis comedere dignantur, aut iungi matrimonio: quinimò Iudæus ad Maumetis religionem suscipiendam nō admittitur, nisi prius baptizetur. Turcis porrò quotquot alere possunt uxores ducere permissum consuetudine est, licèt lege quatuor tantum habere possint; ex ijs tamen una legitima censetur, cui aliæ obediunt, & facilè apud hos fiunt diuortia. Eorum mulieres parum è domo egrediuntur, tuncq; facie cooperta, splendidè & sumptuosè uestiuntur, ac auro, gemmisq; ornantur, atq; capillos, manus, pedesq; præsertim ungues rubro colore inficiunt, balnea etiam sicut uiri bis in hebdomada frequentant.

Turcæ Lunam nouã obseruant. Turcæ circunciduntur. Turcæ campanas non habet.

Musulmani Turcæ dici uolunt. Religiosorũ ordines apud Turcas.

Turcæ cum Christianis uersantur libenter, nō autem cum Hebræis.

Turcæ mulieres sumunt uxores.

Turcicę mulieres.

Præterea Turcæ non solum Deum, & suum Mahometē non blasphemant, sed nec etiam Christum, Virginem Mariam, aut alios Sanctos, & grauissimè blasphematores puniunt cuiuscumq; sint conditionis, aut sectæ. Aleis aut taxillis non ludunt, sed solum alueolo. Charitatem libenter exercent, & in erogandis eleemosinis sunt proniſſimi non solum Turcis & Maometanis suis, uerum etiam Christianis, ac hominibus cuiuscunque sectæ: quinetiam ipsismet animalibus: namque interdum emunt aues, quas liberos dimittunt eleemosinæ causa. Ipsorum uestimenta sunt longa, & in anteriore parte aperta usq; ad pedes, excepto indusio, quod extra brachas gestant, sicut inter eundum uideatur, & uestes sunt ualdè nobiles ex pannis laneis, fericeis, & interdum auro contextæ & gemmis, ac margaritis ornatæ. Pileum ferunt album in capite, ijs tamen

Turcæ non blāsphemāt

Turcarum uestitus.

men exceptis, qui ex Maumetis sanguine prognatos se iactant, quibus uiride est pileum. Christiani uerò in Turcarum dominio commorantes pileum gestant uariis coloribus distinctum, nunc cęrulo, nunc rubro, & Iudæi luteum, atq; omnes quidem uestibus oblongis Turcico more uestiuntur, nec uestium coloris uarietate cuius nam sint sectæ dignoscuntur, sed in solo pileo, caput non detegunt Turcę honorandi aliquem causa, nec inferiores salutant superiores, & apud eos siniſter locus præstantior est: libenter obequitant primores, & ditiores.

Porrò ipsi Turcæ sordidi sunt in uictu, & uiliter, ac sine deliciis epulantur, & ter in die comedunt in aurora, in meridie, & uesperi, apud quos mantilium, aut mappæ nullus est usus, nec ad mensam super scabellа sedent, sed humi cubant cruribus in crucem applicatis circa rotundā mensam ualde demissam. comedunt autem omnium generum carnes, porcina excepta, quæ lege uetatur. Oriza ut plurimum nutriuntur, pisces libenter non comedunt, Turcæ Asiatici, sed Europæi piscibus magis quam carnibus delectant, uino lege abstinent, & eorum potus aqua est, cui potētiores iulebum, uel mel, aut saccharum immiscent, & hieme carbonem ignitum solent in aqua extinguere, ne læsionem ab ea sentiāt. Præterea apud Turcas opii maximus est usus, & nemo ex eis est, qui ipso non uescatur, quo animosior fiat, neq; belli pericula formidet. Mingunt genuflexi. Domus horum maiore ex parte constant ex ligno, & creta, suntque angustæ, & malè fabricatæ, in quibus nullam impendunt operam; putantes, magnum esse peccatum construere domus durabilio res quam uitam unius hominis: nihilominus pulcherrimas solent Turcarum proceres construere meschitas, seu templa pro diuino cultu, carbarsara, seu hospitia pro uiatoribus excipiendis, xenodochia, seu hospitalia publica, balnea publica, quibus etiam pulcherrimos fontes adiungunt tum ad hominum, & iumentorum usus quotidianos, tum etiam ad ablutiones quasdam peragendas priusquam templa, seu meschitas ingrediantur. Prærer hæc etiam maximis impensis extruere curant aquæductus, pontes publicos, & uias publicas lapidibus stratas, quæ sanè omnia spectabilia sunt apud Turcas, & eximia.

Turcarum uictus.

Opii usus apud Turcas.

Domus Turcarum.

Quæ Turcas maximis impensis astruere soleant.

Nullæ urbes per eas prouincias, quibus Turca imperat muro clausæ sunt, nam solent Turcæ occupata aliqua urbe fabricas omnes alicuius momenti, & mœnia diripere, & uniuersos insuper agros uastare, & extat prouerbium. Quà Ottomanicus aliquis transiuit ibi nec folia, nec gramina proueniunt. Præter hæc etiam ipsi Turcæ occupata aliqua prouincia, uel urbe delere omnem nobilitatem conantur, usq; ad minimum, præsertim uerò eos qui sunt ex stirpe regia extinguunt: nonnullas etiā familias opulentas, & potentes transferunt in alias urbes iam ipsius obdientię assuetas, ac in ea obfirmatas, concedunt tamen, unumquēq; suā religionem profiteri, nec ad eam abnegandam cogunt eum: auferunt etiam omnia arma, ne ad defectionem proni sint, neq; etiam eis potestatem prouincia exeundi, uel militandi sub altero concedunt. Adhæc ualde

Vrbes in Turcarum dominio sunt sine mœnibus.

Turca extinguit omnē nobilitatē.

dè intenti sunt machinationibus,& armis contra uicinos, & quod ui non possunt Turcæ obtinere,aut absque multa sanguinis effusione: dolis & perfidia consequi studeant. Rebus autem ipsis ex animi uoto non succedentibus omni respectu & omni honore postposito diffugere eos non pudet. Sunt tamen satis boni milites & quod magis refert, optima disciplina militari instructi,quippe qui obedientissimi sunt, laboris tolerantissimi,& pauco cibo,eoque uili contenti contra nostrorum militum morem: horum arma sunt lanceæ,arcus,sagittæ,clauæ ferreæ,secures,acinaces,gladii quos uulgo *Scimitare* uocant, auro argentouè eximiè ornati,atque etiam tormenta bellica,seu bombardæ,quarum ingentem nunc habent copiam. Insigne silentium inter milites Turcas & modestia obseruantur non solum dum in aliquo loco morantur, sed etiam dum iter faciunt:nam numerosissimi quandoque ab aliquo loco discedunt ante lucem sic,ut a paucis uicinis animaduertantur.

Militię Turcarum.

Turcarũ Imperatores.

Initium Othomanæ familiæ.

Sunt porrò Turcarum Imperatores ex Otthomanica, seu Osmanida familia a Tartaris descẽdente,quod Imperium pullulare incepit leuibus initiis anno Christi 1300 sub Osmane,quem alii Ottoman nominant, & maxima incrementa suscepit subinde sub sequentibus Imperatoribus adeo ut uniuerso ferè orbi terrori sit. Hic autem Osman Primus Imperator sedit annis 28. post quem fuerunt hi sequentes nempe Orchan, qui regnauit annis 31. Murat,qui regauit annis 31. Baiasit,qui sedit annis 13. cum sex ferè mensibus,Mahomet annis ferè 8. Murat Secundus annis 30. Mahomet Secundus annis 29. Baiasit Secundus annis 32. Selin annis 8. cum tribus mensibus,Soliman Secundus annis 46. cum dimidio,Selinus Secundus annis 7. cum nouem mensibus,Murat Tertius annis 17. & amplius, & Mahometes Tertius, qui Imperium obtinuit hoc anno 1595. circa initium,estque quintusdecimus Imperator in ordine. Vnde Imperium hoc Turcicum Osmanidæ familiæ perdurauit annis 295. usque ad prẽsentem annum, qui secundum Turcarum computum (hi breuiores annos faciunt) sunt 304. De cuius quidem incremento,& progressu nõ opus est,ut aliquid scribamus, cum ab aliis satisfactum in hoc plenè sit. hoc unum tamen dicemus, Turcarum Principes quando in Imperatoris locum succedunt consueuisse fratres omnes & affines ex linea mascu-lina descendentes necare; ut absque suspicione & metu Imperium gubernare possint.

Duratio Imperii Turcarum.

Turcici Imperatores fratres & affines interficiunt.

Sedes Turcarum Imperatoris. Palatium Regium.

Prima Turcici Imperatoris sedes fuit in Prussa urbe Bithyniæ, quæ postea Adrianopolim translata fuit,postremo Constantinopolim. In qua quidem urbe Regium est Palatium ambitus trium milliarium mẽnibus clausum,& opportunissimo totius orbis situ gaudens,quod quidem uulgo *Seraglio* dicitur,in quo sunt uiridaria amænissima,fontes iucundissimi,fabricæ sumptuosissimæ,& innumeræ mansiones,seu cubicula opulentissimè, extructa ac ornata; præsertim illud, quod ab ipso Imperatore habitatur. Intra hoc Palatium, seu Claustrum, sunt minora Claustra duo pro mulieribus,in quorum uno sunt prope 1500. mulieres,ex quibus

bus eliguntur 150. pro quotidiano usu Imperatoris,quæ in aliud claustrum includuntur. Ad Imperatoris custodiam sunt deputati 4. circiter millia pedites, qui vulgò dicuntur *Ianizeri*, suntque mancipia ex filiis Christianorum tributariorum collecta, quorum Dux *Aga* uocatur, & & præter hos sunt circiter 15. millia equites, qui omnes stipendia accipiunt ex Imperatoris ærario, suntq; diuisi in *Spachoglanos*, *Vlofagos*, *Siliftaros*, & *Caripicos*, præter equites illos, qui subsunt begerbegis. Quibus omnibus ex ærario seu *Casna* Imperatoris stipendia numerantur. Præterea habet Turca alios plùsminus 10. millia Ianizaros, quos per uniuersum Imperium dispersos tenet,quibus ut aliis stipendia ex ærario soluuntur, & hi quidem omnes suis ducibus obediunt, qui alium superiorem præter Imperatorem non agnoscunt. Præter hos habet Turca magnum equitum numerum, qui *Timariotæ* uocantur. Est autem *Timar* assignatio agrorum,redituum,decimarum,aut aliorum huiusmodi ad instar pensionum, quorum quidem *Timarorum* assignati sunt in statibus Turcicis in Europa circiter 60. millia,quorum maiores olim 20. millium asprorum quotannis prouentum reddebant, hoc est aureorum 3500. minores autem trium millium asprorum,hoc est aureorum 50. Sed hodie multo maiorem prouentum reddunt, super quos *Tymaros* aluntur circiter 80. millia equites. In Natolia, seu Asia minore sunt permulti *Tymari*, in quibus nutriuntur 50. millia equites,in regionibus,quas in Persarum Imperio Turca occupauit,sunt 40 circiter millia *Timari*,in Syria,uicinisq; regionibus,in Ægypto,& Africa multi quoque sunt *Timari*, quorum numerus ignoratur,& hi quidem omnes subsunt sangiacis,qui Beglerbegis parent.

Imperatoris custodia Ianizeri.

Tymar, & Tymariotæ.

Turcæ Aula uulgò ab ipsis Turcis *Capy* uocatur, ideſt Porta, in qua sunt plura officia, quæ recensere longum,ac tẽdiosum esset,quorum quædam sunt extra *Saraium* deputata ipsius Imperatoris ministeriis, quæ officia subeunt spadones,vel castrati,quibus subiecti sunt alii eunuchi,seu castrasi. Extra uerò *Sarnium* sunt plura officia pro administratione Imperii,quorum primus ad Instar nostri Papæ est *Mufsti*,qui Alcorani,seu Mahumetanæ legis interpres est. Post hunc sequuntur *Cadilescheri*,qui sunt supremi iudices causarum omnium, & sunt uelut Patriarchæ,ad quos appellationes causarum fiunt, hi tantummodo duo olim erant in uniuerso Turcico Imperio Primus *Rumeliæ*,hoc est Romaniæ,uel Europæ, alter *Natoliæ*, sed à Selimo primo tertius adiunctus est, qui iusdicendi habet in Ægyptum, Syriam, Arabiam, & Armeniæ partem. Habent autem hi Cadilescheri Imperium in cæteros Cadios,qui iudices sunt particulares prouinciarum, & regionum,quos suo arbitratu creare solent,ita tamen ut ab Imperatore confirmentur. Post Cadilescheros sunt *Vezires basse*, qui sunt consiliarii Imperatoris,quorum numerus incertus est,olim tres aut quatuor fue-

Turcæ aula seu Porta.

Mufti. Cadilescheri tres.

Cadi, ideſt iudex.

Vezires basſæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vezirazem Beglerbei.

runt, sed hodie circiter 9. sunt, inter quos supremus, qui *Vezir azem* Turcis dicitur, solus uniuersum Imperium maxima cum potestate administrat, quem quidem ut plurimum Imperator de rebus seriis consulit. Post hos auctoritate maxima sunt tres *Beglerbegi*, quorum officium respondet dignitati *Generalis campi* uulgò uocati, & primus est *Rumeli Beglerbeg*, qui Imperium habet in uniuersa Romania, uel Græcia. Secundus est *Anatoli Beglerbeg*, hoc est Anatoliæ, uel Asiæ, Tertius deniq; est *Denizi Beglerbeg*, hoc est capitaneus maris, seu classis præfectus, & hi tres parem in sedendo locum, & honorem obtinent cum ipsis *Vezirbassis* in *diuano*, seu auditorio publico, in quo diuano sedent alii quoque uiri, qui plura officia habent.

Turcicũ imperium diuiditur in plures Sangiacatus.

Prouinciæ porrò Turcico Imperio subiectæ diuisæ sunt in Sangiacatus multos, qui olim 720. erãt, sed nunc post bellum ultimum cum Persis gestum aucti numero admodum fuerunt. Et hi quidem sunt rectores prouinciarum, quibus præpositi sunt Beglerbegi, seu Bassæ, quorum sex sunt in Europa, nempè *Rumeliæ* seu Græciæ, *Denizi* seu capitaneus maris, *Budæ*, *Tesminar*, *Bosnæ*, & *Caphæ* In Africa sunt quatuor nempè *Algerij*, *Tuneti*, *Tripolis*, & *Missir*, qui Cairo, & toti Ægypto præest. In Asia uerò sunt 29. nempè *Anatolhæ*, *Caramaniæ*, *Sinas*, *Tocatum*, *Dulgarid*, *Halep*, *Scham*, *Tripolis* Syriæ, *Maras*, *Diarbechæ*, *Bagdat*, seu Babiloniæ, *Balsaræ*, *Carmaniæ*, seu *Laxa*, *Gemen*, seu *Aden* Arabiæ felicis, *Chebetz*, Cypri, *Scheherezul* in Assiria. *Vuan* in Persarũ finibus, *Arzerum* in Armenia maiori, *Tiflis* in finibus Georgianorum, *Siruan*, seu mediæ. *Temircapi*, *Cars*, *Tschildir* ad fines Georgianorum, *Fassæ* in Mengrelia, *Sochum* in Georgianorum finibus, *Batin* ibidem, *Keuan*, & *Somachiæ*, ut apud Ioannem Leondauium fusius uidere est.

Beglerbegi Europæ. Africæ Beglerbegi.

Asiæ Beglerbegi

Naualia Turcæ.

Naualia Turcę quatuor sunt quorum primus est in urbe Pera, quod 133. mansiones habet totidem triremibus destinatas. Secundus est in urbe Gallipolis, 20. mansionum; & horum duorum curam gerit capitaneus maris cum aliquot ex suis Sangiacis. Tertius est ad oppidum Sues ad mare rubrum, quod 25. mansiones continet. Quartus & vltimus est ad Balseram in sinu Persico, & hoc continet 15. triremes, quorum quidem duorum curam habent beglerbegi Balseræ, & Cair.

Annuus reditus Turcę

Annuus prouentus Turcarum Imperatoris traditur esse circiter quindecim millionum auri, non computatis tymaris, ex quibus ingens militum numerus alitur. Postremò præter Turcas sunt in Turcico dominio innumeri Christiani Latini, Græci, Armeni, Iacobitæ, Nestoriani, & Minoritæ, qui omnes secundum proprias leges uiuunt Turcæ parentes, qui multas ab ipsis Turcis patiuntur persecutiones, nam præterquam quod ipsis arma adimunt, & facultates, etiam proprios filios abripiunt tributario iure singulis quinq; unum. Computati autem fuerunt

runt Christiani in Turcico Imperio tempore Selimi præter unum millionem 333. milia non computatis priuilegiatis, & qui Sultano Ægypti parebant, quos ipse Selimus debellauit. Iudæi etiam per uniuersum Turcæ dominium adeò multiplicati sunt, ut nullum oppidum sit aut pagus, in quo non inueniantur frequentes, qui multas linguas callent, ac egregiè mercaturas exercent. Hæc itaque est immanis huius Turcarum Imperatoris potentia, & Imperii amplitudo, quæ sicut gladio incepit, ac gladio progressus tam grandes fecit, ita gladio deniq; pessum ituram credere par est, nisi se se ad ueram religionem recipiat. Quod faxit Deus opt. max.

Universidad de Deusto



XXXIV.

AMERICAE, SEV INDIAE OCCIDENTALIS DESCRIPTIO.

America antiquis incognita, quando nobis innotuerit.

INGENS hæc mundi pars in uastissimo, sæuissimoue Atlantico, seu Occidentali Oceano, expansa antiquis penitus incognita permansit ad annum usq; 1492. quo primum a Christophoro Columbo Genuense ingentis animi, acerrimiq; ingenij uiro, ac nauigatoriæ artis nõ mediocriter guaro, sub fœlicibus auspicijs Ferdinandi Hispaniarum regis detecta fuit; cum persuasus fuisset, tum ex Astronomiæ cognitione, tum ex ueterum quorundam monumẽtis, in uastum illum Occidentis Oceanum trans cognitos terræ terminos magna terrarum spatia dari. Postquam deinceps Americus Vespucius, aç alij præstantes, immortalitateq; dignissimi viri uniuersam penè ad Occasum, & Austrum perfecerunt, ac perlustrarunt; exploratis immensis terrarum spatiis, innumerisq; regionibus, ac insulis. Quæ sanè mundi pars NOVVS ORbis tùm ob immensam continentis ipsius amplitudinem (qua duabus simul mundi ueteris partibus adæquari potest, nempè Europæ, & Africæ) atq; insularum multitudinem: tùm ob diuersitatem quoq; morum, rituumq; incolarum, ac dissimilitudinem animalium, arborum, ac stirpiũ a cæteris mundi partibus. Dicta fuit quibusdam AMERICA ab Americo Vespucio Florentino, qui primus post Columbum, anno 1497. sub Portugalliæ regis auspiciis continentis partem ultra Æquatorem detexit ab ortu, in qua sunt Paria, & Brasilia regiones. A nonnnullis etiam ATLANTICA uocatur, atque etiam INDIA OCCIDENTALIS: hac nimirum de causa, quod inuenta sit eodem tempore, quo Orientalis India a Portugallensibus lustrata fuit, seu mauis ob incolarum similitudinem, cum Indis ipsis Asiæ, siquidem omnes penè nudi incedunt.

Noui orbis appellatio.

America cur dicatur.

Terra Atlãtica.

India Occidentalis.

Est autem hic nouus orbis a Septentrione in meridiem exporrectus sub duarum magnarum peninsularum forma, quæ tenui isthmo connectuntur, & occupat dimidium penè terreni globi spatium secũdum longitudinem: clauditur enim inter Meridianum grad. 190. & Meridianum grad. 360. secundum latitudinem expatiatur utrinque ab AEquinoctiali longo tractu, ad Austrum quidem, ubi patefactus prorsus est, ad grad. usque 52. ad fretum scilicet Magellanicum, & a Septentrione,

Noui orbis situs.

ad gr. 67. latitudinis Boreę, at Septentrionales eius fines incogniti sunt, neque hactenus ab hac parte perlustratus est.

Noui orbis fines.

Habet itaque uniuersa ipsa America ab ortu solis mare Atlanticum, quod *Mare del Nort* vulgò dicunt: a meridie terram Australem, seu Magellanicam nondum detectam freto Magellanico disiunctam: ab occasu mare Pacificum, quod vulgò *Mare del Zur* vocant, & a Septentrione terram incognitam, estq; tota eius circumnauigatio, ut tradunt probatiores, circiter 32. millium milliarium.

Americæ qualitas.

Terra hæc in uniuersum multiplex est, ac uaria pro cæli, ac soli natura; alicubi quidem mirè ferax; alicubi uerò sterilis, ac inops; partim in planitiem expansa; partim in colles, ac montes assurgens; multis inclytis amnibus irrigua, quorum pleriq; aurum in arenis ferunt; lacubus, ac fontibus copiosa: frumenti, ac leguminũ prouentu fœlix, licet in hæc usq; tempora frumẽto, & uino caruerit, inter quę est leguminis genus quodam nobis hactenus inuisum, quod *Mayz* dicunt, quo uberrimè affluit, estq; incolarum præcipuum uitę sustentamentum; aliquibus tamẽ in regionibus panem ex radicibus quibusdam contusis conficiunt. Mittit præterea ipsa regio saccharũ, gossipium, linum, & alia, ut apud nos, & fert multas arbores, herbas, animalia uolucres, aues, pisces, & huiusmodi alia partim nota nobis, partim ignota, equi tamen per uniuersum hunc orbem nouũ, penitus incogniti sunt, unde incolæ ad primũ equitum cõspectum exanimes metu fiebant. Habet aromata quoq;, Margaritas, ac gẽmas, sed auri, & argẽti incredibili copia affluit, & aliis quoq: metallis, ac mineralibus, ut ĩ particulariũ regionũ descriptione patebit.

Mayz frumẽti genus noui orbis.

Equi in nouo orbe ignoti.

Incolarum mores, ac animis.

Incolæ colore sunt subfusco, plus minusue pro locorum diuersitate, uultu non admodum speciosi, moribus efferatis, ac penè belluinis, nudi ut plurimum incedunt, egregij sunt cursores, & natatores, corpore ualdè mundi, uoluptatibus dediti, & libidinosi admodum, atq; flagitiosissimo posticæ libidinis uitio laborantes, anthropophagi, seu hominiuoræ pleriſq; in locis sunt. Cacodæmonum præterea, ac idolorum cultores, quorum etiam nonnulli solem, & stellas adorabant. Varia, & penè innumera habẽt idiomata inter sese ualdè differẽtia, arcubus, & sagittis utũtur, quas dentibus piscium, & animalium ossibus communiunt, cum ferri usum ignorent. Aurũm, argentum, gemmas, aliaq; preciosa uilipendunt, & pro diuitiis auium plumas, & alia parui momenti habent. Hodie autem multi ex eis cultiores redditi sunt post Hispanorum aduentum in hunc nouum orbem, ac ad pietatem procliuiores facti sunt post prædicatum illi Christi Euangelium, præsertim, qui circa loca maritima uersantur, & qui Hispaniarum regi subiecti sunt. Qui uero mediterranea incolunt loca, mores patrios adhuc retinent, sed de his fusius in ipsarum particularium regionum descriptione dicemus.

Antropophagi.

Mores receẽtiorum incolarum.

Americæ diuisio.

Diuiditur uniuersa America, seu Occidentalis India in duas peninsulas maximas, ut supra diximus, quarum una uocatur America Septentrionalis, quæ tota citra Æquatorem iacet. Altera uocatur America Meridionalis, quia maiori ex parte ultra Æquatorem expanditur; licet nonnullæ eius regiones etiam citra Æquatorem sint.

AMERICÆ SEPTENTRIONALIS Regiones.

Septentrionalis America.

SEptentrionalis peninsula, seu continens longo tractu ab ortu, ubi Septentrionales aliquot insulas Europæ respicit, ad occasum extenditur uersus Chinense regnum, Iapanicam Insulam, a quibus uasto Oceano discriminatur; & Tartariç limites, quæ quidem Asiæ sunt partes. Distat autem nimis Americæ huius Occidentalior pars a Tartariæ limitibus, quam ab aliis partibus, utpotè milliaribus tantum 250. sed ab insula Iapanica 750. & a Chinæ continenti milliaribus 100. supra mille. A Meridie, ubi tota circumnauigata est, pulsatur a duobus ingentibus Oceanis, qui dicuntur mare *del Nort*, & *del Zurt*. Septentrionalis eius limes porrigitur uersus polum Boreũ, nec hactenus circumnauigari potuit. Partis autem cognitæ huius peninsulæ circumnauigatio traditur milliarium sexdecim milliũ, in qua quidẽ complures sunt regiones nimirum *Quiuira, Noua Hispania, Nicaragua, Iucatan, Florida, Apalchen, Norumbega, Noua Frãcia, Terra laboratoris*, & *Estotilandia*. De quibus quidem regionibus breuiter nunc agendum est.

Circumnauigatio eius

Regiones huius partis Septentrionalis.

QVIVIRA REGIO.

Quiuiræ regionis descriptio.

QVIVIRA regio Occidentalior cæteris ferè est huius peninsulæ, estq; satis temperata, herbida, fructifera, ac animalibus copiosa, præsertim capreolorum, & bouum, qui a nostris ualdè differunt, quorum carnibus incolæ uisam sostentant, eorumque pellibus induuntur. Ab hac regione procedendo uersus ortum iuxta maris littus ad caput usq; Californiæ prope sinum magnum, qui dicitur vulgò *Mar Vermiglio*, tellus arida est, sterilis, ac malè habitata, frigorique obnoxia. Sic quoque littoralis pars occidua ultra regionem Quiuiræ. Vltra sinum Californiæ sunt loca aliquot parum habitata, ac nota ob eorum inopiam usque ad nouam Galitiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOVA HISPANIA.

Noue Hispaniæ fines.

NOVA HISPANIA ampliſſima eſt prouincia,& cęteris huius noui orbis cultior,amęnior,ac populis frequentior. Quę incipit à ſinu Californię,quę uulgo *Mar Vermeio* dicãt,& extẽditur uſq; ad ſinũ Mexicanũ ad mare *del Nort*,ac ad Iucatanã regionẽ. Occupata primum fuit ab Hiſpanis an. 1518. Duce Ferdinãdo Corteſio,

Noua Hiſpania a quo primum inuenta.

maxima tamẽ ſuorũ,& incolarũ ſtrage; cui remunerationis cauſa dono conceſſa fuit *Tecoantepec* regio ipſius nouæ Hiſpaniæ à Carolo V. Imp.

Qualitas eius.

Eſt autem hęc prouincia montibus,& rupibus aſperrimis referta,ne moribuſque occupata,& aere potitur temperato quamuis ſub torrida iaceat Zona;in ea fluuij ſunt quamplurimi piſcibus abundantes, quorum aliqui etiam auriferi ſunt; ſunt etiam lacus in ea multi maiori ex parte ſalſi, ex quibus ſal conficitur; inter hos ingens eſt, qui chapalicum mare ob eius immenſitatem uocatur. Abundat præterea regio ipſa mineris opulentiſſimis auri,argenti, ferri, & æris; atq; mittit caſiam fiſtulam,& fructus quoſdam,quos incolæ *cacao* appellant amygdalarũ inſtar, ex quibus potum conficiunt: goſſypio,ac omnibus inſuper frugibus ac fructibus, quos in Europa habemus affluit: ſic quoq; omnia ferè profert animalium genera,ut ſunt anſeres,anates, coturnices,gallinæ, quæ noſtras longè ſuperant, lepri, cuniculi, oues, boues,cerui,tigres,leones, vrſi, & alia huiuſmodi, unde carnium hic magna habetur copia,& uiliſſimo ſanè pretio. Inueniuntur etiam in fluminibus crocodili,quorum carnes ab incolis comeduntur, & mare regionem abluens piſcibus mirè abundat,& oſtreas fert, ex quibus margaritæ colligũtur. Incolitur porrò hæc pars ab Hiſpanis magis, quã ulla alia noui orbis: unde multas in ea habent colonias nempe *Compoſtellam, Colimam,Purificationem, Guadalaiaram, meechoacham, Cacatulam, Mexico,* & alias ſunt porrò in hoc noua Hiſpania inſignes non nullæ regiones, nempe Noua Galitia,Mechuacan,Mexico,& Guaſtecan.

Coloniæ Hiſpanorum in noua Hiſpania.

Nouæ Galitiæ coloniæ Hiſpanicæ.

NOVA GALITIA ab incolis prius *Xaliſco* uocabatur,quam primus detexit,ac acquiſiuit Nunus Germanus,qui in eam urbes aliquot fundauit,neque COMPOSTELLAM, ubi ſedes epiſcopalis, & conſilium Regiũ. SPIRITVS SANCTI,CONCEPTIONIS,S. MICHAELIS,et GVADALAIARAM celeberrimam ac totius Regni caput. Regio aſpera eſt, & incolæ feri, ac crudeles, qui ab eſu carnis humanæ non abſtinent. Pertinet ad nouam Galitiam regio illa,quæ CVLIACANA uocatur ab urbe huius nominis, iacet autem inter fluuium *Piaſtla*, & fluuium Sancti Sebaſtiani, qui antequam in mare ſe exoneret, à terra abſorbetur. Metropolis urbs eſt CVLIACAN, ubi Hiſpani fundatur coloniam Domi. Michaelis. Incolæ pauperrimi ſunt, & ſub dio dormiunt, quorum qui iuxta mare uerſantur piſcationibus

Qualitas eius.

Culiacana regio.

Culiacan vrbs.

tionibus uitam traducunt: qui uerò mediterranei tenent uenationibus uiuunt. Nullum olim ſuperiorem agnoſcebant,ſed hodie Hiſpaniarum Regi parent.

Mechuachã regio.

MECHVACHAM regio ambitum habet 40. leucarũ,& ex opulẽtioribus ac fertilioribus eſt huius nouę Hiſpaniæ. Nam in ea *mahiz* maturatur ter ſingulis annis, & alij etiã fructus. Affluit goſſipio, melle,cera,grana tinctorum, herbis medicinalibus, ambra nigra, & ſale: ſericũ quoq; abundè fert, & auro ac argento diues eſt. Multi ſunt in ea lacus ampli, & multi Fluuij peropportuni piſcibus copioſiſſimi. Incolę proceri ſunt,& corporibus valentes,longæui, ac ingenio pollentes. Duas continet vrbes principales ab Hiſpanis cultas, in quibus vigenti mercimonia, nempe PASCVAR, & VALADOLIT, quæ eſt epiſcopalis ſedes, præter alias minus celebres.

Incolę huius regionis.

Paſcuar, & Valadolit vrbes.

Mexico, ſeu Temiſtitan.

MEXICANA regio cæteris non tam huius nouæ Hiſpanię pręſtat, ſed vniuerſæ quoq; Americæ. Nomen ſumit ab vrbe MEXICO, quæ *Temiſtatan* quoque nuncupatur & hæc urbs olim extructa erat Venetiarum inſtar in medio immenſi cuiuſdam lacus, antequã a Corteſio occuparetur, qui eum ad eiuſdem lacus ripam tranſtulit: eſtque nuncoptimè fabrefacta ambitum capiens ſex milliarium, cuius unam partem Hiſpani inhabitant, reliquum uerò naturales. Reſidet in hac ipſa urbe Archiepiſcopus, & Prorex, ac tribunal ſupremum nouæ Hiſpaniæ, atque etiam in ea eſt imprimendi ars, & cudendi pecuniã. Hic autem lacus, ad cuius ripas hæc vrbs extructa eſt, ſalſus eſt, & creſcit ac decreſcit ut mare,& dum creſcit ſuas aquas in alium lacum vicinum effundit, qui dulcis eſt; nullos autem fert piſces, ſed tantum vermes æſtate putreſcentes ac aerem infeſtantes: extrahitur tamen ex eo magna ſalis copia: Ambitus amborum lacuum patet 50. circiter leucis, atque tàm in ipſis quæ circa eorum ripas iacent 50. circiter oppida,quorum vnumquodque continet plus minus decem millia ædes; atque per eos diſcurrunt 50. millia Scaphæ, quas canoas vocant, ad vſum vrbis Mexico, & aliorum oppidorum. Sunt autem hi lacus in planitie montibus percincta, qui niue ſemper operti ſunt, quæ quidem planities collibus etiam intermiſta eſt amæniſſimis. Poſt Mexicum eſt TESCVRO vrbs ad ripam eiuſdem lacus. quæ amplitudine ſua Mexicum ipſum adæquat. Eſt etiam in hac prouincia ANGELORVM CIVITAS, quæ prius Vacipalam ideſt terra ſerpentum vocabatur, quæ lanificio cælebris in primis eſt, cuius ager uallibus, & planitiebus diſtinctus eſt, in quibus innumera armenta, & greges aluntur, ac magna ſegetum, ac fructuum copia colligitur: Eſt quoque in eadem prouincia mons Flamiuomus. qui *Popocampeche* incolis uocatur: Incolæ huius tractus olim idolatræ erant, & hominiuoræ, pluresque ducentes uxores, quæ tamen uitia amiſerunt paulatim poſt ſacroſanctum baptiſma receptum. Vtuntur in bello ſagittis,& fundis, quibus iaciunt lapides.

Tribunalis ſupremi nouę Hiſpanię ſedes.

lacus immenſus in Mexicana regione.

Teſcuro urbs.

Angelos ciuitas.

Mons Flamiuomus.

GVA-

Guastecan regio.

GVASTECAN regio nouæ HIſpaniæ ad mare *del Nort* expoſita eſt, quæ parum fertilis eſt. Vnde incolę inopia premuntur. & ex piſcatu vt plurimum viuunt, ſunt tamen ſatis humani. Eſt in hac regione mons, in quo reperiuntur duo fontes, alter ſcilicet picis nigræ; alter uerò picis rubtæ feruentis. Duas hic colonias Hiſpani habent, nempè pANVCO, & D. IACOBI à uallibus.

Tlaſcalan urbs in reipub. formâ

Poſtremò in noua Hiſpania eſt TLASCALAN urbs, quę poſt Mexicum ſecundum tenet locum, eſtq; ualdè populoſa, & opulens, & agro fęcundo, ac reipublicæ more gubernatur ſub protectione tamen Hiſpaniarum Regis.

NICARAGVA.

Nicaraguæ deſcriptio.

NICARAGVA prouincia poſt nouam Hiſpaniam reperitur uerſus Ortum, & Meridiem, quæ quidem ut plurimum arenoſa eſt, ac calori æſtiuo obnoxia: iuxta tamen fluuios ualdè fertilis eſt. In ea eſt lacus ualdè ingens, qui 300. milliaribus extenditur, & creſcit, ac decreſcit perinde, ac mare, pluresq; continet inſulas.

Lacus ingẽs.

Diſtat uerò hic lacus à mare Pacifico duodecim milliaribus, ſed tamen in mare *del Nort* exoneratur, à quo multum abeſt. Sunt in hac prouincia multæ populationes, ſed tamen exiles, inter quas digniores ſunt urbes LEONIS & GRANATÆ. Eſt etiam in hac regione mons continuò ardens, qui ab urbe Granata decem milliaribus abeſt. Incolę huius tractus ad albedinem magis accedunt, quam reliquæ noui Orbis gentes, ſuntque ſtatura ſatis conuenienti, & humani, qui ante Chriſtianam fidem ſuſceptam iuſtitiæ quoque ſpecimen aliquod habebant.

Leonis, & Granatæ urbes.

Incolæ huius tractus.

IVCATAN.

Iucatan regio. Qualitas.

REgio hæc IVCATAN peninſulæ formam referens in mare *del Nort* porrigitur, cuius ambitus patet milliarium 900. Eſt autem ſegetum, fructuum, melliſ, ceræ, ac animalium quorundam ferax, ut ſunt anates, gallinæ, lepores, & cerui. Incolæ animoſi ſunt, ac bellicoſi, qui arcubus utuntur, & clypeis: ſolent totum corpus, ac faciem colore rubeo, ac nigro inficere; carnem non uorant humanam, ut omnes alii ferè uicini incolæ, & crucem etiam uenerabantur ante Chriſtianorum aduentum.

Incolarum mores.

Guatimala urbs.

Inter Iucatan, & Nicaraguam regionem iacet GVATINALA urbs in Mediterraneis, quæ agro potitur fertili, & ameno, ac aere ſalubri. Reſidet autem in hac urbe Pręſidens Regius Hiſpaniæ, qui abſolutam

lutam habet poteſtatem in rebus iudiciariis. Non longè ab hac urbe ſunt montes, qui ignem, fumum, & lapides emittunt.

FLORIDA.

Floridæque qualitas.

FLORIDA prouincia iuxta ſinum Mexicanum, & mare *del Nort*, extenditur quæ quidem ſatis amæna eſt, ac omnium fructum fertilis: oram tamen habet aſperam, ac paucos maris portus, quinetiam mare eã abluens ſcopulis, & breuibus refertum eſt.

Incolæ Floridæ.

Incolæ barbari ſunt ſordidi, ac inhumani, qui neſcuntur uermibus, ſerpentibus, aliiſque uenenatis, & inſectis animalibus, ſparſim inhabitant, ac nudi penè incedunt præter opulentiores, qui pellibus quibuſdam precioſis teguntur. Hauc autem prouinciam tum Galli, tum Hiſpani, non ſemel occupare fruſtra tentarunt.

APALCHEN.

Apalchẽ regio.

APALCHEN regio ad mare *del Nort* expoſita uſque ad D. Helenæ caput extenditur: eſtq; ut plurimum ſterilis, inculta, ac malè habitata, atque eius ora importuoſa eſt: montes habet arboribus celſiſſimis conueſtitos, & planities animalibus refertas, ut ſunt lepri, cuniculi, cerui, anates, & alia huiuſmodi.

Incolę.

Incolæ proceri ſunt, graciles, aridi, & agiles, qui nudi ferè incedunt, idola colunt, ut reliqui, & arcubus, ac ſagittis utuntur. Hanc regionem ab aliis uocatam fuiſſe VIRGINIAM puto ab eius præcipua populatione Virginia ad mare expoſita.

Virginia regio.

NORVMBEGA.

Norũbega.

NORVMBEGA regio peninſulæ inſtar ad mare *del Nort* porrigitur, ac nomen ab oppido ſic uocato ſumit. Cęlo potitur temperato, ac agro fertili, mare regionem abluens arena repletum adeò eſt, ut periculoſam reddat circa hæc loca nauigationem, præſertim quod parum profundum ſit. Populationes habet aliquot, quæ diuerſimodè a Luſitanis, Hiſpanis, & Gallis nominantur, ut nulla hinc certa cognitio accipi queat. Vicina huius eſt Terra de Bacalaos a Sebaſtiano Caboto Veneto inuenta, & ſic appellata eo quod in eius pelago tanta inuenitur piſcium huiuſmodi copia, ut etiam nauigia retardent.

Terra de Baccalaos.

ROVA

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOVA FRANCIA.

Nona Francia.

NOVA FRANCIA huic succedit, quæ iuxta ripas fluuii Canadæ, vel S. Laurentii extenditur, quam Galli primum sub Francisco Primo Rege Galliæ, detexerũt, & huius quidem loca principalia sunt *Canada, Hochelai*, & *Hochgelaga*, quæ ex lignis constant. Est autem ipsa regio inops ualdè, quo fit, ut ad eam nostri non contendant; profert tamen segetes, & legumina. Incolæ idolatrę sunt, & aliquibus in locis anthropophagi.

Nouæ Franciæ populationes.

TERRA LABORATORIS, seu Corterealis.

Terra laboratoris.

TERRA LABORATORIS, quæ aliis terra Corterealis vocatur, inter fluuium Canadam, & Estotilandiam in peninsulæ formam iacet, & hic fluuius ab aliis fretum trium fratrum uocatur, estq; adeò ingẽs, ut eius ostium, 35. milliaribus pateat; longitudinem habet immensam, nam ferunt nauigatũ fuisse octingẽtis milliaribus. Incolæ frequẽtes sunt hic, proceri, & bene dispositi; qui animaliũ pellibus teguntur, monialia ex argento, & ære gestant, & ex piscibus, ut plurimum uictitant. Horum præcipuę populationes sunt. *S. Maria. Cabo Marzo*, & *Brest*.

Incolę.

ESTOTILANDIA.

Estilandia.

ESTOTILANDIA, seu Estotilant prouincia est cęteris Septentrionalior, & Orientalitèr respiciẽs Frislãdiam Insulam Europæ. Et hæc quidẽ prima oĩum huius noui orbis detecta fuit anno 1390. ab Antonio Zeno Patritio Veneto, sub auspiciis Zichmi regis Insulæ Frislandiæ, & multo quoq; ante lustrata fuit a quibusdam Frislandiæ piscatoribus. Eius fines a Septentrione incogniti adhuc manent, sed a meridie ad terrã laboratoris terminat iuxta fluuium, qui vulgò dicitur *Rio Neuado*, & ab ortu mare *del Nort* habet.

A quo fuerit inuenta.

Fines.

Est uero hæc terræ pars satis culta, & oĩum penè rerum ad humanũ usum fertilis, ac metallis ẽt diues præsertim auro. Est tamen frigori ualdè subiecta, & quatuor hẽt præcipua flumina uniuersam prouinciam irrigantia, quæ ortum ducũt a celsissimo monte in regionis meditullio iacente. Incolæ ingenioſi sunt, & artium penè omnium mechanicarum peritissimi, cuius uestitus est ex ferarum pellibus, ac uitulorum marinorum, ex quibus etiam cymbas conficiunt pro sulcando mari.

Qualitas.

Incolarum mores.

AME-

AMERICÆ MERIDIONALIS Regiones.

Americæ Meridionalis forma.

PENINSVLA hæc Noui Orbis, quæ tota ferè in meridiem porrigitur, Africæ & ingenti pyramidi persimilis est, cuius basis propè isthmum est, ac uersus Boreã; quam quidem illa terra efficitur, quæ Hispanis *Firma* uocitatur. Vertex seu cuneus sensim extenuatus ad Magellanicum desinit fretum uersus Antarcticum Polum grad. penè 53. ab Æquatore dissidens. Orientale latus pulsatur uastissimo Oceano *del Nort* uocato. Occidentale uerò ingenti claditur itidem Oceano, qui vulgò *Mare del Sur*, & Pacificum uocatur. Totius huius continentis Meridionalis circumnauigationẽ ferunt cõplecti sexdecim millia milliaria; cuius sanè Orientalis pars à Maragnone fluuio ad Argenteum usque fluuium, vulgò *Rio della Plata*, Lusitanorum iuris est; reliquum Regibus Hispaniæ acquisitum est. In hac porrò orbis portione sunt continua serie a Borea ad Austrum expansi montes spectatæ celsitudinis, ad quorum cacumina nec aues suo uolatu ascendere queunt: ab his ingentes exoriuntur fluuii, qui ad utrumque Oceanum suas aquas mittunt: inter hos celeberrimi, & magnitudine admirandi sunt pleriq; nimirum Argenteus, & maragnon.

Circumnauigatio eius.

ARGENTEVS vulgò *Rio della Plata* dicitur ab argenti nimirum copia, is enim quacunque tendit agros, & incolas inexhausta argenti opulentia afficit. Postea permultis influentibus amnibus adauctus in Oceanum *del Nort* ingenti ostio quadraginta leucarum amplo præcipitat.

Argenteus flu.

MARAGNON quoque fluuius in immensam latitudinem ac longitudinem patescit, ferunt enim nauigatum fuisse sex millibus milliaribus, ac eius ostium 70. leucas complecti. Est præterea hæc noui orbis pars auri, & argenti miro prouentu beata, ac omnibus affluit rebus tàm ad humanæ vitæ necessitatem, quàm ad delicias, nec desunt in ea precioſi lapilli. Hoc tamen in primis maximo laborat incommodo, quod incolas habet moribus ferinis, ac penè inhumanos, quibus quidem humana caro suauissima est esca præter immunda animalia, ac insecta, quæ comedere solent. Multæ imò innumeræ in hac sunt regiones, ac prouinciæ: quarum quædam cognitæ sunt, ac satis exploratæ: nonnullæ uerò uix nomen notum habent, quod uel ob eorum inopiam accidit, uel ob incolas bellicosos, terribiles, ac indomitos. Nos autem de præcipuis tantum tractare decreuimus, quæ sunt *Castella aurea, Peruuia, Chile*, & *Brãsilia*, quæ ab Hispanis, & Portugallensibus satis cultæ sunt.

Maragnon fluuius.

Qualitas Americæ meridionalis.

Regiones præcipuè Americæ merid.

CASTEL-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CASTELLA AVREA.

Castellæ aureæ fines.

CASTELLA AVREA, uulgo *Castiglia dell'oro*, est pars terræ firmæ ab Hispanis ita uocatæ, q̃ extenditur a Thoayma urbe,& a Panamaide usque ad sinum Vrauæ & D.Michaelis, & occupat isthmum totum, quo duæ hæ noui orbis præcipuæ partes firmissimo uinculo constringũtur; cuius quidem isthmi latitudo decem

Qualitas.

& octo leucas occupat,seu septuagintaduo milliaria. Est autem hæc terræ pars malè habitata,ac parum culta ob inclemens cœlum,ac ob stagnãtes aquas. Duæ nihilominus sunt in ea celebres urbes ac populo frequentes iuxta utriusque pelagi littora ad appellentium opportunitatẽ

Theonyma urbs. Panamais urbs.

extructæ,licet insalubri & ipsæ potiantur aere, nempe THEONYMA, uulgo *Nombre de Dios*,quæ mari *del Nort*,& PANAMAIS, quæ Peruuino mari,seu Pacifico apposita est;& hæ quidem urbes quæcunque uel è Peruuia regione in Gispaniam, uel ex Hispania in Peruuiam aduehuntur, fido portuum hospitio excipiunt: si quidem diuitiæ ac merces,quæ ex Peruuia regione in Hispaniam afferuntur,exonerari debent in urbe Panama, & inde terrestri itinere comportanda sunt ad urbem Theonymam, ubi denuo nauibus impositæ in Hispaniam deferuntur. Contra uerò quæcunque ex Hispania conducuntur, exonerandа prius sunt in urbe Theonyma, ut pedestri itinere Panamaidem perducantur, & ab hac in Peruuiam regionem nauigiis comportentur.

PERVVIA REGIO.

Peruuiæ fines.

PERVVIA prouincia totius noui orbis famosissima tota ferè intra Æquatorem & tropicum capricorni clauditur. Suntque eius fines a Septentrione noua Granata,Castella aurea, & Perù fluuius ac portus,qui huic regioni nomen dat: ab occasu est Oceanus, seu mare *del Zur*: a Metidie Chila prouincia, & ab ortu montes,occupatque longitudine sua hęc prouincia mille & octingentas plus leucas. Detecta fuit primum anno 1525. a Francisco Pizzaro, cuius præfecturam paulò post a Carolo quinto obtinuit, atque eam plenè perlustrauit,ac occupauit. Hæc autem diuiditur hodie in tres partes,nempe in Planitiem,in sieras,seu montanam,& in Andes seu ultra montanam.

Peruuia a quo inuenta. Peruuiæ diuisio.

Planities Peruuię descriptio.

Planities Peruuiæ iuxta maritimam oram expanditur milliaribus propemodum mille ac quingentis, eiusque latitudo maior ad sexaginta milliaria accedit, & minor ad triginta. Est autem hæc pars

sabulosa,

sabulosa,solitudinibus frequentibus deformis,ac maiore ex parte sterilis præsertim cum nec ullos habeat fontes aut lacus,nec ullis imbribus aut pluuiis unquam adiuuetur. Sunt tamen in ea agri permulti circa fluminum ripas uiriditate ac fęcunditate læti,quippe qui hyemali tempore ac fluuiis ipsis a prȩcelsis montium rupibus delapsis effusisque,qui nunquam magis, quam septem aut decem milliarium interuallo dissident, utili perfusu & innundatione irrigantur: qui etiam agri ipsi ab accolis magna industria irrigantur,& exercentur,unde postea gossipiũ, uarii coloris,& omne frumenti genus copiosè reddunt. Huius tractus incolæ uiles sunt,pusillanimi, & inopes, qui sub arboribus & inter harundines ac iuncos uiuũt ac dormiunt,quorum esca sunt pisces,& crudæ carnes.

Incolæ huius tractus.

Montana regio Peruuiæ longo extenditur tractu a Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, nec magis a mari recedit quam 20.leucis,& aliquibus in locis minus.Sunt uerò hi montes admodum frigori obnoxii in eisque frequenter niues caduunt.nec arbores,ut plurimum proferunt,unde incolæ ignem ex terra quadam ad hoc apta fouent.Reperiuntur hic leones,lupi,ursi nigri,capreoli,& quodã pecudum genus camelis simile, equarum lana uestes,gausslapinas,& alia necessaria cõficiunt. Continentur inter hos montes multæ amplæ ualles ac profundæ,fertilissimæ,ac populo numerosissimæ; cum aere potiantur calidiore. Et incolæ quidem harum uallium cæteris huius tractus ingeniosiores,animosiores,ac ciuiliores sunt.

Montana regio Peruuiæ.

Valles amplę Peruuię

Andes sunt etiam montes, sed continua serie producti absque uallibus, qui etiam a Septentrione in Meridiem incedunt, & inter hos & alteros montes COLLAO prouincia clauditur, quæ sanè ut plurimum montibus referta est, ac frigori subiecta, sed tamen ualde populosa.

Andes Peruuiæ.

Montana regio, ut ait Leuinius Apollonius, maritimæ regioni hominum cultu, urbium frequentia, & soli aerisque beatitudine longè præstat, ac peculiari idcirco regum sede,procerumque habitaculo excoli consueuit. Terra enim omnis egregia clementis cœli temperie adiuta multo innumerabilium riuorum, amniculorumque, quos montes profundunt, excursu mirificè fœcundatur, ita ut graminosis ubique uiretis lætissimè transeuntibus arrideat, & fertilibus passim pratis grauida omne leguminum genus liberaliter præbeat; Nam præter Chamæcerasia, & alia eius sortis mora dumetis assueta, lactucasque, brassicas, caros, daucos, ac raphanos magna proceritate luxuriantes, sed tenuium etiam mensis uulgares, etiam amaracum, nasturtium, petroselinum, saluiam, oxylapathum, mensam, & inuisam Veneri portulacam condiendis epulis lautissimas herbas profert, & cętera porrò omnia, quæ postea Hispanis serentibus accepit, uberrima referendi

Montanę regionis qualitas,& fœlicitas.

benignitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

Herba uulneribus sanandis maximè accõmoda.

benignitate reddit. Præter has alteram herbam edit flauos flores tenuiſculis petiolis egerẽtem frondium habitu apio nõ abſimilem, quam celebratiſſimo ab Græcis ſcriptoribus potamio ſtratiote potentiorem uulneri etiam ranceſcenti, & chirurgorum deſperatione deplorato unicum ſolam remedium afferre, eandem autem carnem ſanam ac ualentem (ſi huic adhibita ſit) ad ima oſſa peredere ferunt. Hac etiam præſtantior naſcitur altera (*Cocam* uocant indigenæ) frondibus eius arbuſculæ ſimilis, quæ Græcis Rhus dicta eſt, latini fruticem coriarium uocarunt, quæ, ſicuti reipſa compertum eſt, omnem cibi ac potus appetitum auertit in ore geſtanti. Verum ante alia frumentum tanta fęcunditate luxuriat, ut ſicut proditur, ipſe dicere uerear, uno ex ſatiuo frumenti ſextario amplius quinquaginta aut centum, ducentos interdum progigni. quòd eò certè uehementius demirari licet, quòd leuiſſimam, tenuiſſimamque agriculturæ curam ac rationem exerceant. Agros enim leuiter expurgatos, & loliis euulſis ſarritos, cum aratrum uomeremque penitus ignorent, non tanto inductis ſulcis ſubruendi, glebas occandi, deinde poſt iacta ſemina, cylindro æquandi labore fatigant incolæ, quantum noſtri ad fruges ferendas requirunt, ſed lignea pala modicè uulgeratam humum leuiter inuertunt, ſcrobibuſque effoſſis grana paſtino ligneo ſicuti apud nos fabæ ſolent, depangunt, quæ regeſto demum ſuperfuſo condita in ſummam luxuriem prorumpunt. Herbarum, frumentique copiæ, arborumque fęcunditas reſpondet, quarum non illę modo, quas nouit Europa, egregiè creſcunt, ſed earum etiam plurimas inuenire licet, quæ nobis nomine naturaque ſunt prorſus incognitæ. Nam, ut in montanis fieri ſolet, nigricantes plurimis in locis ſyluæ occurrunt, quæ non omne arborum genus modo, & earum caudicibus uberrimam lignandi copiam, ſed in cauis abditiſque ſpecuum luſtris magnam ferarum multitudinem ſubminiſtrant. Pumilium etiam animantium campi, ac imæ ualles ad aucupum uoluptatem uſqae adeo ſunt plenæ, ut lepores, cuniculi, turtures, columbæ, ficedulæ, niſi, frigillæque nullo anni tempore menſis deſint. Sed ne pſittaci quidem, uulpes, urſi, ac leones rara montanis ſunt animantia; equi non iſtic modo, ſed per uniuerſum orbem nouum penitus incogniti. Verum horum egentiam quamquam imparibus, & ineptis ad bellum uiribus ouium copia ſupplet, quæ equis magnitudine pars, & cætera forma præter toroſi pectoris ſtrumam camelis perſimiles quinquaginta onerum pondo ſuſtinent, & uirum in terga ſublatum ad aliquot paſſuum millia uehunt, feſſæ, ſi tamen urgeantur, ſedentes ore conuerſo ringentes fœdo odore conſpurcant, ſi onuſtæ ſint, tum humo ſeſe acclinant, nec inde ulla uerberum uehementia ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus cliſellis exonerentur, propelli poſſunt, utile profecto animantium genus non ad ſupplendam modo abſentium equorum in ſarcinis, uiriſque uehendis commoditatem, ſed ad alimoniæ etiam & opimi lucri uſum. Lanæ etiam

Herba Cocã ſitim ac famem tollens.

Peruuinorũ agricultura mirabilis.

Peræ & anes.

Peruuinorũ

Cuiũ genus Peruuinorũ

næ etiam tenuitate, longitudineque, & copia facilè noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine uerueciũ, atq; iuuencorum noſtratiũ delectabilem ſaporem adæquant, frumento ueſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt, uſq; adeò exiguiuerò potus, ut illo triduũ quatriduũq; abſtineant. Plæraq; autem montium pars innumerabiles auri, argentiq; gazas nobiliſſimis fodinis emittit, nec ulla ferè urbs aliquo nomine ſpectata offertur, quam non inſigni alicuius minæ auro natura ditarit, ut merito harũ comparatione diuitię ſordeſcere debeant quas, aut Tago, aut Lydorum Pactolo ueterum fabulæ aſcripſerunt. Nam præter inexhauſtas montiũ Arrugias quis eloqui poſſit, quantam auri, argentiq; uim canalicia, aut egeſti fluminibus theſauri ferant? quæ rutilantibus arenis, & pellucidis undis limpidi aureo quodam profluxu ruere uidentur. Nec in tanta fodinarum copia minii, ſicut accidere Plinius teſtatur, aut ſandaracæ, & id genus, uerſicoloris terræ ad ueſtimẽta inficiẽda uenæ deſunt. Supra has dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latiſſimè extenditur ad uberrimã ſatiuarum frugum alimoniam, & priuatorum etiam puteorum commoditatẽ mutante uices tempeſtate pluuiarũ ſubſidia habet, quę in tanto ſolis æſtu magno incolarum, & agrorum hiantium gaudio excipiuntur. Hactenus ex Lucinio Apollonio.

Mineræ auri, & argẽti.

Peruuia mõtana pluuias ſentit.

Horum montanorum incolarum naturam idem Leuinius his uerbis exprimit. Hac regionis fœlicitate incolæ induſtria, atq; ingeniorum ſolertia dignos ſe præſtant, qui ſicuti ſoli bonitate, ita naturæ, politięq; præſtantia maritimos longè antecellunt. Viri ſubuculam, ac chlamydẽ laneã geſtant, promiſſoſq; alunt crines, quos circa uerticem tenui faſcia ſubſtringunt: fęminis ueſtimentum eſt oblongum, non manicatum, quod laneo cingulo ter, quaterq; circũducto infra umbilicum ſuccingitur, huic penula ſuperiicitur aurea, argenteaue aſcicula circa collum conſtricta, quã *Topum* uocant. Hæc candida facie gratioſæ, quàmquàm abſurde ſerè in acutam cuſpidem capitum uertices acuminentur, non formæ modo, ſed modeſtiæ, uerecundiæq; muliebris, & reliquorum morum non leui gratia pollent, & huic ſingularem in maritos amorem, fiduciamque mirabiliter adiungunt, quos prærer ſui ſexus uires in quotidianis operibus aſſiduo, & fideli labore ſubleuant.

Incolarum mõtanæ partis mores.

De moribus autem Peruuinorũ in uniuerſum Leuinius Apollonius ſic ſcribit. Vniuerſi tribus potiſſimum gentibus diſtinguuntur, quarũ ſingulæ plures ſub ſe populos nominum rurſus uarietate differentes continent. Hæ gentes diſſimilitudine gaudent, & diuerſis linguis ſunt ſecretæ, frequenter etiam limites excedentes inter ſe bella gerere, & ferro iurias uindicare diſcordes ſolebant, priusquam in unius Gynacauę ditionem ad Æquatorem uſque prouincia ceſſit: uerum uti uictoria eius cũctis ſub unam poteſtatẽ redactis diſſidiorum facultas ablata eſt, ita apud proceres, & uulgus Cuſconica lingua, qua duntaxat ius dicebatur, uoluptati ac ſtudio eſſe cępit, ſic ut huius gnaro totius prouinciæ peragrandę

Mores Peruuinorum in uniuerſum.

Gynacaua potens Rex

Cuſconica lingua cæteris præſtans.

non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea uestis est ad talos usq; propendens, mares indusiolum ad suras usq; & huic superiectum palliolum gestant. Quãquàm uero idem ferè tota regione corporibus uestimenti sit genus, capitum tamen habitus mirificè uariant, cum singuli pro usitato patriæ more fasciolas tornatiles, multi simplices, plurimi uersicolores gerant, nec ferè sint quiquàm, qui eo in capitum ornatum secundum patriam usitationem ab alteris non uehementer discrepent. Admirabilis uerò omnes naturalis indolis simplicitas imbuit, adhuc uetustæ ruditatis hæres, qua ridiculas nobis negociationes exercent, uix in exhaustas suas auri, atq; argenti gazas sapiunt, atq; informibus eorum massis dumtaxat utuntur, quamquàm aureorum, atque argenteorum emblematum non minore, quam nos, delectatione capiuntur, quibus templorum, atque regiarum postes bracteatõ, sculptove opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari simplicitate proximè Æquatori subiecti morum incommoditate, acuitiis reliquos superant, qui ab multa hypocrisi taciturni, & compressis in labra uerbis submurmurantes non multum ab Iudæorum modo abhorrent, fædęq; marium libidini procliuiores, exiguo in precio mulieres habent, quas non uilissimè modo sibi ancillari cogunt, sed uel leuissima offensione plagis acerrimè excipiunt. Indusiolo leui umbilico renus uestiuntur, cæteras corporis partes, ne pudendis quidem saluo pudore, nudas relinquunt. crura brachiaq; gemmatis sphærularum circulis ornant, & pertusis utrimque malis, atq; orum labris, torcosios, atque smaragdos mirificè splendicantes hiatibus infixos gerunt. In eo ornatu tanta superbia est, ut eundem uxoribus inuideant, quibus nulla, uel ad perpetuos grauissimi solis æstus arcendos stragula uestium præter tenue pudendorum præcingulum conceduntur. Apud hos ostia templorum in Orientem porrecta laneo prępediculo sunt pręclusa, in ipsis uerò templis simulacra duo ad arrorum hircorum similitudinem sculpta adorantur, atque ad perpetuum cultum ante hæc certarum miri odoris arborum ligna cremantur, ex quibus dum cortices detrahuntur, tam acri odore adeps defluit, ut olentium mares, cerebraq; teterrimè afficiat, illita uerò defunctis, aut gulis instillata (quemadmodum cupresso promanans resina) perpetuo ab uermiculorum iniuria, carieque uniuersa mortuorum cadauera uindicet. Apud *Caraceos* in supremis portarum peristyliis humana simulacra conspecta sunt striata Diaconi stola indura. *Pasaones* interfectorum puerorum uirorumq; corpora ad saxeos stylos mirificè aduersus putredinem præmunita conseruant, & capita truncatorum in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad postes clauis affixa tanto artificio ostendunt, ut post multa etiam annorum spatia nõ ingratum odorem spirent. In uulgaribus ubique ferè templis magnorum serpentum figuræ adorantur: super hæc singuli priuatis in ædibus uetere Ægyptiorum superstitione, pro ut cuique sua ars, atque opificium

Peruuini aurum contemnunt.

Peruuinorũ uitia.

Idola Peruuinorum.

Caracei po. Pasaones pop.

Figuræ serpentũ adoratę.

ficium est, peculiares Deos ceu penates, ac lares colunt. Omnis scientiæ prorsus expertes sunt, literarumq; omnium, ac picturarum exortes, quæ apud Mexicanos literarum loco habentur. Laneis enim funibus vtuntur (quippos appellant) quibus implicitis diuersarum figurarum nodis numerum supputent ab monade ad denarium, atque inde altius numerando gradatim ascendentes: modis colores imprimunt rebus illis similes, quas indicare volunt. Singulos Prouincia quælibet constitutos notarios habet, qui per hos Colores rerum, vel ante multos annos gestarum memoriam, ceu literarum monumentis haustam plebi insinuat, & si quid tum in prouinciæ posteritate dignũ geratur fideli per eorum nodorum colores custodiæ demandant: communium legum septis coercentur omnes, & in summa rerumpub. moderatione egregius iurisdictionis est ordo, iustoque suppliciorum inflictu in sontes animaduertitur. Arma illis sunt ensis dastile præpilatum, clauus ferreus, securis argentea, aut aurea acie, fundi, & alia telorum genera: excurrere; seruare ordines, ferre opem expeditè norunt, nec uirtute petitam mortem extimescunt, modo uel suis egregiam memoriam relinquere, vel accipiendi ab ducibus muneris locum facere possint. Hactenus ex Leuinio Apollonio.

Memoriæ Peruuinorũ ex funibus.

Continet porrò Peruuia Prouincia intra suos limites quamplures Vrbes, ac populationes, quarum præstantiores, ac celebriores sunt. *Portus vetus, Michaelia, Trugillum, Regium,* seu *Lima, Arequipa, Quito, Cusco, Argyropolis,* & *Potosium.* Quarum quinque priores ab Hispanis primum situs commoditate, & mercaturæ opportunitate allectis occupatæ sunt, & ædificijs more Europæo exornatæ.

Vrbs præcipuè Peruuię

PORTVS VETVS, vulgò *Porto veio,* prima est Vrbs ab Hispanis occupata, quæ æquatori proxima est iuxta maius littus, & optimo portu gaudet, sed aere insalubri, ob idque infrequenter habitatur. Ad hanc autem nauigia appellunt, quæ vel in Peruuiam regionem tendunt, vel ab ea Panamaidem redeunt. Vicinus ager Smaragdos in rupium lateribus suppeditat, quos perpolitos magno cum lucro uarias in Vrbes Hispani submittunt. Apud hanc Vrbem effosa sunt ab Hispanis gigantum ossa, ac dentes, qui tres latitudine, & quatuor longitudine digitos exęquarent: quod quidem hominum genus indigenæ affirmant quatuor virorum longitudinem exæquasse.

Portus vetus Vrbs.

Smaragdi.

MICHAELIA, seu D. Michaelis Vrbs, *Piura* a Barbaris uocatur, estque secunda ab Hispanis occupata, iacetq; supra fluuium Ciram optimum portum habens. fertili etiam gaudet agro, sed auri, argentique fodinis experte, & peculiari Ophthalmiæ morbo infami, qui rectè Leuinio, transeuntium oculos magno dolore impedit atque excruciat.

D. Michaelis vrbs.

TRVGILLVM tertia Hispanorum Vrbs agrum feraciſſimum habet frumenti præsertim illius, quod incolis mayz uocatur, sed a na-

Trugillum Vrbs.

uigijs parum frequentatur ob ſui portus incommoditatem.

Regiũ Vrbs primaria.

LIMA, ſeu REGIVM totius maritimi tractus excultiſſima Metropolis in amæniſſima ualle ad ripam amnis iacet tutiſſimo in portu ad duo paſſuum millia ab littore ſemota. Mira aeris temperantia gaudet,& agro rerum omnium fertili præſertim frumenti. Fabarum,piſorum,& omni leguminum noſtratium genere, atque etiam ficuum,malorum citreorum,arantium,limoniorum,& cæterorum fructuum. Eſt prẽterea populo frequentiſſima,namque quingentis ædificijs,& amplius excolitur ambitum comprehendẽs ualdè ſpatioſum, in quo ſunt latæ uiæ,amplũ forum,& cultiſſimi, ac amæniſſimi horti. Condita fuit hæc Vrbs a Franciſco Pizzaro anno 1535. & in ea reſidet nunc uniuerſæ huius Prouinciæ audientia,Cancellaria,Prorex,& Archiepiſcopus,cui ſubſunt Epiſcopatus hi,nempe *Quito, Cuſco,Guamantiaci, Arequipæ,Pas,Platæ,Trugilli,Guanugio,Cacapoiæ,Portus veteris,Guaia chil,Popoiani,Carchi,S.Michaelis, S.Franciſci.*

Epiſcopus Peruuiæ.

Arequipa Vrbs.

AREQVIPA quinta Hiſpanorum maritima colonia longè a mare duodecim milliaribus fæcundo,ac ſalubri in agro ædificata eſt, quæ trecentis amplius ædificijs nitet,& frequenter quidem habitatur ob ſui portus commoditatem,continuoque magis atque magis incolis,ac opibus augetur. Sed tamen admodum diuexata fuit ab ingenti terræmotu,anni 1582.quo omnes ferè eius domus proſtratę ſunt interemptis tantummodo 22.uiris.

Terræ motus ingens.

Mediterraneæ vrbs.

Mediterraneæ,ac montanæ Vrbes præſtantes ſunt, quæ ſequuntur in quibus Hiſpani etiam colonias habent.

Quito vrbs.

QVITO Vrbs, opulentia, & incolarum numero Regio Metropolitanæ Vrbi ferè par eſt, Æquatoris lineæ ferè ſubiacet,nec tamen feruido,ac æſtuoſo potitur cœlo,ſed potius frigido. Eius ager ſemper uirẽs eſt,& omni frugum beatitudine florido,ubi Europęi fructus ſucco præditi mirificè aluntur,atque etiam domeſtica animalia. Scatet etiam auri mineris, & Mercurij uiui crocei coloris.

Cuſco vrbs Prçcipua.

CVSCO montanarum urbium Regina,multitudine incolarum Regio non cedit, ſed fodinarum opulentia longè ſuperior eſt. Hæc (ait Leuinius) ante Hiſpanorum aduentum Prouincię reges lęta aulicæ pompæ ſede fouebat,magno procerum, & gregarium commercio iura hinc petentium celebrata,& inter Peruuinas ſola,quæ faciem urbis præfert. Munitiſſimam enim quadratorum maximæ magnitudinis ſaxorum molem habet, quorum permagnam copiam uicini mõtes immenſiſſimis lapicidinis petentibus,excidentibuſque ſuggerunt, & indigenæ ſaxis erutis,& infinito labore,cum ijs oneribus trahendis,uehendiſque equi,ac boues deeſſent, unum ad locum comportatis firmiſſimo egregiæ ſtructuræ operi adhibuerunt. Aedes quas incolæ quondam poſſedere, eaſdem politiore paulò ornatu inſtauratus Hiſpani tenent: uniuerſa ciuitas cum magno hominum confluxu in dies

dies augetur, regum inſtituto quatuor in partes ueluti tribus diſperti taeſt, & in harum unam ſeuero edicto impulſi quicumque ciuitate donari,aut Vrbem,incolere uellent,recipere ſeſe debebant. Ager non frugum,aurearumque fodinarum,quarum ingens numerus circa ſcatet,fœlicitate modo gratioſus eſt,ſed mitiſſimi aeris, aureque placidiſſimæ tanta gratia commẽdatur,ut uegetè ſanèque ingreſſo priſtinam ualetudinem non facilè immutet.

Lacus Titicaca.

Agro Cuſconico diſiunctus magno ſatis ſpatio iacet ab Orientem lacus *Titicaca*, quem rapidiſſimus amnis in Occidentem decurrens aquarum in magnum ſe ſpatium effundentium efficit, ac deinde ueluti intolerabili onere paulo ſolutus in aluei ſui anguſtias redit, ſed iſthuc receptus, iterumque uelut ante illabentium amnium mole increſcens in alterum rurſus,ſed minoris magnitudinis lacum prorumpit, laxatiſque tantæ molis incubitu humeris liberius excurrens obſcuro exitu euaneſcit in occultos,ut credi par eſt,naturæ ſpecus ſubſidens, & ſubterraneo aluei abſorpti cuniculo in pelagus tranſmiſſus, quemadmodum Alpheũ ex Peloponneſo in Siciliã perlapſum olim ferunt. Hactenus ex Leuinio.

Argyropolis vrbs.

ARGYROPOLIS Vrbs,ſeu argentea, & vulgo *della Plata*, quinta eſt inter montanas Hiſpanorum colonia, ut ait Leuinius,non magna quidem ciuium habitantium copia, ſed eorundem incredibili opulentia inſignis. Metropolis autem eſt prouinciæ Ciarcas.

Potoſiũ vrbs

POTOSIVM etiam Vrbs fodinis argenteis moirè pulens eſt, è quibus immenſa eruitur argenti copia,quæ uniuerſam Hiſpaniam, ac Europam implet. Hæc ſatis ſint de hac aurifera Peruuiæ regione. Qui de Ingarum,ſeu Peruuinorum regum magnificentia inſtrui deſiderant, ingentia legant uolumina, quæ de hac regione conſcripta ſunt.

CHILE.

Chile regio

CHILE Prouincia a Meridie Peruuiæ regionis iacet ad mare Pacificum expoſita,quæ ab incredibili ipſius frigore nomen ſortita eſt,hæc autem pluuias fulmina, & totius anni mutationem ſentit, quemadmodum Europa. Eſtque partim maritima,partim montana, ſed iuxta mare aliquanto incaleſcit. Fert autem omnifariam fructus ex Hiſpania allatos, & magnum mittit pecudum, & ſtruthionum numerum. Huius fluuij interdiu decurrunt,noctu uerò frigore penè gelati tardè, ac debiliter incedunt. Incolæ proceri ſunt bene diſpoſiti,ac bellicoſi, quorum arma ſunt arcus,& ſagittæ,eorum ueſtitus ex animalium pellibus,ac luporum marinorum

Qualitas.

Incolarum mores.

D Iacobi vrbs.

rinorum fit. Metropolis est regionis D. IACOBI Vrbs, ubi nunc noua Hispanorum colonia coalescit.

BRASILIA REGIO.

Brasiliæ fines.

BRASILIA regio inter duos ingentes fluuios iacet, nempe Maragnonem a Septentrione, & Argyreum, vulgò *rio della Plata*, a meridie & partim ab Occasu; a qua etiam parte ad aluisimos Peruuiæ montes accedit; sed tamen ab ortu mari uastissimo uulgò *del Nort* uocato pulsatur. Huius longitudo,

Brasiliæ magnitudo.

quæ a Septentrione in austrum accipitur, traditur mille & quingentorum milliarium, latitudo ab ortu ad occasum quingentorum milliarium, & eius circumnauigatio iuxta mare *del Nort* milliarium plùs minùs trium millium. Huius verò famosissimæ regionis descriptionem eleganter ac fideliter tradit Ioannes Petrus Maffeius è societate Iesu, quæ nunc sequitur.

Brasiliæ qualitas & fœcunditas.

